EPISTOLAE MEDICINALES

PETRI CASTELLI

PHILÓSOPHI,

AC MEDICI ROMANI,

Et in Almæ Vrbis Gymnaſio Profeſſoris.



ROMÆ, Typis Iacobi Maſcardi. MDCXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ ROMA

EPISTOLAE MEDICINALES PETRI CASTELLI PHILOSOPHI

AC MEDICI ROMANI,

Et in Almae Vrbis Gymnaſio Profeſſoris.



ROMAE, Typis Iacobi Maſcardi. MDCXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVST.MO ET REV.MO D. D.

FRANCISCO BARBERINO
S. R. E. PRINCIPI,
ET CARD. AMPLISS.

VRBANI OCTAVI
PONT. OPT. MAX.

NEPOTI.

PETRVS CASTELLVS FOELICITATEM.

LEGENDOS tibi (Illuſtriſſime Princeps) in maximis totius Orbis negotijs occupatiſſimo Quæſtionum Medicarum offerre libros admodum incongruens videtur. Et quamuis optimè quidem eas dijudicare valeas, vt qui excellenti, acerrimòq. ingenio, ac omnium virtutum genere cumulatè ſis refertus; non ideò tamen, cum maiora premant, tibi ſuffurari otium leuiora hęc debent. Audacior nihilominùs à te factus ad te accedere, tibi codicillos meos offerre,

teq. Quæſtionum mearum Iudicem eligere; imo victoriæ meæ quaſi ſpectatorem, atq; applauſorem quærere non pertimui. Tu enim ille es, qui me ad publicè legendi munus in Romano Lyceo præ cæteris elegiſti. Quorum beneficiorum haud immemor gratias tibi; donec licebit, & agere, & habere numquam deſinam. Interim vt ea, quæ mihi gratis largitus eſt Deus, alijs, vti debeo, communicem, vtquè Diſcipuli libenter, atquè vtiliter meos exaudiant ſermones, præter philoſophiæ munus à te mihi impoſitum, Botanicam quoquè, necnon Chimicam doctrinam publicè profiteor, ſimul maximam ſpem habens te fauente, & Chimicam, & Botanicam diſciplinam in Vrbe ad ſydera ſublatum iri. At dum hæc aguntur Neſtoreos tibi, vt opto, concedat annos ille, cuius in Terris vicem gerit Maximus Vrbanus VIII. Auunculus tuus fœlicitas huius ſeculi.

INDEX
EPISTOLARVM MEDICINALIVM
Decadis Primæ.

EPiſt. Prima. *Soluitur Dubitatio prima ab ipſo Auctore propoſita libello de Oleo Vitrioli ad Raimundum Mindererum, & declaratur Oleum Vitrioli aqua mixtione effici debilis actionis.* pag. 1.

Epiſt. 2. Oſtenditur Auctoritate, Ratione, & Experimentis contra Raimundum Minderẽrum Oleum Chalcanthi vtile eſſe ſputo ſanguinis. pag. 15

Epiſt. 3. Oleum Vitrioli omnibus febribus vtile probatur exactiſſimè, & omnes contraria rationes ſoluuntur. pag. 34

Epiſt. 4. Agitur de Acido ſpiritu. pag. 120

Epiſt. 5. De ciborum in ventriculo fermentatione. pag. 139

Epiſt. 6. G. Grembſij. *Agitur de vſu nocuo Ol. Vitrioli.* pag. 156

Epiſt. 7. Tuetur vſum Ol. Vitrioli, & reſpondet præcedenti. pag. 159

Epiſt. 8. Sebaſtiani Iozij. *Defenditur Vitriolum à calumnia veneni.* pag. 174

Epiſt. 9. Iacobi Lampugnani. *Chirographum inſcriptum de Chalcanthi viribus.* pag. 181

Epiſt. 10. Defenditur Chalcanthum. pag. 186

ERRATA.

Admonendus eſt Lector, vt priùs, quam librum hunc legat, ſequentia errata corrigat, quæ diuerſas ob cauſas in imprimendo irrepſere, cùm maioris momenti nobis viſa ſint, reliqua minoris cenſuræ Lector benignus ex ſe corriget, & condonabit, ſicut interpunctionum errata, quæ innotata relinquere ſatiùs viſum fuit.

Pag.	lin.	Errata,	Corrigenda.
2	18	conquæri	conqueri
	20	viderisneſcire	videris, neſcire
5	7	queat	poſſit
7	31	apricitate	aperto loco
	36	abruptam	abruptum
	36	integram	integrum
8	4	minutiſſimos	minutiſſimas
12	11	extropellatur	extrapellatur
13	19	vſicati	adhibiti
15	2	Melſium	Meltium
16	18	exibent	exhibent
	36	Aduenas	ad venas
17	32	Melſi	Meltie
	30	& aluo	& ex aluo
	32	deceſſit	diſceſſit.
	32	propinare	potare
21	34	Auerrem	Auerroem
22	11	aduerſa	aduerſas
25	7	cauenati	extrauenati
	31	in ſeſſu ue	inſeſſuuè
26	18	d lutiſſimo	dilutiſſimo
	20	reiciemus	reijciemus
27	21	adſtringentiam	adſtrictionem
28	16	oſculos apertos, & rareſactos	oſcula aperta, & rareſacta
33	21	videtur	videntur
37	23	cuicunquè	deleatur
38	37	ſe	deleatur
40	1	conci'at	concitat nonnunquam die vno
	32	putrrdine	putredine
	item.	farit	facit
41	17	haber	habet
	30	particuris	particularis
42	22	ille	illæ
	23	ille	illæ
	26	aliorum	aliarum
45	9	quotidiana	quotidianam
	item.	tertiana	tertianam
	10	quartana	quartanam
46	11	craſceſcere	craſſeſcere
	12	per (ca	per
49	11	quæ grex nō pau-	qui grex non pau-
	22	duo	duas (cua
	23	tractauda.	tractandas
	30	dulcem, ſubdulcē	dulce, ſubdulce
50	20	Ambo	Ambos
51	7	Spiritum	ſpiritus
	31	Grembrium	Grembſium
52	1	iuuat	iuuant
55	15	Renerendiſſ.	Reuerendiſſ.
	32	ipſo	ipſi
56	9	ſpirttualitatem	ſpiritualem
	15	eſſentia	eſſentiæ
	19	habens	habentem

Pag.	lin.	Errata.	Corrigenda.
	20	ſolo	ſoli
66	15	Hommanni	Hoſmanni
67	33	Montanam	Montanum
68	25	ſcrup.ſ.	ſcrup.ſemis
	28	ſanandum	ſanandam
	35	peſtilentet	peſtilentes
70	2	35	30
	22	pro ſigni	pro inſigni
71	4	Anted	Antid.
	17	Torquetus	Turquetus
72	16	ſed	ſat
	31	Aetruriæ	Hætruriæ
73	21	Immitentur	imitentur
	28	Illuſt. etiam	Illuſt.
74	20	putrido	putredo
	27	ſcibit	ſcribit
	30	imputria	imputres
77	11	poteſt	poſſem
78	20	hemodia	hæmodia
79	11	Diartheam	Diarrhœam
81	16	in propriè	impropriè
	37	verboſa confutatione	verboſam confutationem
83	15	aſtringenti	aſtringendi
	23	Brudus Luſitanus.	Brudum Luſitanū
84	25	hætherogenei	hæterogenei
85	22	quod	quæ
89	10	ficta	dicta, quamuis à Gal. 4. de comp. m. l. 4. concedatur dici hic, & hæc chalcanthus, quod reperit 4. de comp. m. per g.c. 1. addens de nominibus cōtendendum non eſſe, tamen à Dioſcoride, & communiter dicitur
	13	Baſſica	Braſſica
	26	attulimus	attuli
90	19	meraces	meracos
91	23	homano	humano
93	20	mirabilis	mirabile
94	7	ò fœlicitas	ò fœlicitatem
95	30	acidiuſculum	acidiuſculus
97	31	ãmittēdo ãmittit	amittendo amittis
	34	penetrata	penetrans
99	34	interpretaſſe	interpretatū fuiſſe
100	22	quomuis	quouis
104	5	compoſito	compoſitio
105	5	intrò	intùs
	12	Empicos	Empiematicos
	23	debere	dedere
107	37	Mercurium corroſiuum	Mercurius corroſiuus
108	12	eundum	eundem
111	9	dicimus	dixi
	13	comperimus	comperio
112	6	omittendam	omittendum

Pag.	lin.	Errata.	Corrigenda.
	34	tan	tantum.
113	2	eo abſtineri	ſe abſtinere
	20	æditionis	editionis
114	9	ipium	ipſe
	11	potatus	potatum
	23	chyati	cyati
115	19	Moſchus, Ambra	Moſchũ, Ambram
117	3	ſolo	ſoli
119	11	non ui	non vi
	25	quo	quam
	31	hic	hinc
120	22	hunc	hoc
121	27	mixto	mixtio
123	3	erant	erunt
127	14	cauſterium	cauterium
		docet	doceat.
	16	vicario	mutuo
128	3	ſpitus	ſpiritus
129	17	continuò	aſſiduè
132	22	odorarem	odorarer
131	13	ſpitibus	ſpiritus
	24	ſalineus	ſalignos
134	6	paruiſſimo	minimo
	17	inuiſſima	leuiſſima
135	20	corrupcionum	corrupcium
		non generationum.	non generatium
	32	læuitatibus	leuitatibus
136.	2	contingit	contigit
	31	fridum	frigidum
	36	poſſit	poſſim
137	17	Glacis	Glacies
139	3	Hoſpitalium	Hoſpitalis
140	30	experiatur	reperiatur
145	5	continuò	aſſiduè
	10	continuò	aſſiduè
151	3	continuo	aſſiduè
152	1	deiectio	deiectio
	2	degeri	digeri
154	21	fundus	fundum
	31	illum	illud
155	20	ſertatio	fermentatio
159	33	audiens	auditus
163	21	hererogeneum	heterogeneum
	29	infelix	infelix accidit
165	1	e ntio	ſentio
	20	irronicè	ironicè
	30	vir	vir eſt
167	29	leditur	læditur
176	22	eſt	ſit
179	4	adminiſtratum	adminiſtratus
187	6	tuenda	tuendæ
188	27	ad ea ſuſcipienda.	ad eas ſuſcipiẽdas
200	28	&c.	&c. Aliqui ſumũs petias lineas ſanguine ægri tinctas, & eas ſepeliunt in vitrioli puluere.
	29	Dyſetericis	Dyſentericis
202	7	deglutiretur	deglutiremur
	35	ſalutare	ſalutarem
203	6	hemine	heminæ
	11	magnituaine	magnitudine
	31	illius	illitus
204	1	ſcrup.ſem.	ſcrup. 1. & ſem.
	2	ana.iij.	ana. vj. & ſemis.
208	24	licat	liceat
213	27	methodice	methodicè
215	25	ſolæ	ſoli
	27	ſolæ	ſoli
216	11	ScencKium	SchencKium.
217	5	delete	deleterium
221	19	adde	retulit mihi Flamminius Mariottus ſe 15. ab hinc annis acutá pleuritide affectum, & maxima ſiti vexatum per errorem bibiſſe Atramenti ſcriptorum vltrà libram ſemis, & non ſolum non fuiſſe læſum, ſed vomitu excitato paulò poſt ſanatum.
223	30	Agypt.	Aegypt.
224	15	ſputui	ſputo
225	15	crudũ, vel vſtum	crudus, vel vſtus
	21	Cyancei	Cyanei
226	4	videtur	videmus
	8	vlcerans	vlcerantem
	37	vlceratum	vlceratum
230	20	Epiphorem	Epiphoram
237	31	ſuccis	ſiccis
	36	qui	quem

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſ. P.M.Sacri Palatij.
A.Epiſc.Hieracen.Viceſg.

IVſſu Adm. R.P.M.Sacri Palatij Apoſtolici Librum cui titulus eſt Epiſtolarum Medicinalium Excell.D.Petri Caſtelli Philoſophi, & Medici Romani, vidi, atque perlegi, nil inueni, quod ſacris dogmatibus repugnet, in quorum fidem me ſubſcripſi hac die prima Februarij 1626.

Ego Dominicus Riuarola Phyſicus Pallatinus proprio calamo.

Imprimatur F.Andreas Biſcionus Prædicator Generalis,& Socius Reuerendiſſimi P. F. Nicolai Rodulfij Sacri, & Apoſtolici Palatij Magiſt. Ordinis Prædicatorum.

EPISTOLARVM MEDICINALIVM

Decas Prima.

Ad Perilluſtrem, & nobiliſſimum D.D. Claudium le Febure Philoſophum eximium, & à ſecretis Ill.^{mi} & Excell.^{mi} Equitis D.Nicolai de Sillery Romæ Chriſtianiſs. Regis apud ſummum Pont. Oratoris.

EPISTOLA PRIMA.

Soluitur dubitatio prima ab ipſo Auctore propoſita libello de Oleo Vitrioli ad Raimundum Minderer um, & declaratur Oleum Vitrioli aquæ mixtione effici debilis actionis.

AVDIO te conquæri, me contra ſpiritum, & oleum Vitrioli ſcripſiſſe: *Aqua nullo poſſe refrangi modo, & inteſtina, ac Ventriculum ob id exulceratum iri*. Quibus multi fidem adhibentes vſum liquoris Vitrioli metuunt; cum me tamen eo ſæpiſſimè vtentem videris neſcire te, dicis, an ego credam huic aſſertioni, & ſubiungis ad me: *Si hæc credis, cùm eo vtaris, non rectè agis: ſin autem id minimè credis, cur id ipſum ſcripſiſti? nè alij eo vterētur? vt alij ipſum metuerēt? ſi maleolebit hoc oleum apud Vulgus, nec tu laudaberis vtens medicamento non ſalubri, non tuto, ſed ſuſpecto, periculoſo, maligno, vlceratiuo, venenato etc.* Ideò poſtulas cauſam meę dubitationis, & meam veriorē opinionē. Iàm probe noſti (Vir Perilluſtris, & Erudite) dubitationes illas me ſcripſiſſe ad Mindererum iactabundum Germanum, & iniuſtè Italos accuſantem, veluti coactum verbis quorūdam ex noſtris, qui &c. Vt ſolueret ipſe ſuis principijs, apud me enim ex meis poſitis concluſionibus ſolutu faciliores videbantur. Cum ergò Mindererus (fortè aliò intentus) non ſoluerit viuens etiam me flagitante, acriterque ſtimu- Occaſio ſcribendi.

Aduerſarij Auctoris ſtimulabat Minderum ad reſponſionem.

lantibus æmulis, & aduerſarijs meis non paucis, in præſenti, mortuo doctiſſimo illo viro, cùm nemo ipſius partes tuendas ſuſceperit, neque ille, cui ſuum opus commendauit (ſcilicet Io. quidam Faber, non auſus mecum in aciem deſcendere) id oneris ipſe ſuſcipiam, meæ enim partes videntur, confectum nodum, ceſſantibus cæteris, diſſoluere, & illatam plagam ſanare, propterea tibi ſatisfaciendo libenter nunc me accingo; in cuique gratiam longioribus ſententiam meam declarare non grauabor; nàm breuiter eandem indicaſſe mihi videor in meo libello chalcanthino: ſed tu, forte non perpendiſti. Sunt igitur mea ſententia ſpiritus, & oleum Acidum Vitrioli, & Sulphuris conuenienti liquore diluta, & pota, citò, tutò, & iucundè curantia Medicamenta abſque periculo vllius vlcerationis, & noxæ, dummodo, vt dixi, ſufficienti aquæ miſceantur, conuenienti tempore, indicante affectu, & apta doſi adhibeantur, alioquin non hæc tantum, ſed cætera omnia medicamenta: immo Cibaria omnia præter modum, tempus, indicationem, & Doſim exhibita, non Amica; ſed inimica, & inſalubria ſunt corporibus noſtris.

Vera ſententia de ſpiritu, & oleo Vitrioli.

Scripſi dubitatione duodecima mei Dodecaporij Chalcanthini fol. 48. *Mihi autem quia frigidum, acidum, & ſiccans apparet, febri, calori, & putrida humiditati conuenire videtur, & nè noceat ſuis qualitatibus nimis intenſis, aqua actuali humiditate aptè conſultum cenſeo: opponitur tamen ratio in prima dubitatione adducta*. Hic, vt cernis, & ſolutionem affero, & ſolutionem quærere fingo, hoc tibi ſatis factum putabam cùm ſis perſpicaci, acutaquè mente præditus, nunc dicam apertiùs. Oleum Vitrioli validiſſimum medicamentum, acidiſſimum, frigidiſſimum, & ſicciſſimum, nec non mordax, atquè Eſcaroticum, & in ſumma omnibus qualitatibus potentiſſimum cùm ſit: ſi purum, & ſimplex fuerit adminiſtratum, vehementiſſimè aget, viribus omnibus effrenibus: at hoc modo non eſt in vſu Medicis; ſed Chirurgis, & laudandus quidē eſt vſus in eſchara oris vlceribus inducenda &c. ob ipſius qualitates à me dictas pagina 19. libelli mei Chalcanthini; non autem tale Medicis inſeruit ob ſummam actionem, & potentiam: nullus enim loquitur de potando hoc Oleo, vel ſpiritu ſimpliciter ſine alterius rei miſtione. Ob hæc conſilium iniecere ſagaces Medici, vt eius vires minuerent. Sed hic punctus,

quo medio? quo ingenio? Luſtratis Meſues Canonibus de correctione medicinarum repertum eſt initio Teorematis ſecundi. *Medicamenta nimis valida imbecillitari dupliciter, vel mixtione, vel alteratione, & præparatione. Mixtione quidem proportionati contrarij, vel tota ſubſtantia, ſeù proprietate ſua, vel temperie oppoſita, vel effectu ipſo. Arte verò imbecillitari alterando, ſeù præparando coctione, lotura, infuſione, tritura.* Si hæc omnia ad amuſſim conſiderabuntur, inepta omninò apparebunt pro correctione liquoris Vitrioli: ad hoc enim vt nè vrat, nec eſcharas inducat, quæ contraria proprietas ſpecifica eſt quærenda? Quæ intemperies corrigenda, ſi ex Minderero ſimul, & ſemel oleum hoc calidum, & frigidum eſt? nam ſi vnam corrigere conabimur, altera augebitur, & efferabitur magis, ſi verò effectui contraria opponere ſtudebimus, admiſcenda, quæ eſcharas curent, & prohibeant, certè erunt: non ergò niſi Oleoſa, & pinguia erunt addenda; at cùm non facilè ſint vnibilia pinguia, & aquea (huiuſmodi quidem naturæ Vitrioli oleum dicimus, etiamſi falsò olei nomen retineat) inepta videbitur correctio. Nec alteratione apparet corrigibile, ſi quidem infuſioni, trituræ, loturæ ineptum natura eſt: coctione verò vigorabitur, & potentius fiet; aſcendent enim debiliores partes, remanebunt infundo validiſſimæ. Exemplo poterit eſſe, quod attulit Mindererus noſter, c. 9. agens de rectificatione olei Vitrioli per arenam: *Quod in fundo remanet* (inquit) *chymicis magis vſibus ad metallorum operas deſeruit, tu nobile illud, quod alembicum tranſcendit in vſum medicum reſerua.* Deſtillatio hæc non eſt enumerata à Meſue, tamen reduci poteſt ad coctionem, at quæ correctio erit, ſi patet fundum coctione validius fieri? ſi verò cùm Minderero, quod aſcendet, ſumpſerimus, etiam ſi decies deſtillauerimus, & amplius, nunquam tamen fiet per ſe potabile, & ſinè vlla mixtione. Non ergò optima caſtigatio; nam adhuc alia eget caſtigatione, quòd ſi iterata deſtillatione, vt placet Quercetano, vel aliter dulcorabitur, (etſi Crollius fateatur ſe nunquàm habuiſſe purum Vitrioli oleum dulce) ego amiſſa aciditate, nè pili quidem fecerim, illa enim eſt potior vis, qua agit. Sed audio te obmurmurantem. Ergò ſpiritus Vitrioli incorrigibilis eſt, cùm nulla reperiatur ratio ipſum imbecillitādi? non aſſentior, attendito igitur.

Canones corrigendi medicamẽta.

Ol. Vitrioli non poteſt corrigi ſecundum regulas Meſues.

Deſtillatio an corrigat oleum Vitrioli.

An corrigibile oleũ Vitrioli.

Medici admodum diligentes has correctiones inualidas præmeditati, aliò, vt voti compotes fierent, mentem ſuam direxere. & ad olei huius quantitatem commutandam (cùm ſubſtantia commutari nequiret, nec auferri qualitates ei inhærentes) conatus ſuos impendiſſe viſi ſunt. Nam contemplati virtutem vnitam fortiorem, & in maiori quanto maiorem vim, propterea olei Vitrioli vnionem, & quantitatem ſubtiliſſimè comminuendas, & ſpargendas eſſe determinauere, vt vires ità diſſoluerentur, & ſepararentur, imbecilleſquè fierent: pro medio huiuſcemodi ſeparationis adſtitit ſimplex aqua, & huiuſmodi alia, his enim facilè miſcibile cenſuere. ſed ò felices Hermetici ſtatim voti compotes facti eſtis! Mixtione enim ſimplicis aquæ tantummodo, verax experientia docuit non guſtu tantùm; ſed viribus omnibus inualidius factum, ſic Vinum, ſic Acetum, ſic Sal, & infinita alia inualidiora apparent: hoc enim modo veluti triturantur in minimas, & inſenſibiles particulas, atquè Atomos, eſtquè veluti Analoga quædam tritura. Et ſicuti Colocynthidis fruſtra integrà deuorata nocent, ac vlcerant, alcholizata non: ità oleum hoc in aquam diſperſum, & Atomizatum erit imbecille, vti priùs purum, integrum, ac vnitum erat validiſſimum: & quò maior erit facta diuiſio particularum, eò actio erit etiam debilior reddita, minimè vlcerans, & minimè nocuum; ſed è contrà ſaluberrimum.

Vera correctio olei Vitrioli eſt quantitatis diſperſio.

Oleum Vitrioli ità debilitari poteſt, vt nullā edat actionem.

Poteſt autem hoc modo ità tandem eneruari, vt nullam penitùs edere queat actionem: teſtem volo Galenum 3. de ſimpl. med. fac. 23. *Opus eſt* (inquit) *vt quidquid agat, etiam ſi ſit valentiſſimum aliquam tamen, & magnitudinem habeat, quando nimirum, & ignis ipſe ſi prorsùm minimus ſit, præter quàm quòd non vret, nec calefaciet quidem, quippè cùm, & centeſima ſcintillæ portiuncula ſenſu nobis ſit imperceptibilis*. Quid, ſi cènſuit Galenus ignem omnium potentiſſimum quantitatis ſeparatione poſſe adeò debilem fieri, vt nec agat, nec ſentiatur, negabis fortaſſe, idem oleo Vitrioli accidere poſſe? ibidem etiam attulit exemplum de Cantharidibus. *Feruntur* (inquit) *alioqui ſpontè ſua Cantharides per vrinam ad veſicam, atquè ſic rodendo eam exulcerant: verùm vbi paucum ex illis, multis miſcetur bonis, atquè vtilibus, illa quidem velut manu ducunt, rodere tamen nequeunt*. Ecce Cantharides oleo Vitrioli multo nocentiores, tritura ſubtili, & quan-

titatis

titatis ſeparatione, dum compoſitioni alicui induntur, rodere, & nocere nequeuntes euadunt vtiles. ſtatuamus igitur ſubſtantiam olei Vitrioli, vel eiuſdem ſpiritus, vel ſpiritus ſulphuris, & cuiuſq. tandem rei diuiſibilis, mixtione alterius ſubſtantiæ minutim, & ſubtiliſſimè diuidi, & diſpergi, ex quo ipſius actio deinde fit imbecillis, impotens, & parua adeò, vt moderari, ac regi ſecundum voluntatem noſtram facillimè queat.

Porrò ſi mecum ſenſeris liquores hos acidos ſicca maximè intemperie in extremo exuberantes eſſe, & ab hac vires cauſticas prodire: ſtatim etiam agnoſces humiditate domandos, atquè optatum conſequeris ſimplicis tantùm aquæ mixtione; ſeparata enim quantitate in minimas particulas, & has diſperſas in aquam, vel aliam rem admiſtam, vis totalis deſtruitur, diſpergitur, & diſſipatur, inualidaq. redditur; paruaque exultat actio à paruis atomis diuiſim, ideò imbecilliter, agentibus: dicimus autem refrãgi, quatenus ipſius actio minor efficitur circa corpus humanum cui adhibetur, non autem ſimpliciter ſecũdum propriam eſſentiam: ſed tantum relatiuè. Deinde potentialis aquæ frigiditas adeſt, atquè etiam humiditas: & quidem opponitur ſiccitati olei aquæ humiditas, cumq. copia mineralem liquorem longè ſuperet, ſiccitas omninò refracta iudicanda erit: frigiditas verò vtriuſque combinatur; ob id acidi liquores ſimplici aqua diluti, maximè refrigerant, minimè exiccant. Itaquè refrangi dicimus vires huius olei, non oleum ipſum alterationem vllam pati: dico vires, & actionem, non principium actionis: aliud enim eſt, cauſam auferre, aliud verò effectum prohibere: ſicut, aliud eſt v.g. candelam accenſam auferre, vel extinguere, nè illuminet partem aliquam; aliud verò, candela accenſa permanente ſuo in loco, illuminationem illam prohibere præmiſſo, & interpoſito aliquo medio, ſeù potiùs dicẽdum aliam eſſe vim ſolis radiorum per aerem diſperſorum, aliam verò in vnum ſimul congeſtorum. Experientia patet, ſolis radios nihil vrere, nihil ignire, quòd ideò fit, quia vndiquè ſunt per aërem diſperſi, vt oleum Vitrioli per multam aquam: At ſi ſimul vniantur, vt accidit ſpeculi reflexione, vel tranſitu per frigidæ aquæ amphoram, ità efferantur, ità validi fiunt ob vires vnitas, vt quicquid occurrerit comburant, igniant, & deniquè in cinerem vertant, ſic etiam oleum Vitrioli purum,

Refrangun tur vires non ſubſtãtia olei Vitrioli.

& vni-

& vnitum adeò eſt in exiccando validum, vt comburat, & cauſticum ſit. Pari igitur ratione, ſicut ſolares radij aeri miſti eſſentialem alterationem non patiuntur, ità oleum Vitrioli aquæ miſtum nihil in ſe alteratur, nihil de ſuo ammittit, vel acquirit; nec commutatur à contrario ità, vt fiat aqua, vel aliud quid, adeò vt redire quale priùs erat, nequeat omninò: nàm nulla eſt actio eſſentialis, & qualitatum inter aquam, & oleum cùm nulla refrangatur verè, & propriè: ſed fit tantummodo diuiſio quantitatis in minimas particulas in aqua illa diſperſas; hac ratione carnem non poteſt tangere niſi leuiſſimè, tenuiſſimis nimirùm particulis, inde leuiſſima actio: & quò tenuiores hæ parriculæ fuerint redditæ, eò tenuior etiam, atquè imbecillior fiet actio, ita vt ſi purum adhibebimus hoc oleum, vehementiſſimum percipiemus, ſicciſſimum, & ſummè cauſticum; Si verò pauca aqua frænabimus, quia non in minimas particulas fuit facta ipſius ſubſtantiæ diuiſio, adhùc etiam erit cauſticum; ſed aliquantò imbecillius: ſi maior aquæ copia adhibebitur, cauſticum non amplius erit, ſed exiccans tantùm: ſi adhuc aquæ quantitas augebitur continuò minuetur eius ſiccandi vis; tandem, ſi nimia erit aquæ doſis, actio omnis peribit, ſapor inſenſibilis reddetur, & vires nullas habere apparebit; ſunt tamen ſemper in actu primo, non in ſimplici potentia, quamuis, actio non appareat ſenſui. Ariſtotelicus diceret eſſe actionem ſecundum rationem cum corpora naturalia neceſſario inuicem agant, ſed ſenſu non ſentiri, at nos Medici ſenſum ſequimur: non tamen rationem deſerimus. Conſtitutum enim eſt, actionem prodire ab agente in debita diſtantia, ſeù in termino ſuę actiuitatis conſtituto, & ſufficiēti quantitate determinato. Nam cēteſima ignis fauillæ pars vrere eſt inepta, vt dixit Galenus loco ſuprà citato, ſcilicet ad ſenſum.

Debilitatur ad libitum oleum Vitrioli.

Rectè igitur diximus dubitatione xij. *Aqua actuali humiditate conſultum.* Nihil potentialem humiditatem memorantes. Nam quamuis hæc poſtrema non parùm opis ferre poſſit: tamen quia hæc ſaporem non tollit, ſubſtantiam non comminuit, & particulam à particula non diſiungit, nec elongat, quæ eſt ratio imbecillitandi ipſius vires: ob id vt potiſſima cauſa nequaquam numeratur. Similiter enim Vinum, aqua Plantaginis, Acetoſæ, & huiuſmodi alia, etiam ſi potentia ſicca; quia tamen actu humida,

Actualis humiditas ſufficit pro correctione ol. Vitr.

aptiſ-

aptiſſima ad hoc opus dicimus; ſicut etiam omnia alia actu humida, & liquida, licet craſſiori ſint ſubſtantia, vt Electuaria, Conſeruæ, ſyrupi &c. dummodo ſint idonea ad diſpergendam huius olei ſubſtantiam in minimas particulas à ſe inuicem diſtantes; Aquam autem ſimplicem propoſuimus ob maiorem facilitatem.

Hæc eſt certior mea opinio, atque ex hoc fundamento omnia à me poſita in prima dubitatione ſoluentur, apparebitq. me negaſſe ſubſtantiam, & eſſentiam olei Vitrioli aqua alterari, ſenſu Medico, euinci, domari, ac mutari poſſe, quod & iterum nego: mixtio enim medica alia eſt à phiſica, hæc eſt miſtorum alteratorum vnio, illa verò tantum appoſitio, atq. cõfuſio minimarum particularum quoad ſenſum effugiant, concedo autem ſolam actionẽ impediri, imminui, vel etiam occultari nulla agentis ideſt ſpiritus Vit. paſſione eſſentiali, & ſubſtantiali, quatenus talis eſt, nulla contraria potẽtiali temperie, nulla proprietate cõtraria ſpecifica, nulla effectus cõtraria prohibitione, & oppoſitione ſenſibili: ſed ſolius quantitatis diſperſione, diuiſione, ac paſſione: quæ correctio, & refractio olei Vitrioli non poteſt dici formalis, & eſſentialis, vel interna & phiſica, cum non fiat à contrario agente, ſed accidentalis, externa, & impropria, & Medica. Nec ſaporibus imbecillitandis eorumquè effectibus tantùm adaptari poteſt; ſed coloribus etiam, odoribus, vocibus &c. Vt colores v.g. refranguntur & formaliter, & Accidentaliter. Exempl. cauſa. Niger color in atramento refrangi poteſt admiſtione albedinis, quæ eſt in Ceruſſa, & tunc, quia refractus à contrario, erit dicendus formaliter, & eſſentialiter refractus, & adeò, vt nullo modo poſſit amplius in priſtinam redire formam. Refrangitur etiam aquæ multa dilutione, & dealbatur; ſed per accidens dicetur refractus; nam, non à contrario, & per euaporationem aquæ ſuperfluæ, ità denigrari poteſt, vt prius. Odores verò, & Voces in paruo loco nimis validæ, & denſæ apricitate, & diſtantia ſentiendæ, ſic enim magis ſegregatæ minus validè ſenſus noſtros afficiunt.

Clara ſententia Auctoris.

Refractio qualitatum duplex.

Soluam modò, ſeu interpretabor ibi à me allatas rationes: ſoluam dico, non deſtruam hunc primum nodum propriè loquendo non communiter; nam funem meorum ſermonum nolo abruptam; ſed integram. Verùm nodum, qui arctiſſimus videri poterat laxabo, vt præſentem, & mox allatam diſtinctionem capere

Solutio nõ deſtructio dubitationis.

queat.

queat. Itaque affirmo iterùm (vt initio dubitationis primæ ſcripſi) oleum Vitrioli aquæ iniectum ſapore refractum videri, ſenſu ſcilicet, non ratione; ſubſtantia enim non refrangitur: ſed quantitas in minutiſſimos diſperſa Atomos, eſſentia remanente, abſquè eò quòd naturam mutet, vel aliquid ammittat eſſentiale.

Reſpondetur ad locũ Galeni 2. de ſ. med. fa.c.26.

Quod autem Galenus dixit, loco ibi citato, de ijs mineralibus, *quæ validas etiamnum ſuas vires etiam aquæ permixta obtinent*. Concedendum eſt omninò, dummodo proportionata ſint, tùm aqua admiſta, tùm Mineralium quantitas, quòd ſi alteruter modum exceſſerit, mutatur actio, adeò, vt ex pauca Calcithidis, vel Sandarachæ doſi, in multa aquæ copia, nulla penitùs actio ſentiatur, nullas vires actuari certum ſit: quod accidit ſolùm ob nimiam diſperſionem quantitatis illorum mineralium: vt in oleo hoc accidere iam diximus. nec enim dici poteſt Calcithis, Sandaraca, Vitriolum, Acetum ſunt talia, ergo Aqua, quæ parum quid ex his receperit, talis eſt: Nam multæ Termales Aquæ potantur vtiliter, quæ continent Sulfur, Bitumen, Alumen, Vitriolum, Calcem, Sandaracham, & ſimilia; nec tamẽ eodẽ in gradu habere qualitates illorum dicuntur, alia enim Poſcæ vis, alia Aceti, ſicùt alia O. Vitriol. puri, alia cum aqua miſti, id autem innuit ipſe Pergamenus. 4. de ſimp. m. f. 23. exemplo Roſæ. *Aquei humoris mistura* (inquit) *neque illud ipſum acerbum, neque ipſum amarum ſumme eſt tale, quale dicitur: qualitates enim omnes exoluit aquæ admixtio*. Claret igitur Aquæ mixturam valdè exoluere ſapores, & qualitates medicamentorum, quibus debilitatis actiones eorundem minuuntur.

Aquã exoluere qualitates ex Galeno.

Reſpondetur ad rationem de Hydrargiro.

Illud verò, quod attulimus de reſuſcitatione Hydrargiri ob calefactionem, & de olei Vitrioli adunatione ob ſeparationẽ aquæ admixtæ, probat tantùm non mutari ſubſtantiam, & eſſentiam mineralium tàm facilè, ac oleum Vitrioli paucula cum difficultate, ob grauitatem, aquæ vniri. Diximus ad hoc probandum, experientia edocti: *Aquæ purum hoc oleum infuſum ſtatim ad ima deſcendere, non miſceri ſine agitatione*, qui non credit, experiatur facilè diſcet. Et addidi: *Aquæ mixtum permanens per plures dies ad inferiora deſcendet*. Non fallax erit experientia, deguſtaui ego aquam infernam non parùm acidiorem, quàm eſſet ſuperna: nè decipiaris caueto, cenſens me aſſerere aquam ſuperiorem eſſe

Experientia Ol. V.

ſinè

ſine aciditate, non enim id aſſero;ſed minùs acidam, id etiam ratio perſuadet ob grauitatem,& multiplex experientia in alijs etiã rebus, vt in Vino,hoc enim aqua dilutum in Cado ſapidius percipietur in parte inferiori, quod in Vino cocto Veliterno didici diluto ab amicis expertis. Ego verò ſæpiſſimè deguſtaui ex vno magno Vini dolio puriſſimi, & ſinceriſſimi tres ſapores magis, & minus intenſos: ſemper verò in ſummitate debiliorem,& dilutiorem,& hoc notum eſt vulgo,& Cauponibus noſtris.

De Poſca quod dicitur, probabilius quidem eſt Acetum vini, ob maiorem cùm aqua cognationem, faciliùs illi miſceri, quàm oleum Vitrioli, hoc tamen deniquè vnitur,ideſt appoſitione partium: de ſubſtantiæ verò Aceti vinei refractione *credibiliùs* dixi, non autem omnino credẽdum quum aq.mixta in Acetum verum non migret,nec è cõtra, ſed maneãt iuxta poſita,quis enim auſus eſt id ſimpliciter aſſerere? poteſt enim Acetum deſtillatione ab aqua ſeparari, poteſt etiam vinum ab aqua liberari multipliciter, vt tranſcolatione per Vas tenue Hederaceum,vti docẽt I.B.Porta,& alij ex Catone;vel congelatione,;Vino enim diluto perfrigerato ex niue in Vaſe Vitreo occluſo, vt artis eſt,continuò videbimus aquã Glaciei forma Vaſis parietibus adhęreſcere,& ſic paulatim Vinum meraciùs fieri:nemo tamen hucuſquè (quod legerim) dubitauit de refractione Vini cùm aqua; quarè ergò dubitatur de O.Vitrioli? An quia Vinum purum, & meracum potum copiosè aliquibus nocet, etiam dicemus maximè dilutũ, & pauciſſimum nocuum eſſe? ſic ſi Vitrioli oleum purum eſt cauſticum, quis expertus eſt maximè dilutum cauterizare? ſic Vinum Thaſium vetus calidiſſimum eſt, tamen Hipp.3. de Morbis in fine inter frigefactorias potiones in febr. ardentibus ſcripſit: *Vinum Thaſium vetus parte vna cum vigintiquinque aquæ partibus dato.* Et quùm dixi: *In Oxicrato vegetabili Acetum in ſuam naturam redire non poſſe euaporatione, vel deſtillatione.* intelligendum id ſequi ex verbis Galeni (3. Acut. tex. 24. ibi citato) ſimpliciter prolatis, & craſſo modo intellectis. Nàm ſi exactè perpendentur fortè aliter indicabunt. verba Galeni ſunt: *Meliùs eſt, vt Oximel concoquatur: nempè virtus Aceti ità coctura imminuitur, vt è mulſa quidèm ab eo, cui miſcetur auxilium ſumat, offenſam autèm non habeat.* Si igitur cùm Mulſa Acetum decoquetur virtus (quia

Reſpondet ad rationẽ de Poſca.

Alia explicatio verborum Galeni.

occultatur ſapor) imminui videbitur Galeno: at ſi per ſe ſolum ebullierit negabunt multi Chimici debilitari: immò validius fiet; nam quod in fundo poſt coctionem remanet, radicatum Acetum dicunt cum Cratone. Etenim experiuntur, ſicut in Vini deſtillatione aquea pars in fundo remanet; ita in Aceti deſtillatione, aqueam partem è contra primo aſcendere, vt refert Andreas Plauuen in Epiſt. ad Mattiolum lib. 4. Quæ ſi vera omninò ſunt, coctio non efficiet in oximellite Acetũ imbecille; ſed alind quid. Ego referendum hoc putarem non coctioni reſolutoriæ; ſed mixtioni (non intelligo mixtionem Ariſtot.) per coctionem adiutæ, & quãtitatis diſperſioni; coctura enim, & rarefactione vi caloris melius, & tenuius miſcentur Mel viſcidũ, & Acetum, indè iſtud debilius ſentitur. Coctura autem ſi debilitaret Acetũ, id deberet operari cogẽdo partes acidas, & validas ad euaporationem, ſed cùm hoc non efficiat ex dictis Auctoribus, ſequitur non eſſe verum ratione propria efficere ea, quæ retulit Galenus loco citato. quod videtur expreſsè declarari ex eodem Auctore de Puero Epilept. dum agit de Oximellite: *Oportet* (inquit) *ipſum penitus decoquere: ita enim quæ miſcentur accuratè in vnum ambo deueniunt, & aciditatis vehementia, quæ in Aceto eſt, retunditur, & quod in melle inflatiuum eſt, caſtigatur.* hic patet effectum coctionis eſſe accuratam mixtionem, & ob mixtionem Acetum retundi, & Mel caſtigari: per mixtionem intelligo iuxta poſitionem, non Ariſtotelis mixtionem, & vnionem.

Quid ſit Acetum radicatũ Cratonis.

An coctura debilitet Acetũ.

Contrà aliter ſentiunt alij non vulgares Hermetici, vt Libauius lib. 8. Syntagm. Arc. cap. 28. de Aceto. dicunt enim ſe expertos in Aceto ſpiritum acidum leuiſſimo calore antè phlegma ipſum exhalare, vti etiam in acidulis apparet, quod pauci aduerterunt: & ideò Iſaac Holandus dixit: *Aceti ſpiritum millies eſſe ſubtiliorem ſpiritu Vini, adeò vt ſi rectè paratus ſit, nullis vaſis poſſit contineri, niſi dimidia parte fixus foret.* igitur in deſtillatione Aceti primo aſcendit tenuiſſimus ſpiritus acidus, deinde inſipidum phlegmá, poſtea liquor acidus, randem ex fœcibus vſtis acris emanat: ſed ad cocturam redeuntes dicemus coctura Oximellitis, vel euaporare acidum tenuiſſimum ſpiritum, vel cùm melle fixari, & retineri beneficio optimæ mixtionis, & non guſtari ſenſu; & quolibet accidat modo rectè dixit Galenus coctura

Deſtillatione Aceti primo exire aciditatem, tenuiſſimum.

Aceti

Aceti vim hebetari: quod autem Acetum in Oxicrato in priſtinam formam ſecundum poſtremam poſitionem redire nequeat, videtur clarùm; nam deſtillatione Oxicrati acidum nullo modo primo deſtillabit, nec euaporatione poterit tanta diligentia ſeparari totaliter aqua, quin ſecùm leuiſſimos deferat acidos ſpiritus Aceti. An fortè ſuos acidos ſpiritus non dimittit Acetum, niſi cùm purum calore vrgetur?

Ad id autem, quod attuli de adunatione olei Vitrioli in ventriculo, & ob id ſuſpecta exulceratione, ità erit reſpondendum, & explicandum, aſſerendo, non poſſe accidere in humano ventriculo, & corpore ab aſſumpto Oxicrato minerali hanc ſeparationem olei Vitrioli ab aqua: tùm quia in pauca ſumitur doſi, guttarum ſolum modò aliquot (quamuis ad ſcrupulos, & vltra aſcendere ego ſoleam) tùm etiam quia infinitè, & tenuiſſimè diuiſum potatur. Et ſi daretur caſus, in quo Oxicratum hoc permaneret ſolum in ventriculo per duas, vel tres horas, vbi ebulliret, vt totalis aqua conſumari poſſet per aſcenſum, hanc ſeparationẽ omnino concedendam putarem: ſed res alitèr ſe habet, nam potum Oxicratum miſcetur cibis, & humoribus in ventriculo contentis: ideò etiam ſi per aſcenſum ſepararetur tota illa aqua, cui mixtum erat id oleum; (quod inauditum eſt) non tamen ideò poterit ſimul vniri tota olei Vitrioli aſſumpta quantitas; quæ erat diſperſa inter materias ibi contentas: imò nec gutta quidem vna ſimul adunari poterit ex mille atomis, in quos diſgregata fuit. Prætereà neque concedenda erit illa imaginaria diſtillatio per aſcenſum in vẽtriculo, nec ſeparatio totalis aquearum partium à grauibus metallicis, quamuis hanc paſſim apud Chimicos fieri videamus. Leuis enim in ventriculo fit coctio, non conſumata deſtillatio: at ſi deſtillationem appellare liceret, potiùs per deſcenſum deſtillari dicerem, nimirùm ex ventriculo ad inteſtina, vel per latus ab inteſtinis ad hepar; quòd ſi quid aſcendit, vel per attractum, & ſuctum, vel per proiectum, & impulſionem, fortaſsè ſurſum feretur: vt aqua fontis ſalit in altum impulſa, quamuis contrà naturam ſuam. Diſperſa igitur illa pauca olei quantitate in tanta aquæ copia: deinde iterum diſperſo hoc Oxicrato, & diſtributo per totum corpus, & in omnes venas, ac ſanguineæ maſſæ peroptimè mixto, & veluti exquiſitè ato-

Reſpondetur ad obiectionem de adunatione ol. Vitr. in ventric.

Ol. Vitrioli non poteſt vniri in corpore.

mizato, incredibile indè eſt, non ſolùm paucum illud oleum reuniri poſſe; ſed nec illa ipſa aqua fortaſsè in vno loco vnibilis cenſenda erit. Quare dicemus olei Vitrioli atomos eſſe imbecillitatos, & inualidos, quia nimis tenues. Agens enim, vt ſæpè dixi, debet eſſe determinatum, & quantitatum, principio autem Oxicratum hoc potum in iuſta doſi menſuratum aget in corpus noſtrum ſecũdùm particulas in quas diuiſum eſt, tempore verò procedente, quia per corpus diſtributum in multò adhùc tenuiores particulas, & veluti in Atomos indiuiſibiles, ſegregatur, adeò fit imbecille, vt nullam denique edens ſenſibilem actionem, per corpus diù vagatum, tandem cùm excrementis extropellatur.

Reſpondetur ad exẽplũ de Hydrargiro.

Exemplum autem de Hydrargiro allatum nõ vim facit Vitrioli o'eo; tùm quia diuerſimoda eſt actio, oleum enim hoc per qualitates manifeſtas agit ſcilicet per Acidum ſaporem, & ſicut de Roſa dixit Meſues: *Abſciſſa rubedine eſt tanquàm homo mortuus*, Ità de Acido oleo dicimus: *Abſciſſa aciditate eſt tanquàm homo mortuus*. Quæ aciditas multa aquæ copia obruitur. Hydrargirum autem non per ſaporem agit; (niſi ipſum habuerit præparatione) ſed per ſubſtantiam grauem, vel occultam, & ſpiritualem vim, tum etiam quia Hydrargirum inunctum, etiam, ſi videatur in minimas partes diuiſum; tamen quia particulæ hæ non ſunt tenuiſſimæ, & proprietatem habent petendi vacuitates oſſium, ideò eò ſe conferunt omnes paulatim, & ibi vnitæ quieſcũt etiam per plures annos: hæc ergo proprietas, & reſpectus, adiuncta natura alia, qua ſæpè videmus noſtris oculis multa ipſius granula ſtatim in vnum coadunari. cuius rei cauſam cenſemus, quia nulli alteri rei miſceri poteſt, vt miſtione alligari queat. Contrà oleum Vitrioli tenuiſſimè diuidi poteſt: & quia nullam determinatam reſpicit partem; ideò vbiq. fertur penetrationem ſua tenuitate quærens, at quia nullibi determinatè fertur, & in nulla determinata coaceruatur parte, vt Hydrargirum; ideò nullibi vnitum reuiuiſcere poteſt, nullibi quieſcens exaltari, depurari, & congregari idoneum exiſtit, & cùm de ſalis natura ſit aquæ facilè miſcetur. per totum igitur corpus delatum indeterminatè, & ſemper in motu, tandem expelletur, quùm adeò tenue redditum fuerit, atq. diſperſum, vt agere nequeat, & expulſioni reſiſtere, quamuis alioqui natura ſua, tùm aciditate, tùm aſtrictione propria, virtu-

Cur Hydrargirum diſperſum reunitur.

tem

tem roborans, expulſioni ineptum, & renitens videri potuerit. Quo conſtat, non conceſſa (vt impoſſibili) olei readunatione, ſequi Dyſenteriam minimè eſſe timendam, de qua dubitabatur, dummodò conuenienter adhibeatur, alioquin etiam Oximel ob Acetum, quod tamen debilius multò eſt, tùm ex Hipp. 3. Acut. 32. *Inteſtina humectiora, atq. in ijs ramenta, & abradendo vlcera efficit*. Tum etiam ex Galeno 11. meth. med. 11. *Si immodicè vtare, & inteſtina radit, & tuſſim excitat, & neruoſa lædit*. Ob id concluſum à me eſt: *Oleum Chalcanthi non niſi guſtu*, & qualitatibus à ſapore procedentibus: *Refrangi poſſe aqua, vel ſimplicium decoctis, ſuccis, ſyrupiſquè admixtis, & ex longo pluriq. ipſius Oxicrati vſu ſauam imminere dyſenteriam*. Refractam quidem qualitatem, & conſequētér imminutum ſaporem, & alias vires ſaporem præcipuè acidum inſequentes intelligimus, (quod ſatis eſt pro correctione) nón autem ſubſtantiam, vt toties diximus, periculum ergò dyſenteriæ iam explicauimus, ſcilicet tantùm imminere, ob nimiam quantitatem vel depurati olei, & immixti, vel diluti quidem, ſed vna vice aſſumpti, vel etiam frequenter, plurimùm, & longo tempore vſitati ſine neceſſitate, in tempore, morbo, & complexione non conuenientibus. Alioqui methodicè adhibitum dyſenteriam ipſam ſanat teſtibus Quercetano, & Lau. Hofmanno, omneſq. ſanguinis fluxus: ſicut etiam Diarrheam, bilioſos, & ventriculares fluxus iuuare ſcripſerunt ipſe Mindererus, Neander, Euonimus, Zapata, Roſſellus, Gerardus Dorneius lib. 3. Artis Chemiſticæ cap. 2. cum aqua plantag. fluxum reſtringit ventris: atque etiam vomitum, & ſanguinis è pectore fluorem omnem, vt alia epiſtola demonſtrabimus clariſſimè. Ang. Sala in Tern. Bezo. c. 10. de dyſenter. pro præſeruatione vtitur quotidie. 3. vel 4. guttis olei Vitr. vel ſulph. cum Vino & Henr. Petreus dyſentericis ſpiritum Vitrioli cum conſ. viol. roſ. exibet.

Negatur diſſenteriā à probo vſu ol. Vitr.

Dyſenteriā ſanat oleū Vitrioli.

In ſumma vt vno verbo dicam ſcias nomen mixtionis eſſe æquiuocum, alia enim eſt mixtio Ariſt. alia verò Medica: qui rectè diſtinguet facilè dubitationem noſtram ſoluet, & in hac æquiuocatione conſiſtit tota vis noſtræ dubitationis.

Eccè ſatis ſuperquè declaraſſe mihi videor dubitationē hanc, & ſcrupulum omnem ademiſſe: non erit igitur, quod ampliùs

me arguas. Quid ego credam, & quantùm huic oleo (hoc oleì nomine intelligo nunc vulgo dictum oleum acidum, & ſemper ſubintelligo Vitrioli ſpiritum) credendum iam oſtendi. Vtatur igitur in poſterum quilibet hoc medicamento meo, aliorumquè doctiſſimorum exemplo, (qui ſi nocuum reperiſſent neutiquam tantùm laudaſſent) ſine vllo metu, ſiue dubitatione vlla, ſine ſcrupulo, ſine imaginatione vlla periculi, malignitatis, vlceris, veneni, &c. dummodo conuenienti doſi, mixtura, tempore, loco, & affectu exhibeat; & latrent quantùm volunt, & ad raucedinem vſque, vel etiam ad ἀφωνίαν, veluti canes, aduerſarij, quia ne hilum quidem proficient. Tu interim vale, hoc vtitor, ſapienter, pariterq. fœliciter, & me amato.

Hortatio ad Lectores.

Romæ Idibus Februarij 1622.

Ad Perilluſtrem, & Præclariſs. D.D. Ioannem Baptiſtam Melſium Chimicum Excellentiſſimum, & à cubiculo Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Card. Burgheſij Pauli V. Pont. Max. Nepotis.

EPISTOLA SECVNDA.

Oſtenditur auctoritate, Ratione, & Experimentis contra Raimundum Mindererum, Oleum Chalcanthi vtile eſſe ſputo ſanguinis.

NOLLEM te ſuſpicari (Clariſs. vir.) me dubitationes edidiſſe circà vſum tùm Vitrioli ſpiritus, tùm olei communiter dicti, eo conſilio, vt eius vſum ſuſpectum apud legentes redderem: ideò in mentem venit etiam eius vſum laudare ad morbos aliquot, quibus non conferre ſcripſit magnus Vitrioli facultatum coaceruator, & indefeſſus Vitrioli laudum exaltator Mindererus. Sermo noſter in hac Epiſtola erit oſtendere apprimè ſalubrem, & vtilem fore vſum ſpiritus, & olei Vitrioli (acidum oleum ſemper intelligo) in ſputo ſanguinis. Leuiter hanc materiam tetigimus dubitatione noſtra in ordine quinta, nunc perficiemus. Scripſit Raimundus Mindererus Medicus Germanus doctiſſimus cap. 9. tractatus ſui de Chalcantho: *Ad pectoris morbos, & affectus pro parte mea liberè, candidè, ac ſyncerè fateor me in ijs oleo Vitrioli parùm, imò vix quicquam tribuere, dummodò eos non exacerbaret, offenderet, ac exaſperaret, licet ſint, qui promiſcuè eo in iam dictis pectoris, pulmonis, ac pleuræ morbis vtantur.* Deindè paulò poſt rationem reddens: *Oleum ſulphuris* (inquit) *tantam aſtrictionem non habet, quantam Chalcanthi oleum: vndè in morbis pectoris meritò oleo Vitrioli præferendum; duo namque ſunt, quæ olei Vitrioli vſum in pulmonibus, ac pectoris vitijs diſſuadent, primum eſt acrimonia his locis infenſa, ſecundum eſt Acetoſitas ijſdem partibus inimica; tùm & aſtrictio eas exaſperans, quibus occaſionibus ſingulis*

De quo agendum hac epiſtola.

Minderi ſententia refellēda.

ſimul

ſimul, & ſemel eæ partes offenduntur, quæ Bechicis remedijs indigent, & tractari poſtulant, ac linctubus conſolari ſueuerunt, mollibus ijs quidem, ac planis, & ab omni vel Aciditate, vel auſteritate alienis, vnde oleum Vitrioli à pectoris curatione eximitur, vtpotè his vitijs pellendis ob dictas iam cauſas haud accõmodum. Et ex his in vniuerſũ prohibet oleũ Vitrioli pro pectoris Morbis: ſed magis in particulari libro de peſtilentia nuper aucto. cap. 17. de eodem agit, & vetat: *Vbi exulceratio aliqua interna, vel vaſis alicuius diſruptio eſt.* Et iterum paulo poſt negat, *Phthiſi, ſputationi cruentæ, mictui ſanguinis, Renum, & veſicæ exulcerationibus, Ventriculi phlegmoni, Pleuritidi* conuenire. Ex his vnum tantùm pro hac vice in præſenti Epiſtola affectum curandum oleo Vitrioli ſuſcipiam, Hæmoptoicũ nimirum, vt mox dixi.

Oſtenditur Auctoritate Hæmoptoicis conuenire Ol. Vitrioli.

Si hoc probandum volueris auctoritate aliorum hoc oleo in Hæmoptoicis vtentium, aderunt tùm rationales, tùm Empirici Medici plures nobiſcum ſentientes, & hoc oleum ſummè in hoc affectu commendantes, inter primos ſunt Erudititiſſimus Capiuacceus, & Mercurialis, qui indubitanter id exibent, & Ioannes Baptiſta Zapata Medicus, & Chirurgus Romanus, quem noui iuuenis, valde ipſum laudat, vt etiam Laurentius Hõfman lib. de Vſu, & abuſu med.chim.nec non Penotus, & alij Docti Viri rationales, & Galenici. taceò Paracelſiſtas. inter Empiricos enumeraſſe ſit ſatis Timoteũ Roſſellum, & Pharmacopeum illum de quo Petrus Monauius Epiſt. 219. ad Thomam Eraſtum: *Pharmacopeus quidam* (inquit) *erat ſuperioribus annis Patauij, qui multos propter vaſis alicuius in pulmonibus eroſionem, ſiue ruptionem, ſanguinem expuentes, hoc medicamenti genere fœliciter curabat.* His addam in omni ſcientiarum genere peritiſſimum Io. Baptiſtam Portam Neapolitanum lib. 7. de deſtillat. c. 3. qui ſciens innumeras eſſe olei Vitrioli vires in Chymiſtarum libris ſcribit: *Nos à nobis expertas apponemus.* Deinde duos tantum ipſius vſus, ſcilicet primum: *Gutta vna quotidie vino albo mane aſſumpta pingues homines demacrare facit, ſine læſione.* Alterum verò vſum afferens ait: *Gutta exhibita, quibus ruptæ ſunt in pectore venæ, conglutinat, & ſanat.* Tandem addam A. ſalam dicentem Aduenas pectoris ruptas, & excretionem ſanguinis, cum aq. ſang. humani balneo Mariæ extracta, ſummum eſt arcanum ter, aut ſi poſtula-

ſtulauerit neceſſitas pluries exhibitus; ſumãtur guttæ 6.iſtius ſpiritus, Aq.ſang.drac.ſemis in iuſculo. & tu Io.Baptiſta Melſi, qui es Chimicus expertiſſimus, & eruditiſſimus Illuſtriſs.& Reuerendiſ. Card. Burgheſij nobis teſtatus es plures te ſanaſſe Hæmoptoicos ſpiritu Vitrioli, quē optimũ tu ipſe præparas.& horũ clariſſimorũ Auctorũ patrocinio ſatis tuta, & deſēſa videtur olei Vit.exhibitio in Hæmoptoicis cõtra Mindererum, & alios minoris auctoritatis.

Si experientiam quæres hæc nos non deſtituet. Porta vt dixi, teſtatur, ſe valdè vtile in ſpuentibus è pectore fuiſſe expertum. Et Pharmacopœus ille Patauinus experimentis ſuis, idem plurimis, & Monauio notum fecit. Sed ego magis credo meæ experientiæ quàm centum teſtibus, etenim plures curaui à ſputo ſanguinis Vitrioli ſpiritu, vel oleo acido. ſed inter alios, Innocentius Lancellottus Spoletinus Chirurgus Romæ degens ſexagenarius anno 1620. noctu poſt cœnam ſanguinem expuit, cùm valida tuſſi vltrà, 4. vel 5. libras, concomitantibus dolore pectoris in latere ſiniſtro, & maximo faucium ardore, & calore, ſanguis erat ſpumoſus, & rubicundus, vocatus hora 5. noctis ſtatim exhibui ſpiritus Vitrioli Scrup. ſemis Aquæ plantag. vnc.4. in inſtanti ab aſſumpto hoc Oxicrato me præſente refrigeratũ ſe dicebat, & cõſolatum ablato illo ardore, & ſanguis nullus poſtea apparuit, nulloq. alio adhibito medicamēto conualuit; ſed imbecillis, ob multã ſanguinis copiã excretã, diù permanſit. quod idem remediũ etiam ſæpius adhibuimus vtiliter ſpuentibus paulatim ſanguinem, amicosq. idem expertos plures audiuimus. Sed aliam hiſtoriam ſilentio obuoluere nequeo, prima Iulij 1621. Maria Belga ſexagenaria poſt obitum Viri ſui valde mœrens laborabat Hypocondriorum dolore, tandem mane exurgens vomuit ſanguinis puri circiter lib.ij. & poſt duas horas iterum vomuit ad lib. iij. ſanguinem, & aluo magnam nigri, & congelati ſanguinis copiam deiecit, vocatus doctus quidam Medicus nullum eſſe remedijs locum pronuncians deceſſit, accedens autem ego ſtatim propinare iuſſi ſitientem ęgram, quod Recipit. Aq. plantag. vnc. vj. ſy. de Roſ. ſiccis. vnc. 1. Ol. Vit. Scrup. ſem. bibat. Vomitus ceſſauit quidē, ſed per aluum ſanguinem congelatum nigerrimũ deijciebat, & valde fœtentem, plures animi defectus apprehendebant, & Hypocondriorum dolor perſeuerabat, ob ſanguinem igitur quem

Probatur experiētia O. V. vtile Hæmoptoicis.

Hiſtoria ſanati.

Hiſtoria vomētis ſanguinem.

putabam intùs adeſſe congelatum, iterùm eundem potum exhibui, & melius ſe habere videbatur, 9. tamen die iterum ſanguinis lib.iij. euomuit, & febris ſuperuenit, vnde Medicus alius accedens malo prognoſtico, & ipſe hanc dimiſit. iterum Vocatus eandem potionem dedi. à qua Vomitus ſedatus. deinde congruentibus alijs adhibitis remedijs, ſanguis deorſum niger, & fœtidus fluens ceſſauit, febris dimiſit, ſyncope, & Hypocondriorum dolores, & alia remiſſa fuerè circa 14. ſed paulatim crura intumuerunt, & Hydropica facta menſe Decembri obijt. Hanc attuli Hiſtoriam, vt pateat etiam Vomētibus ſanguinem oleum Vitrioli prodeſſe, nam mulier hæc à Vomitu ſanguinis re vera ab hoc medicamento ſanata fuerat, ſed cùm eſſet ſexagenaria, & multis laboribus, & mœroribus confecta, ac non ſolum per vomitum vltra 8. ſanguinis libras eieciſſet, ſed multò maiorem copiam per aluum emiſiſſet. Hepate debilitato, & perfrigerato non mirum fuit, ſi Hydropica facta fuerit.

Vt autem oſtendam me ratione firma, & vera (vt ex effectu confirmauit experientia) inductum, rationali, & Galenica indicatione innixum, hoc oleum cùm aqua plantaginis Hæmoptoicis exhibuiſſe; non autem ſcriptorum ſola auctoritate fretum, atq. etiam vt demonſtrem Auctores id præſenti affectui commendantes, non caſu, ſed maturo conſilio ipſum propinaſſe, rationes, & indicationes requiſitas afferre conabor.

Primū fundamētum. Statuendum autem primo eſt Oxicratum hoc minerale viribus aſſimilari Vegetabili Oxicrato, ſicut Acetum Vini ſpiritui, & oleo Vitrioli, vel Sulphuris: multas enim vires communes habent 1. ſaporem. 2. fermentationem. 3. colorum exaltationē. 4. Margaritarum ſolutionem. 5. cutis exulcerationem, & corroſionem plurimarum rerum. 6. Metallorum calcinationem. 7. cum ſucco citri acido maximè conuenire apparet in dentium alligatione. 8. deniq. vtriuſq. ſimilis (ſecundum plures Auctores) eſt in deſtillatione ſeparatio ab aquoſitate: nam deſtillando in ambobus, vt quidam referunt, primo aquoſitas, & phlegma aſcendit, ipſa verò remanent in fundo, vel vlteriori igne vltimò tandem aſcendunt. oleum Vitrioli acre, & Acetum Acidiſſimum. Differentia autem ipſorum eſt tantum ſecundùm magis, & minùs, deinde etiam ob quaſdam reliquias prioris materiæ non benè ſeparatæ. Atqui

Similitudo Oxicrati Vegetalis, & Mineralis.

hæc

hæc duo Oxicrata magis, & minus valida fieri poſſunt ſecundùm variam quantitatum mixtionem. Hoc poſuimus fundamentum (quod etiam clariùs in alijs Epiſtolis probatur) vt à pari argumentaremur, vel ſaltem à parùm imbecilliore: Namq. cùm Oxicratum Minerale ignotũm fuerit Antiquis, de eò præciſè ipſos differentes audire nequimus: ideò ſi probauerimus ex Veterum ſententia, & Methodo, Oxicratum Vegetabile conuenire Hæmoptoicis, facilis erit inductio, & tranſitus rationabilis à Vegetali ad Minerale: nam & hoc à Philoſophis Hermeticis etiam Acetum dicitur, ſcilicet Minerale, Montanum, Naturæ, Eſurinum, &c.

Igitur Hæmoptoicis Vini Acetum, & ex ipſo, & Aqua, Oxicratum Græcorum, ſeù Latinorum Poſcam, conuenire, tota Antiquitas publicè adhùc fatetur, & clamat. Siquidem Dioſcorides. *Erumpentem* (inquit) *vndecunque ſanguinem potu, inſeſſuue ſiſtit*. A qua ſententia non abhorruiſſe apparet Hippocrates cùm ſcripſerit 2. de Morbis. pag. mea. 196. *Si ſanguinem vomat, aut è naribus fundat acetum album aquoſum bibendum dato*. Sed audito Cæliũm Aurelianum, qui ex Methodica ſecta fuit, & noſtræ plurimùm fauet ſententiæ, hic lib. 2. cronicon. cap. 13. de ſputo ſang. Poſcæ frigidæ ſorbendos dat Cyathos duos, vel tres: & in cibo dat panem cùm poſca: & Oua tremula ex poſca: dat etiam plantaginem, vel bulbos, vel cocleas ex Aceto. deindè apertè his aureis verbis ſic effatur: *Acetum deniquè ſyncerè dabimus ore retinendum, vel gargarizandum, aut ſorbendum, ſpreto quorundam iudicio, qui aſperum, vel tuſſiculam commouens, atq. fluorem prouocans Acetum dixerunt; ſiquidem etiam gelatum ſanguinem ſoluet. Etenim aſperat, vel tuſſiculam commouet, ſi iugiter, atq. immodice fuerit datum. Soluit autem eius percuſſibilem virtutem diſtantia temporum oblatione variata, quæ non ſenſibili tractu; ſed remiſſibili quadam digeſtione longioribus actibus immoratur. item quod fluorem non prouocet, demonſtrandum non eſt: ſiquidem ſit manifeſtum, vulneribus conſtitutis in internis corporibus neceſſariò feciſſe denſitatem, & propterea conducibilis, atq. glutinantis virtutis fuerit approbatum. danda etiam Acacia Aceto ſoluta, aut Poſca*. Deinde aliorum placita referens, ac reſellens: *Item Acetum* (inquit) *alij tanquam tuſſiculam, vel fluorem*

Acetum optimum Hæmoptoicis.

Dioſcorides.

Hippocrates.

Cæl. Aurelianus.

Acetum ſincerum.

commouens expulerunt, vel quod duras partes denſando faciat. Themiſon verò ijs repugnans adhibendum iudicauit, atteſtante etiam Theſſalo. Alij aiunt eius acrimoniam, vel nimietatem temperandam admixtione aquæ. Deinde ſubdit: *Peccant etiam non aliter, qui bibendum Acetum negant: non enim in omnibus fluoribus ſanguinis dandum probatur; ſed in ijs, qui approbato, atq. largiſſimo fluore vexantur, in paruis enim aqua frigida ſufficere poteſt, aut admixto pauciſſimo Aceto. Ac ſi tumor fuerit atteſtatus, vt complexam paſſionem demonſtret, procul dubio conſtringentia fugienda, quantum res pati, vel admittere poſſunt. Eſt igitur improprium, vti ea, quæ incongrue adhibita nocere demonſtrentur, etiam cùm neceſſariò conuenire fuerint viſa prohibenda exiſtimentur: etenim aduerſantia ſolutioni tuſſiculam ex fluore venientem mitigant, atq. ipſum fluorem conſtringunt, & ſanguinem retinent cobibendo, & neq. inurunt: ſiquidem ſæpe redditæ per digeſtionis vias patientibus partibus aduenient temperata, atq. admixta liquidis in alto conſtitutis: & propterea obtuſa virtutis violentia perdurant.* Gariopontus etiam vetus Auctor Poſca valde vtitur, primo gargarizando, ſi fauces affectæ. Si ex alto fluat ſanguis; bibendam dat poſcam: ſi de pulmone ſanguis fluxerit, *Cauendum* (ait) *ne Poſcam bibant.* Thorax ſanguinem emittens curatur Poſca ſinè ſale bibita. Si ſtomachus, & venter ſanguinem effundunt, dat lenticulæ in aceto coctæ ſuccum bibendum. & capite ſequenti multa medicamenta ex Poſca propinat Hæmoptoicis. Scribonius Largus cap. 83. & Marcellus Empiricus c.17. ſic aiunt. *Acetum interdum per ſe ſolum magnifice ſolet prodeſſe.* Cornelius Celſus lib.4. agens de difficultate ſpirandi. *Aſclepiades* (inquit) *Acetum ait quàm acerrimum eſſe ſorbendum: hoc enim ſine vlla noxa comprimi vlcera; ſed id ſupprimere ſanguinem poteſt: ulcera ipſa ſanare non poteſt.* Deinde agens de ſputo ſanguinis, ſi ex gingiuis exit, ore vult contineri Acetum. *At ſi ex faucibus* (ait) *interioribuſq. partibus proceſſit, protinus debet ſorbere Acetum.* Dioſcorides dedit mentæ ſuccum cùm Aceto: Et Galenus de med. par. fac. ad Sol. 25. ſcribit ad ſanguinis ex ore profuſionem; *Iuuat Acetum abſorptum præcipuè ſcillinum.* Deinde ad eos, quibus ex aliqua vi in interiora ſanguis erupit: *Accipe Vitis cinerem Aceto extinctum, pluſque Aceti ſuperfundens*

Gariopontus. Scribonius Largus. Marcellus Empiricus. C.Celſus. Aſclepiades. Dioſcorides. Galenus.

fundens madefacito, & per panniculum excola, id modica aqua temperatum propina coeleariorum ſex menſura: hoc & locum ſanguinem fundentem adſtringit, & concretum ſanguinem deuoratum excernit, & cruoris profluuium compeſcit: nam ſanguinis in interioribus locis exitum coercet. & cap.84. dat duas Puluerum compoſitiones cum Aceti hemina, & libro dicto introductio ſcribit Galenus: *Salus vitij huius eſt, ſanguinem reprimere, vel venæ ſectione, vel poſca ſiſtentem, vel inedia, vel ſimplici quodam medicamento ut Acacia.* Sed clariùs 5. meth. c.8. *Cum vel caſu, vel præualida, acutaq. voce Vas aliquod in Pulmone rumpitur. citraq. dolorem confertim ſanguis feruens, floridus multuſq. cùm tuſſi expuitur, ſcire licet in Viſcere vulnus eſſe.* Et poſt pauca verba ſubdit: *Vbi hæc ſunt facta primùm poſca, tùm diluta, tùm tepida, potus eſt offerenda, quo, ſi quis in viſcere trombus, ideſt cruor concretus latitet, reſolutus expuatur: atq. hoc nihil vetat bis, terue ternis horis facere.* Galeno autem poſteriores Medici, & ipſi poſca in hoc affectu vſi ſunt, vt Aetius ſerm.8 c 63. Actuarius, & Alexander Trallianus. Paulus etiam Aegineta *ſuper bibant* (inquit) *Poſcam frigidam.* Eadem etiam vtitur in hoc affectu Oribaſius lib.9. Synopſeos immo etiam Areteus Cappadox. Quintus Serenus, & Plinius lib.1. de re medica cap. 64. 65. 66. Addendus eſt etiam Auicennas hoc clariſſimè docens. *Et quandoq.* (inquit) *eſt eis conueniens, vt in potu ſumant Acetum mixtum cum aqua, ipſum enim probibet ſanguinis curſum, & mundificat partes pectoris, & pulmonis ex ſanguine, ſi retinetur in ipſo, quarè non congelatur.* Et circa finem capitis ſubdit: *Et probibitio Apoſtematis eſt cùm probibitione cibi, & attractione materierum ad extrema, & infrigidatione pectoris. Et oportet vt ſorbeat Acetum mixtum multoties.* deinde. *Et quando timetur congelatio ſanguinis in Pulmone, oportet, vt potetur in principio Acetum mixtum cùm aqua, niſi tuſſis adſit, tunc enim oportet, vt Caueatur Acetum.* Si Recentiorum libros reuoluemus plurimos aſſentientes inueniemus. ita Gattinaria, & Iacchinus tuentur Auicennam Aceto vtentem contra Auerrem prohibentem Acetum, quia prouocat tuſſim, & ſic prohibet conſolidationem, & reſpondent, ſi tuſſis adeſt, non conuenire, vbi non, conuenire ad incidendum. Gentilis, & Sauonarola Auicennæ conſentiunt.

Aetius. Actuarius. A. Trallianus. P. Aegineta. Oribaſius. Areteus. Q. Serenus. Plinius. Auicenna.

Gattinaria cōtra Auerroem. Iacchinus.

Quin

Gentilis. Sauonarola. Bauerius. Omnes Auicenniſtæ. Galenici. Altimarus. Capiuacceus. Maſſaria. Cæſalpinus. Tricauellius. Hollerius Duretus. Guarin. conſ. 596. P. Pereda. Hiſpan.

Quinimò Aceto etiam cum aqua frigida vtitur Bauerius de Bauerijs conſil.42. & cæteri Auicenniſtæ, quos omnes deſcribere piget. Ex Galenicis verò idem docent Altimarus, Capiuacceus, Maſſaria, Cæſalpinus, Trincauellius, & alij plurimi Galenici, quos omnes ad vnum velle enumerare, abſurdum eſſet: iam enim ſufficientes, & præcipuos attulimus teſtes indicantes in ſputo ſanguinis vtile tàm Acetum mixtum, quàm ſimplex. ex dictis ergo patet neque acrimoniam, neque aciditatem Aceti obſtitiſſe, quin citati Auctores Hæmoptoicis Acetum exhiberent. vnde ſequitur inualidum eſſe Mindereri argumentum, & ſermonem falſum, aciditatem ſcilicet, & acrimoniam pectori ita aduerſa, vt nunquam eidem prodeſſe poſſint. Nos verò vltrò pergentes etiam vtiliùs inferemus, & rationabiliùs argumentabimur. Si Acetum vegetale adeò Hæmoptoicis aptum, vt conſtitit, cur non æquè aptum dicemus Minerale Acetum ipſi ſimillimum, vel ſaltem ipſius Oxicratum? Si nimis validum dices, ridiculum dices, nàm, ſi libet, ipſum reddere imbecillimum potes, vt Epiſtola prima clarè demonſtratum à nobis eſt.

Inductio ab Aceto Vegetali ad minerale.

Quæſtio.

Si quæres, quomodo Acetum, & Poſca indicentur à ſputo ſanguinis, & qua actione illi ſubuenire queant.

Vt tibi ſatisfaciam, afferendæ in medium erunt cauſæ huius affectus, à quibus hauriendæ indicationes: inde poſtea conſiderabimus, an & quomodo Acetum vegetabile, Aceta montana, &. horum Oxicrata indicationes requiſitas præſtare valeant.

De loco affecto.

Primo de loco affecto ſupponendum cùm Galeno 4. de loc. aff. 5. cæteriſq. cum Medicis. In ſanguinis ab ore exitu partem læſam, & ſanguinem profundentem, vel eſſe in ore ipſo, ſcilicèt linguam, gingiuas, & palatum: vel in capite, vt ex venis propè nares, aut membranarum cerebri: vel gulam, aut ventriculum, vel denique in partibus ſpiritalibus, vti aſperam arteriam, pulmonem, thoracem: quibus poſſumus etiàm addere terminum remotiorem nimirùm hepar, ſplen, vterum, hæmorroides, quarum partium affectarum ſigna nota ſunt erudito medico. Nos in præſenti ſpiritales tantummodo læſas partes conſiderandas proponemus, aſperam arteriam, pulmonem, thoracem: atque ex his ſanguis effluere poteſt, vel à vena, vel arteria, vaſe magno, aut paruo.

Secundò ſupponendum conſenſu Medicorum Rationalium, modum

modum exitus ſanguinis à dictis locis dupliciter, fieri poſſe, vel ſoluta continuitate per Διαίρεσιν, aut Διάβρωσιν; vel mala compoſitione per Ἀναστόμωσιν, aut Διαπήδησιν. Modus exitus ſanguinis.

Διαίρεσις, ſeu ſoluta vnitas fit vulnere, contuſione, ruptura, quæ quidem ruptio fit ictu, clamore, ira, vomitu, tuſſi, ſaltu, caſu ab alto, conatu ferendi, vel attollendi graue onus &c. Diæreſis.

Διάβρωσις ſeù eroſio, vulnus eſt cùm deperditione ſubſtantiæ, ſeù potiùs vlcus ab acri humore, vel ſalſo erodente. Diabroſis.

Ἀναστόμωσις, ſeù patefactio, & apertio nimia præter naturam orificiorum vaſorum, & meatuum; cuius cauſæ internæ cenſentur vaſorum imbecillitas, & ſanguis, qui ſui copia, & caliditate, vel acredine aliqua propria, vel à cibis, vel medicamentis aſſumpta, vel motu aliquo illuc ruens ductuum, & viarum ora dilatat. Anaſtomoſis.

Διαπήδησις ſeù rarefactio, tranſcolatio, reſudatio, cuius cauſæ afferuntur, raritas tunicæ vaſorum, & ſanguis tenuior, ac ſeroſior, venenum hæmorrhoi ſerpentis, vel qualitas quædam maligna quarundam febrium: hanc tamen Diapedeſim nonnulli ad anaſtomoſis ſpecies reducunt. Diapedeſis.

Sed quid indicent hæ affectus huius ſpecies afferendum erit in medium; vt cognoſcamus, an, quibus, quando, & quomodo Acetum, & liquor acidus metallicus, ſeù rectiùs mineralis conferre poſſint. Indicationes à modis exitus ſang.

Diæreſis, quæ ſolutio continui eſt ex Galeno 3. meth. med. cap. 2. & de Conſt. Art. med. 87. necnon in Arte med. cap. 90. *indicat vnientia, & agglutinantia*. Agglutinatio autem opus eſt naturæ, ſicut vnitio artis, quæ cùm manu, & ligamentis hiſce in locis fieri nequeat (nè opus intactum relinquatur) tentanda aſtringentibus, & denſantibus conſilio Galeni 5. meth. med. 5. quod etiam Areteus docuit: *Diuiſionibus vero* (aiens) *vt labia committantur, adſtrictio quoque medetur; ſed maioribus, valentioribusq. medicamentis vtendum*. quod idem retulit etiam Meſues dùm ſcripſit: *Ad curandum apertionem, aut rupturam venæ cùm uulnere, aut ſine uulnere indiget adminiſtratione medicaminum ſtypticorum, & conſolidatiuorum*. Diæreſis quid indicet.

Diabroſis, Eroſio, hæc indicat eadem, quæ ſolutio ſimplex, ſcilicet vnionem, & conglutinationem; ſed quia ſæpè etiam adeſt Diabroſis indicatio.

deper-

deperditio ſubſtantiæ ob abraſionem, ideò ſarcotico quoque eget, & renutriente; vnde doctiſſimus Areteus: *Eroſionis autem curatio* (inquit) *magnam diligentiam poſtulat, cùm ſit longa, difficilis, & periculoſa. Etenim parte membri deficiente, ad ſolidationem ulcus non ducitur: ulcus enim non uulnus efficitur.* & indicationem afferens ſcribit: *In eroſionibus prorsùs aſtringentia adbibere tenta; quo dilabentem ſanguinem concretum, compactumquè reddas, & ſuſcipientia membra conſtringas, ut procul uulnere, uenæ concidant, & occludantur.* & mox addit: *Verùmenimuerò ſi ſit eroſionis modus, neque per adſtringentia ulceris oræ cogantur, ſed uulnus dehiſcat, neque ex compreſſione in unum redire ualeat; ſanguinem, atque calorem congelare neceſſe eſt; nam iſtorum immobilitate, concretioneq. profluuium coercetur.*

Anaſtomoſis. Anaſtomoſis autem, ideſt dilatatio præter naturam, indicat aſtringentia teſte Galeno 5. meth. 5. *Si præruptum* (inquit) *uas aliquod magnum eſt, aut uehementer recluſum biat, utique adſtringentibus medicamentis eſt opus ualidioribus; ſin exiguum uas eſt proruptum, uel modicè recluſum utemur leuioribus.*

Diapedeſis indicatio. Diapedeſim, ideſt rarefactionem condenſantia requirere voluit Capiuacceus. Galenus verò 5. meth. med. 6. *Patet* (inquit) *& Diapedeſim, quam uocant, refrigerantibus, adſtringentibuſq. eſſe curandam, &, ſi propter tenuitatem ſanguinis aliquando incidat craſſiore uictu.* ad hæc ſequentia Aretei verba etiam faciunt: *Minimus in rarefactione metus ſubeſt; ſponte enim ſanguis conquieſcit, & adſtrictio, refrigeratioq. in medendo ſatis eſt.* deinde: *in uenarum quidem rarefactione aſtrictio ſatis eſt, pſi namque ceù ſitula noua imbecilla in rarefactionibus profluunt.* & addit: *Poſca igitur rarefactis ad ſtringendum ſatis eſt, neque enim ſanguis effluens purus eſt, ſed ipſius ſanies per oſtiola parua delabitur; atque huiuſmodi poſca, neque adeò multa, neque frequenter egemus.*

Indicationes à peccato ſanguinis. Præter hæc, quia ſanguis ipſe in Hæmoptoicis peccare ſolet, afferamus quid huiuſmodi peccatum indicet, prout noſtro ſermoni inſeruit. erit ergo ſanguinis peccatum, vel acrimonia, vel caliditas, vel feruor, agitatio, ebullitio; vel tenuitas nimia. ad hæc indicationes vtiles docuiſſe Meſues videtur his verbis: *Sanguinis peccatum cùm eſt in qualitate, ſcilicet ex parte acuitatis ſanguinis,*

guinis, & ebullitionis, ſedamus id cùm rebus extinguẽtibus inflammationem, & ingroſſantibus ſanguinem, ſicuti ſunt propriè cibi, & potus frigidi, & propriè ſtiptici, & extinctiui inflammationum.

Erit igitur acrimonia contemperanda, caliditas refrigeranda, feruor ſiſtendus, tenuitas incraſſanda, motus auertendus, & ſedandus. Alterum etiam ſanguinis peccatum non leue ſolet adeſſe, congelatio ſcilicet exuenati in Grumos, à quo indicatur grumorum diſſolutio. Deniq. oculi ſunt vertendi ad inflammationem, & tumorem partis affectæ, quæ aduenire non rarò ſolent. Cælius Aurelianus hæc ad noſtrum propoſitum facientia litteris conſignauit: *Ex eo quod ſanguis ferri nõ quieuerit, manifeſtè conijcimus glutinationem partium non fuiſſe perfectam diuiſuræ, ſiuè vulneris: & propterea in tumorem ueniſſe perſpicimus: omne etenim uulnus, quod uſque in tertium diem glutinari non potuerit neceſſario tumeſcit.* Erit igitur inflammatio futura præcauenda, præſens curanda. Sãguis grumoſus.

Atquè hæ ſunt indicationes requiſitæ ab Hæmoptoica paſſione, & procurandæ medicamentis, quæ quidem medicamenta, vel erunt Aſtringentia, Conſolidantia, Sarcotica, incraſſantia, refrigerantia, ſanguinem congelantia, eiuſq. grumos diſſoluentia, vel denique ad principium inflammationis repercutientia, nec diſſimilis eſt indicatio in Vomitu ſanguinis, nam Hippocrates 7. aph. 37. *Quicunque euomunt ſanguinem, ſine febre quidem, ſalutare: ſi uerò cum febre, malum. Curare uerò aſtringentibus & refrigerantibus.* Qualia requirantur Hæmoptoicorum medicamẽta.

Reſtat vt conſideremus an Acetum tàm vegetabile, quàm minerale, & ex ipſis ambobus Oxicrata, vires & facultates habeant, ſi non omnes ſaltem aliquas ex his, quæ ad Hæmoptoicos conuenire dictum mox eſt. Facultates Aceti.

Acetum (ex Dioſcoride) *refrigerat, & adſtringit, erumpentem undequaquè ſanguinem potu, in ſeſſuue ſiſtit, cruentis uulneribus inditur, inflammationes arcet impoſitum reprimit abſcedentes gingiuas, & ſanguine manantes.* Celſus lib. 5. c. 26. Acetum vehemens ad ſanguinem ſupprimendum eſt, ideoq. quidam id vulneri infundunt. Adſtringere dixit Galenus primo de Aliment. fac. 1. circa finem: *Sin minus uis ſubducere lentem &c. portiunculam addito eorum, quæ aluum modicè ſiſtunt, iniectio (puta* Dioſcorides. Galenus.

D *Acetum*)

Acetum) ea menſura, ut guſtum non offendat, ita enim iucundiſſimum, atq. utiliſſimum effeceris pharmacum, & cibum non paucis eorum, qui diuturna Diarrhæa conflictantur. Dixit etiam eius Oxycratum conglutinare, primo de ſimpl. med. fac. 31. *Nam ulcerum glutinatorium non Acetum, ſed Oxycratum dicendum eſt, aliam multò naturam ab Aceto obtinens: ſi quidem quemadmodum carnem producere in ulceribus nequit ærugo; ſed ceratum exiguum quiddam habens æruginis: ad eundem modum, neq. Acetum cõglutinat:ſed aqua Aceti pauxillum accipiens,ipſum verò per ſe, ac ſyncerum Acetum ulcera, quæ conglutinationem deſiderant, mirùm in modum exaſperat, utpote partium tenuitate erodens, ac dolorem excitans.* Partium tenuitati comitem eſſe nimiam ſiccitatem imaginor ego, vt alibi dixi. Et ex his Galeni Verbis nobis iam ſatis conſtare poteſt, ſicut Oxycratum Aceti aliam ab ipſo Aceto vim habet, ità aliam eſſe vim Olei, vel ſpiritus mineralis, aliam verò mineralis Oxicrati, vnde conſtat turpiſſimè falli turbam aduerſariorum, eaſdem vires tribuentium Oxicrato minerali dilutiſſimo, quæ inſunt oleo puro, immò quod magis abſurdum, nihil differre putant Vitriolum crudum ab ipſius ſpiritu Chimicè extracto (vt in alia Epiſtola reiiciemus.) Errore quidem ferula puerili corrigendo. Amplius etiam de Aceti viribus loquitur Galenus 1. de ſimpl. m. fac. 18. *At Acetum* (inquit) *haud perinde, ut cruſtam facientia medicamenta, ſed potius ut adſtringentia, & refrigerantia citra cruſtam, ſanguinis fluores cohibet.* Hic autem obiter admonemus, propriè loquendo Acetum, & acida non aſtringere, ſed denſare, ob id Galenus dixit, *ut adſtringentia*; nõ autem *adſtringendo*. differunt enim aſtringentia, quæ ſunt craſſarum partium, à denſantibus tenuium partium, vt clarè demonſtrabimus ſequenti Epiſtola: actio tamen hæc ob magnam ſimilitudinem confunditur ſæpè ab Auctoribus, & denſantia vocantur aſtringentia, quod in Aceto, & acidis contigit. Atque huiuſmodi erit ſumma virium Aceti, prout noſtro caſui mihi videtur aptum, hoc eſt, refrigerans, adſtringens, (ſeù ſtrictiùs loquendo, denſans) glutinans, (ſcilicet Oxycratum) congelatum ſanguinem diſſoluens, (vt ex Tralliano, & alijs conſtat) repercutiens, exiccans, atque ſanguinis feruorem extinguens, & hæc de Aceto.

Alia vis Poſcæ, alia Aceti.

Alia vis ſpiritus Vitrioli puri, alia diluti aquâ.

Notãdum.

Aſtrictio, & denſatio differunt.

Oleum autem acidum, ſpiritusq. tùm Vitrioli, tùm Sulphuris, eiuſdem omnino cum Aceto, (vt ex dictis partim, partim verò ex dicendis conſtat) eſt facultatis, atque etiam validiùs, & validiſſimum prout doſis erit admixtæ aquæ maior, vel minor: eſt nimirùm ſummè *exiccans, & refrigerans*, (vt ſatis in Dodecaporio, & in Epiſtolis alijs oſtenſum) inde etiam *feruorem ſanguinis extinguens* eſſe, ſumma aciditas patefacit. (& expreſsè teſtantur Libauius, Bornetus, Mindererus,) ac eſſe *repercutiens* ſanæ mentis nemo negabit, qui legerit opuſculum noſtrum Italicum de oleo Vitrioli, vbi dolori capitis calido cùm aqua roſacea ab extra imponitur. & inflammationi linguæ ex Minderero gargarizatur, atque etiam Anginæ ex Zappata, & Roſſello. inflammationibus etiam Hepatis, & Lienis, ex Libauio, Duncano, Minderero, L. Hofmanno, G. Laurea, Roſſello. necnon Eriſipelati etiam ex Minderero cum appropriatis exhibetur. atque *inflammationibus internis* omnibus conuenire faſſus eſt Mindererus ipſe linguæ, oeſophagi &c. *ſanguinis grumos diſſoluere*, ſcripſit fol. 76. & ego aliquoties experimento vidi. *Aſtringere* etiam dixit fol. 75. proinde exhibet choleræ morbo, vomitibus, Diarreis &c. cui aſſentiuntur Euonimus, Bornetus, Mullerus, Zappata, Neander, Roſſellus, L. Hofman, Quercetanus, & alij. immo aduerſarij adſtringentiam illi obijciunt (vt ſequenti Epiſtola ſcribetur.) Quam obrem non aſſentiendum Minderero iterum aſſerimus dicenti. Morbis pectoris non eſſe aptum oleum Vitrioli ob acrimoniam; nam & acrimonia non ſemper pectori inimica, vt dixi Dubitat. 5. præterquam quod acrimonia in recte parato ſpiritu acido eſt imaginabilis, & mente ficta, & eam negauimus Dub. 2. concedimus autem in oleo poſtremo acri, quod à medico vſu ablegamus. non ergo erit timenda acrimonia vlla. Cùm verò dixit acetoſitatem pectori inimicam, oſtendit ſe non legiſſe tot Auctores quot nos attulimus aceto vtentes ad Hæmoptoicos, nec fortè audiuit Hippocratem de affection. paulo poſt principium in pleuritide clamantem. *Et potiones dandæ ſunt acidiores, quo ſputum de latere repurgetur.* quem locum doctioribus meditandum propono. Sed addendum eſt, quia ex Meſue: *Acidum incidit, denſat, extinguit calorem, acre obtundit, citò operatur.* ideò in hoc caſu adhibitum hunc acidum liquorem Mineralem dico forè vt ſan-

Vires liquorum Vitrioli.

Acrimonia negatur in ſpiritu Vitrioli.

Acria non inimica pectori.

Acida non inimica pectori.

guinem grumoſum incidat, & diſſoluat, venas laxatas, & rarefa-ctas denſet. feruorem ſanguinis extinguat, & ipſius calorem ex-cedentem temperet, & quia citò operatur, ideò omnium opti-mùm remedium in tàm præcipiti caſu, qualis Hæmoptoiſis, quam

Prognoſticum Hęmoptoiſis.

citò curare conuenit, vt ait Aegineta, propter imminens ex im-modica vacuatione periculum: ſiquidem copioſè euacuatus ſan-guis, quemadmodum in his, qui iugulantur mortẽ infert præſenta-neam: ſi affectus remanet in tabem tranſitum minatur. ſed ſub-

Adſtringentia nō ſemper inimica pectori.

dit Germanus: *Aſtrictione pectoris partes exaſperare*. cui fa-uere poſſet quod à Schenckio notatur nimirum aliquos Hæmo-ptoicos ob adſtringentium vſum in graue vitæ periculum inci-diſſe. ſed id oſtendit abuſum aſtringentium cauendnm, non re-ctum vſum. an fortè ipſe exitum ſanguinis vehementem relaxan-tibus curare intendit? an cenſet tot antiquos Auctores adſtrin-gentibus validiſſimis vſos in ſputo ſanguinis erraſſe? an indicatio-nem oſculos apertos, & rarefactos adſtringendi, & denſandi, falſam cenſet? noua certè doctrina, ſed non Galenica, nec Hippocratica; non rationalis, non Methodica, non Empirica, non Paracelſica.

Quæſtio.

Si percontabitur aliquis curioſus vtrum exhiberi debeat Hæ-moptoicis omnibus nimirum à qualibet cauſa; & quouis loco affecto.

Liquores Acidos eſſe vtiles omnibus Hæmoptoicis.

Reſpondendum erit ſanguine fluente ex ore, gingiuis, palato ex quacunque cauſa non ſolum vtilem eſſe Aceti vinei Poſcam, vt veteres aſſerunt, ſed etiam ſpiritum & oleum Vitrioli acidum dilutum, vt experientia noſtri didicere.

Si à partibus ſpiritualibus profluat optimum etiam iudicamus

Diæreſi.

vtrumque Oxycratum. primo in Diæreſi; nam cùm vnio partium ſolutarum ibi manu fieri nequeat, adſtringentibus erit molienda, vt iam docuimus, & ſtatim antè alia remedia; nam vnio ſtatim indicatur, pręcipuè ſi magna eſt ſolutio, quæ ob magnum pericu-lum, magno, & cito eget remedio. ob id Aretæus *in uulnerum dilatationibus Poſcæ addenda aſtringentia* ſcripſit. ſic etiam Po-ſcæ minerali aſtringentia addi poterunt, cum propriè loquendo ol. Vitr. non verè aſtringat, ſed denſet, vt poſtea dicetur.

Bonum etiam tale Oxicratum in Diabroſi; tùm quia adſtrictio etiam indicatur, vt diximus; tùm etiam quia cùm eroſio fiat ab acre-

acredine, hæc ſuperabitur aciditate,& frigiditate vtriuſque Aceti. (Acidum enim ex Meſue acre obtundit) & vlcus egens exiccatione ſanabitur ab eorum ſiccitate præcipuè vitriolata. non enim externa tantum corroſiua vlcera ſanat Vitrioli oleum (vt Mattiolus, Crollius, Mindererus, Hofman,Montagnana,& Crollius aſſerunt) & in ore, lingua, gingiuis, & palato; (teſtibus Euonimo,Zappata,Mattiolo, Minderero,) ſed etiam in renibus,& veſica; (prout docent Zappata,& Roſſellus) immò pulmonis vlcera in phthiſicis, auctoritate doctiſſimi Capiuaccei, L. Hoſmani, & Pœnoti. Trallianus tamen adſtringentibus, & acidis in hoc caſu minus vtitur. Poſcam tamen laudat ad fluxum acrem gingiuarũ. Diabroſi.

Optimum in Anaſtomoſi, quia adſtringens,& refrigerãs,quod ſi magnus eſt morbus, cùm maiori etiam actiuitate remedium exhibendum. Aræteus: *Poſca igitur rarefactis ad ſtringendum ſatis eſt, neque enim ſanguis effluens purus eſt; ſed ipſius ſanies per oſtiola parua dilabitur, atquè huiuſmodi poſca nequè adeò multa, nequè frequenter egemus: eſto autem Acetum ex Vini adſtringentis genere.* Anaſtomoſi. Diapedeſi.

Simili etiam ratione vtrumq. Oxicratum optimum prædicandum ad Diapedeſim.

Si verò reſpexerimus ſanguinis peccatum. *Acredini* medebimur aciditate contraria, qua nil aptiùs à proprietate. *Calori* frigiditas erit opponenda. *Feruori* eadem opem ferent. *Sanguinis tenuitati* denſatio viarum apta, cum incraſſatio deſideratur. *Ad grumos concreti ſanguinis* quid præſtantius his Oxicratis excogitari poteſt? Si *inflammationem* futuram in vulneratis partibus timebimus,quale remedium aptius ad hanc prohibendam imaginabimur?his Oxicratis,ob repellendi vim,certè nullum.Ad *Motum* tum ratione termini à quo, ad quem, & per quem. vis denſatoria, roboratoria, conſtrictiua,frigida &c aptiſſima. Sanguinis peccato Ol. Vit. vtile.

Si loca affecta conſiderabimus. Ore affecto huiuſmodi Oxicratum optimum omnium conſenſu. item faucibus affectis, nec non Vẽtriculo læſo, vel Hepate,Liene,aut Meſenterio, vel etiam Vtero mandantibus congruum,conſtringendo enim, & roborando partes mandantes, recipientes, & transferentes fluxionem cohibet. Thorace affecto, Pulmone affecto, Trachea affecta ſimiliter optimum dicimus. vnde Celſus. Acetum ſorbendum Quouis loco affecto in Hamoptoicis vtile O.Vit.

voluit,

voluit, tam ex faucibus, quàm interioribus partibus fluente ſanguine. & Trallianus dat Paſtillum ex Acacia, Alumine &c. cùm poſca, non ſolum ſanguine reiecto ex faucibus, & aſpera arteria; ſed ex Thorace, & pulmone ru ptis vaſis. & vniuerſaliter Cælius Aurelianus: *Proximis partibus gutturis ſanguinem mittentibus danda poſca frigida, aut gargariſmus, ac ſi per inferiora, vel altiora ferri ſanguinem viderimus, ſorbendos dabimus cyathos duos, vel tres.* Et hi quidem non videntur prohibere vlli parti ſanguinem fundenti Poſcam. Solus Gariopontus, cuius meminerim ſcribit. *Si de Pulmone ſanguis fluxerit, cauendum nè Poſcam bibant.* Sed exhibet alia adſtringentia. cauſa latet. An timet, nè ſanguis coagulatus circa oſculum venæ ruptæ vel rarefactæ ab Aceto diſſoluatur, & ita ſanguis fluat? non ſatisfacit. An timet Tuſſim? benè faceret, Aræteus enim, & Cælius Aurelianus, alijq. nonnulli ſcribunt, ſi ex Aceto exaſperetur tuſſis dimittendum. ſed id noluit Gariopontus, tuſſis enim excitari poteſt etiam Thorace, & alijs quibuſlibet partibus affectis. An timet adſtrictionem membri natura laxi, nè induretur adeò, vt moueri liberè nequeat? Si hoc eſſet, neque Thorace affecto conueniret, aſſumptum enim Acetum antequam ad partem affectam deueniret, Pulmonem priùs læderet, & tamen ipſemet Gariopontus. *Thorax* (inquit) *ſanguinem emittens ſic curabitur, Poſca frigida, & ſale, & ſpongijs maioribus pectus fouebis, & Poſcam ſine ſale bibere dabis.* Sed nec Acetum eſt tantæ adſtrictionis, quantæ ſunt Acacia, Hypociſtis, Balauſtia, Mirtilli, gallæ, rubrica &c. quibus vſa eſt in hoc caſu Antiquitas, vt legere eſt apud Gal. 7. de med. κ. τ. cap. 4. ſummè tamen adſtringentia ineptè quandoq. adhibita, non eſt negandum, aliquando nocuiſſe, vt Leonardus Iacchinus, & Schenckius referunt. An timuit exaſperationem vlcerum, & vulnerum pulmonis à mordacitate Aceti? debuiſſet aduertere Poſcam externis vulneribus, vt etiam Aurelianus ait, conducere. Sed Auctoritas Galeni Garioponto opponenda eſt. is. n. 5. meth. med. cap. 8. ſupra citato. Vaſe rupto in Pulmone ipſo Poſcam dat.

Gariopontus negat poſcam Hęmoptoicis ex pulmone.

Inueſtigatur intentio Garioponti.

Galenus Garioponto opponitur.

Sed opponitur audaciter Auerroes 7. colliget 34. *Galenus* (inquit) *præcipit dare Acetum cum aqua mixtum, ſi Medicus viderit, quod in pulmone ſanguis fuerit coagulatus, & hæc medicina*

Auerroes impugnet Galenum.

eſt

eſt contraria iuuamento cauſæ, & accidenti; propterea, quia aceto ineſt per naturam, vt moueat tuſſim, & tuſsis prauum eſt accidens, & hoc timendum, & Acetum cum ſit pungitiuum, vulneri nocet, & ſanguinem ſubtiliat, & aperit, & fluere facit, & propter hoc Acetum dimittendum eſt. Marquard. c. de Phthiſi. Tuſſis eſt maximè remouenda, quia prohibet conſolidationem, quare nihil acidi detur, quia faciunt tuſſire acida.

Reſponſio ſatis patet ex dictis, tamen aliquid addere placet. vnde dicimus ex Gal. 7. de comp. m. loc. 4. in hoc affectu quandoq. nos cogi medicamenta adhibere infeſtiſſima prædictis affectionibus, apertioni videlicet oſculorum, rupturæ, & corroſioni. qualia ſunt calida, & quæ tenuium ſunt partium, & quæ frigida, & ſtupefacientia ſunt. Vnde ſi aliquis imaginetur poſſe aliquod detrimentum parere, animaduertat longe maiorem vtilitatem grumo ſanguinis diſſoluto &c. ſequuturam eſſe: quùm difficulter remedium aliquod inueniatur, quod citrà vllam noxam magnificè proſit, vt tradit Galenus 11. meth. 11. cùm enim extremus eſt morbus, extrema ſunt adhibenda remedia. & rectè Cæl. Aurelianus monuit: *Si coaceruatus perſeuerauerit ſanguinis fluor, vtendum etiam vehementioribus, & erunt ocyus adhibenda nè paſſionis ipſius impetu in manibus noſtris vitam linquere cogantur ægrotantes.* Sed aliter reſpondent quidam. *Prima reſponſio ad Auerroem.*

Maſſaria, Leon. Iacchinus, Capitacceus, & alij Galeni tutores Auerroi reſpondentes dicunt maius eſſe iuuamentum ob diſſolutos grumos, qui veneni naturam quandoq. induunt, quam nocumentum. poſcamq. dandam cenſent, quam dilutiſſimam, ſic enim ſani bibentes, non lædimur, nec tuſſi, nec alio affectu. *Defenſio Galeni aliquorum.*

Nos reſpondemus non ſolum Poſcam mediocrem, ſed nec ſyncerum validum Acetum ſemper contrariari cauſæ, & Accidenti Hæmoptoiſis. nam etſi quandoq. tuſſiculare ſit, tamen Dioſcoride teſte: *Tuſſim Veterem mitigat.* Et in hoc caſu Acetum tuſſim ſedabit excitatam à ſanguinis fluore. ſanguinem cohibendo, & exitus vias occludendo. aduerſatur enim cauſę tuſſis, vt C. Aurelianus etiam ſcripſit, adnotans vt nè detur niſi in magno fluxu &c. vt ſupra attulimus. non igitur tuſſis formidanda, ego autem experientia agnoui ab exhibito Vitrioli ſpiritu ſecundum artem diluto fluorem ceſſaſſe, & tuſſim placi- *Reſponſio Auctoris.* *Acetum tuſsim ſedat.*

dè

dè ſedatam fuiſſe, maximo ęgrotantis refrigerio.

Quod autem pungitiuum Acetum ſit, & vulneri noceat, ex-
Acetum vulneribus vtile. ternè quidem de ſyncero concedi poſſet, non autem de Poſca, & in noſtro caſu; tamen ex Dioſcoride: *Cruentis vulneribus inditur.* & Poſca vlcera glutinat, vt ex Galeno ſupra diximus. Pulmonis autem vlcera exaſperare nequit ob diſtantiam, vt ait Aurelianus. non enim totum id Acetum, quod potatur in pulmonem fertur, ſed paululum, & refractum itinere.

Acetum ſanguinem ſiſtit. Falſum autem quod ſanguinem ſubtiliet, aperiat, & fluere faciat, vt etiam ait Aurelianus, nam ex Dioſc. *Erumpentem vndequaq. ſanguinem potu, inſeſſiuè ſiſtit*. ob id Acetum ſumme in tam atroci affectu amplectendum. & eius loco liquores acidos ſu-
C. Aurel. poſt triduū vetat Acetum. memus. his addam ſcripſiſſe C. Aurel. *Si vulnus in prin o diatr to non conglutinatur tumeſcere*. tunc negat Acetum, & aſtringentia, nam ex ſuæ ſectæ inſtituto tumor erat morbus aſtrictus, ideò egebat laxantibus. & de his ſatis. Tempus enim eſt Epiſtolam clau-
Quid reſtaret dicendum. dendi, quamuis aliqua afferre potuiſſem, an Poſca eſſet offerenda tepida, vt Galenus, vel frigida, vt alij. an Acetum, vel Poſca protinus cum Galeno, Celſo, Garioponto ſumenda: an poſt triduum. Quantitas etiam fuiſſet determinanda, & modus aſſumēdi, an ſorbendo, gargarizando, in potu &c. prætereà determinandum fuiſſet, quando Aceto, quando Poſca vtendum. Breuiter tamen dixiſſem in leui affectu Poſca debili, in grauiori verò Poſca cùm multo Aceto vtendum, at in vehementiſſimo affectu Aceto ipſo. quod aptè expreſſit C. Aurel. *Si vehemens, atque plurimus* (inquiens) *fuerit ſanguinis fluor, erunt extendendæ adiutorij virtutes, Acetum denique ſyncerè dabimus ore retinendum, vel gargarizandum, aut ſorbendum &c.*

Cōcluſio. Concludemus tandem non ſolum Oxicratum Vegetale, ſed etiam minerale, quod eaſdem vires, & aptiores habet, immo etiam Acetum Vegetale purum, dummodo non ſit mordaciſſimum, & validiſſimum, non autem Acetum minerale ſyncerum, quia nimis validum, optima eſſe remedia, & auxilia pro Hæmoptoicis: tum quia reſpiciunt morbos ipſos, tùm etiam cauſas materiales; tùm deniquè ſymptomata, & Accidentia concomitantia, atq. ſuperuenientia.

Reſtat vt vtendi formulas quaſdam adnectamus. Capiuacceus

exibebat

exibebat g.j. aut ſummum g.ij. cum aqua plantaginis, ego vtiliſſimè hoc exibui.

℞. *Spiritus Vitrioli Scrup.* I. Vel ad gratam aciditatem. 1. Potiò ad Hæmoptoicos.

Aquæ plantaginis. vnc. vi.

Miſce. Bibat totum frigidum. Statim fluor, calor, feruor, ſedata ſunt, & nulla tuſſis excitata fuit. Aliàs ita præſcripſi.

℞. *Spiritus Vitrioli. Scrup.* I. 2. Potio.

Sy. De roſis ſiccis. Vnc. j. *interdum, Sy. Myrtini, vel Miuæ citon.*

Aq. Plantaginis. Vnc. vj. *vel burſæ paſtoris, aut Pimpinellæ.*

Miſce. fiat. Vnus bauſtus.

Huc facere etiam videtur Potio allata ab Andrea Tentzelio in Exageſi Chimiatrica. ſect. 3. de Oleis. Iulep. Tentzelij.

Iulepus Comitiſſæ Mansfeldienſi in magno olim vſu.

℞. *Aquæ vitæ. lib.* I.

Aquæ roſarum. Vnc. iij.

Moſchi. gra. ij.

Olei Vitriol. drac. j. *miſce. pro Iulepo.*

Doſis coclear I. *in febribus ardentibus, ſitim refrigerat, hæmoptoicos etiam valde iuuat, & mirum quantum ſtomachicos*. Sed mixta ſimul Ol. Vit. & Aq. Vitæ. guſtui acria videtur. Sed ſi Iuleb. appellat addendum Saccharum.

Et his ſatis videtur demonſtratum ſpiritum, & oleum Acidum Vitrioli valde conferre ſanguinem ſpuentibus; ſi longior fui, ignoſcas quæſo, dilucidus eſſe in hac quæſtione explicanda volui, ne id mihi contingeret, quod dicitur, *dum breuis eſſe volo obſcurus fio*. Tu interim vrgente affectu hoc vtitor audacter, tutò enim, cito, & iucundè curat. Et vale ROMAE ex Muſæo 3. Kal. Aprilis 1623. Concluſio. Excuſatio.

Admodum Illuſtri, & Excellentiſſimo D.D. Paulo Zacchiæ, Philoſopho, & Medico præſtantiſſimo, atque Amico ſuo integerrimo.

Petrus Caſtellus Medicus Romanus ſalutem.

EPISTOLA TERTIA.

Oleum Vitrioli omnibus febribus vtile probatur exactiſſimè, & omnes contrariæ rationes ſoluuntur.

Recentiores confusè tractant Vires olei Vit. in feb.

MIRVM profectò eſt acerrimam quæſtionem inter præclariſſimos Medicos exortam de vſu olei, & ſpiritus Vitrioli in febribus, à nullo hucuſque tractatam Methodo vera, (vt conueniret) ac exactè dilucidatam: immò confuſam potiùs, & implicatam magis ſuis tractationibus, ob ignorantiam veræ eſſentiæ olei, & ſpiritus Vitrioli, fuiſſe. Quam quidem quæſtionem, & ſi maximè ardua, & anceps appareat, noſtriſq. viribus ſuperior; tamen, diuino prius implorato auxilio, & veritatis tantum inueſtigatione (pro humanæ ſalutis beneficio) nobis propoſita, omniq. animi affectu depoſito, (nullo enim Dei gratia vrgemur) alacriter aggrediemur, & ratione, atque experientia, veritatem ipſam fortè expiſcabimur obrutam, & ſuffocatam aquis turbidis ipſum oleum Vitrioli vituperantium, ſine ratione, & experientia, chimicumq. inuentum deſpicientium abſque Chymiæ notitia; vt qui, quod

Reprehenſio calumniantium.

ipſi ignorant, ab alijs ſciri ægrè ferant: actio planè turpis, & abſurda, homineq. philoſopho, & probo prorsùs indigna. Nos autem vt inueſtigemus, an Vitrioli ſpiritus febrientibus tutò exhiberi poſſit, hac methodo procedemus, vt quò diſtinctiùs, & exactiùs fieri poteſt difficultates omnes tollamus. Statuemus breuiter primo quid ſit febris, quæ eius cauſa, quid indicetur à febre, quid ab eius cauſis. Statuemus ſecundò temperamentum ſpiritus, & olei acidi (cuius ſaporis eligimus, non acris, non dulcis)

Methodus Auctoris futura.

ex Chalcantho extractorum. Tertiò ex his ſuppoſitis, & fundamentis

mentis inueſtigabimus, vtrùm dicti vitriolati liquores, indicationibus, quas febres requirunt, ſatisfacere queant. Quartò, & vltimò afferemus, & pro viribus ſoluemus oppoſitiones omnes, quæ in contrarium ab Aduerſarijs opponi, & ſolent, & poſſent.

Quoad primum, febrem eſſe *Magnum in corpore feruorem*, & indicare, per *contrarium frigidum*, ſui ablationem, nullus Galenicus negabit, nec in dubium ponet. Nam & nomen ipſum *Feruorem* apud Latinos ſignificat. Græcis verò tùm πυρετὸς, tùm πυρίξία dicitur, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, indicantibus diſpoſitionem igneam: immo Hippocrates ipſe validam febrem *ignem* ſimpliciter appellare ſolet, voce Græca πῦρ: ſed in re nota non ampliùs immorabor. Quid febris.

Certùm etiam eſt frigida remedia à febre, vt talis eſt, indicari; quia eſt calidus morbus, ex Galeno 8. meth. 1. & 9. atque etiam 9. meth. cap. 14. necnon lib. 11. cap. 2. 10. & 13. immo etiam 1. Aph. 24. & alibi pluries. Sed quia febrium differentiam quandam conſtituunt Galenici à materia, & ipſius ſubiecto, triplicem dicentes eſſe febrim; ideò nos Galenicorum more loquentes, ſtatuemus ſubiectum febris eſſe ſolidas corporis ſubſtantias, quæ vel afficiuntur primo, & per ſe calore excedenti, & tunc hecticam febrem dicunt: vel per accidens, & dupliciter. Affectis nimirùm primò ſpiritibus, vel humoribus corporis; ſecundario verò ſolidis partibus, & tunc hanc putridam illam Ephemeram nuncupant. Nec verè hos (prout aliqui) præcipuum febris ſubiectum ſtatuere poſſum; nam humores putreſcentes fiunt cauſa febris, & non poſſunt eſſe ſubiectum ſimul, & cauſa eiuſdem; etenim febris lædit actiones ſolidarum partium, non humorum, vel ſpirituum, quorum nullæ ſunt propriæ actiones. At hectica quidem febris ſiccitatem, & calorem ſolidarum partium, per humectantia, reſarcientia, & refrigerantia tolli, & curari poſtulat. 10. meth. cap. vltimo. Putrida verò ratione ſuæ eſſentiæ, non niſi frigida poſtulat, ratione autem cauſarum, quid requirat, mox explicabitur. Denique Ephimera febris ſpirituum inflammatorum refrigerationem tantùm indicat (ſi timetur de ipſius cauſa, alia ab hac noua eſt deſumenda indicatio) vt apertè teſtantur Trincauellius, Capiuacceus, Maſſaria, & alij practici. Et his breuiter, ſatis tamen ſuperq. Medicis in memoriam reuocaſſe febris eſſen-

Frigida febre requiri. Solida ſub. feb. Indicatio Hecticæ. Putridæ. Ephemeræ.

tiam, & curatiuas ipſius indicationes mihi videor.

Indicatio à cauſis. Quoad febris cauſas, (prætermiſſis externis, quùm nihil ferè ad curationem conferant, vt inquiebat magnus Crato, ſed ſolum ad cognitionem) conſiderabimus humores quatuor à quibus febres fieri poſſunt, qui quidem cùm febrem non excitent, niſi putreſcant: (communiori Galenicorum conſenſu) ideò nos cogunt putredinis naturam conſiderare, at quia hæc ipſa plerunq. ab obſtructione fieri ſolet inueſtigandum, quid obſtructio poſtulet. Exactam quidem febrium curandarum Methodum 11. meth. med. cap. 10. attulit Galenus, quam hic non tranſcribam; ſed ibi legito, mihi ſit ſatis dixiſſe, inibi illum voluiſſe à Medicis conſiderari: *Febrem, Putredinem, & obſtructionem*. Dixerat autem cap. 8. *Quoniam tranſpirationis prohibitio putredinis occaſio fuit, hanc, arbitror, ſubmouere oportet. At, ea cùm varijs generibus eſt orta, & denſatis exiguis meatibus, & conſtrictis corporibus, & humoribus, tùm abundantia, tùm craſſitudine, tùm lentitia ſua obſtruentibus, ſingulæ harum affectionum curandæ per contraria ſunt, Denſitas per ea, quæ rareſaciunt. Conſtrictio per ea quæ fundũt. Abundãtia per ea, quæ vacuãt: Craſſitudo per ea, quæ diſſecãt: & Lentor ijs, quæ detergent.* Itaq. Qualitates humorũ peccantium indicant ſui correctionem. *Febris* perpetuo refrigerationẽ: *Putredo* illa, quæ prohibent ipſam, tùm præſentem, tùm imminentẽ: *Obſtructio* verò deobſtruentia poſtulat. Ità igitur Sinochus nõ putridus, vt eſt ſumma maſſæ ſanguineæ efferueſcẽtia, ſumma refrigeratione ſe tolli requirit. Putrida autem febris omnis, ratione quidem caloris, refrigerationem, ratione putredinis prohibitionem, & ceſſationem ipſius exigit, at quia putredo ab obſtructione pendet; ideò deobſtruentia maximè indicantur. Hinc Galenus 11. meth. med. cap. 10. Totam curatiuam febrium putridarum methodum explicans obſtructionem præcipuè, & primo loco in Medicatione tollendam ſtatuit. Sed cap. 13. breui ſermone omnia comprehendens: *In humorum putredine, (inquit) & excretio, & refrigeratio, & Ventilatio, & ſemiputridorum concoctio ex aduerſo reſpondent*. Altera eſt etiàm à Putredine indicatio, quam propalauit ipſe Pergamenus. 3. de comp. med. per gen. cap. 2. qui locus valde notandus. *Quoniam verò* (ſcribebat) *putrefacientia omnia ab humiditate, ac caliditate id pati prænoſcebant*

Febris. Putredo. Obſtructio. Indicatio putredinis.

bam, curationem per ſiccantia refrigerantiaq. moliendam eſſe deprebendi. Cùm igitur Peſtilentium febrium maligna putredo ſit peſſima, & extrema Putredo, (ſi quidem, vt docuit Galenus primo in 6. Epid. 29. *Peſtilentis febris calor per putredinis excellentiam ab alijs differt.*) indicabit remedia extrema, & validiſſima: nàm ex Hipp. *Extremis morbis extrema &c.* Præterea, quia in febribus peſtilentibus adeſt ſpiritus quidam malignus, (de quo nos alibi) quo ſæpe contagioſæ fiunt, notans aliquid occulti, & validiſſimi inibi adeſſe: ideò aliud validum occultè (vt dicunt), ſeù ſpecificè oppoſitum remedium requirunt. Et ex his paucis breuiter circà aliquot febrium indicationes diſputatis: nec enim propoſui (cùm ad rem meam non faciant) omnes febrium tradere indicationes. Ex his (inquam) patet, in febribus ratione propria indicari medicamenta refrigerantia, & humectantia, ratione Putredinis refrigerantia, & ſiccantia, ratione obſtructionis deobſtruentia, quæ vel ſunt Incidentia, vel detergentia &c.

Præcipuæ febrium indicationes.

Quoniam liquores vitriolatos acidos eſſe medicamentum Catholicum ad febres volumus, & non ſolum vniuerſalitatem illis tribuimus, quia vniuerſis febribus apti ſint; ſed maximè, quia probentur omnibus Medicorum ſectis Empiricis, Methodicis, Galenicis, Hippocraticis, & denique Paracelſicis, quę ſunt præcipuæ. & quia nunc ad omne Medicorum genus ſcribo, ideò, conſueto etiã cuique ſermone, & vocibus, cuicunque alloquẽdum eſt proprijs. igitur quieſcant quæſo nunc pauliſper Galenici, meq. ſinant cum Paracelſicis aliqua confabulari.

Liquor vitrioli eſt Med. Catholicum.

Circa febris nomen notum eſt vobis Paracelſicis (vobiſcum enim nunc ſum) ipſum febris nomen non probari Bombaſto, quãuis ob vulgarem vſum ipſo ſæpe coactus vtatur. vnde 1. Paramir. cap. 6. apud me tom. 1. pag. 76. *Erroneè* (inquit) *febris nomen à feruore deducitur; feruor verò eſt ſaltem ſignum morbi illius, non materia, non cauſa. Nomen autem procedere debet à materia, & proprietate, & Natura ipſius ſubſtantiæ, ſed dicetur propriè morbus Nitri ſulphuris incenſi*. ita etiam Tract. 1. de peſtilitate to. 3. pag. 46. *Hic morbus* (ait) *vero, genuinoq. nomine morbus Nitri ſulphuris incenſi appellatur*.

Nomen febris ex Paracelſo.

DEFINITIO.

Lib. 9. paragraphorum paragr. 1. *Febris eſt calor putrefactus*

cum tremoribus ex ſua oppilatione à materia inſequeſtrata in clauſis poris, ex vi ſliptica. In fragm. Med. de Tart.to.3.p.307. *Febris eſt calor oppilatus, generatus ex putrefactis fæcibus in regionibus hepatis.* hic deſcripſit peculiariter febr. hepatis. ſed paulò poſt pàg.310. de febribus in genere. *Eſt autem febris* (inquit) *generatis morbus paroxiſmalis ex oppilatione totius corporis.* & 2. lib. de Tart. tract.2.c.7.to.3. pàg. 221. *Febris eſt calor ex oppilatione, generata ex putrefactione Tartari in regionibus Hepatis.* Hic loquitur de febribus hepatis, & quod hic Tartarum vocat, fœces alibi nuncupat. Et tract. de Phlebot. *eſt putrida accenſio à firmamento facta.* Quercetanus Paracelſi dogmatum eruditiſſimus ſuæ Tetradis c.9. definijt febrem, vt ſit formaliter. *Ametria ex accenſis ſpiritibus ſulphureis in corde.*

LOCVS AFFECTVS.

Febris vniuerſalis, & particularis.

Lib.2. de Tart. tract.1. c. 3. qui eſt Tom.3. triplex febrium locus notatur, ſeu febris in ſtomacho, in hepate, in renibus. At lib.9. Paragraphorum. paragr. 1. diſtinguitur febris in vniuerſalem, & particularem Vniuerſalis eſt cum materia peccans in membris principalioribus hæret, tunc paroxyſmus totum corpus occupat. Particularis eſt, ſi ſaltem vena vna febrem ſentit. Item ex carne vniuerſalis, & particularis eſt. & numerat febrẽ à ſplene, à corde, à pulmone. Ob ſolutionem dico, apud Paracelſum dupliciter febrem diſtingui in febres *ex nutrimentis*, ſeù ex fœcib. nutrimentorum. Appellat febres Tartari, ſeu ex fœcibus Tartari lib.2. de Tart.t.1.cap.3. quales ſunt in membris nutritionis vbi excremẽta poſt coctiones relinquuntur, ſcilicet in ventriculo, hepate, renibus. & in febres, quæ *ex nutrimentis non oriuntur.* (vt declarat 2. de Tart. tract.3.cap.4. & expoſitione 1. paragraphi citati) ſed ex materia ſequeſtrata, & clauſa in poris, vel membrorũ principalium, vel particularium; & ita etiam ſplen, cor, pulmo, & quælibet alia pars materiam febrium continere poteſt.

CAVSA MATERIALIS.

Quinque entia cauſæ morborum.

Idem Paracelſus to.1.lib.Paramir.de 5.Entibus.n.9.prologo 5. febrium vniuerſales cauſas ſtatuit eſſe quinque: *Ens Aſtrale, Ens Veneni, Ens Naturale, Ens ſpirituale, Ens* Dei. Vnde ſi Aſtrorum malitia febris gignitur non ſunt quærenda remedia naturalia, quæ aſtris ſe opponi nequeunt, ſed alia Aſtrali vi medendum. Si vene-

venenata vis febrem fecit, ſummè Medico inueſtiganda. Si naturalis cauſa febrem peperit, Naturali Medicamento ſuccurremus. Si maleficorum, ſtriarum, magorum, &c. effaſcinatio, & peruerſitas febrem afferunt. quomodo medendum? Sic ſi Diuina ira ob noſtra peccata, (vt ſæpe peſtes accidiſſe legitur) febris homini acceſſit, non niſi Deo pacato, tolletur. Nos conſiderabimus ſolum febres ab Ente Naturali.

Paulò ante diximus febres oriri vel ex nutrimentis, vel non per nutrimenta, non vtile intellexit Paracelſus, ſed nutrimentorum reliquias, fœces, & excrementa. Vnde lib. de Tart. cit. *Tartarum* vocat. In fragm. verò *fæces*, & in ſcholijs in lib. de Tart. *omnes febres veniunt à fæcibus.* & magis explicans proponit *fæces ſalis, fæces ſulphuris, fæces Mercurij*. Tradens autem genuinum febris nomen, vt dixi morbum *nitri, ſulphuris, incenſi* vocauit. Præterea paragrapho 3. in lib. 9. memorat Paroxiſmum ab *Arſenicalibus*, & paragrapho 1. numerauerat *Sulfur, ſal, alumen*. Pro intellectu verborum Paracelſi, notandum. fœcem Mercurij à Theophraſto vocari Alumen. nam lib. 2. de Tart. tr. 1. c. 3. Quotidianã à fœcibus Mercurij fieri dixit. & lib. 9. Paragraph. & commẽtario in paragraphos. Quotidianã ab Alumine: vnde patet &c. per Nitrũ voluiſſe fœcẽ ſulphuris, & ſalis. ita tract. 1. de Peſtilitate. *Materia enim peccãs* (inquit) *in febre nihil eſt aliud, quàm ſulphur, & ſal petræ. Et hic morbus vero, genuinoq. nomine morbus nitri, ſulphuris incenſi appellatur. Sciendum enim eſt, ſalẽ petræ, ſeu nitrum tàm in magno, quã in minore mũdo nihil aliud quicquã eſſe, quam eſſentiam ſpiritualem, & excrementum omnium ſalium: ideòq. naturam habere Hermaphroditicam, itaut nec omnino ſal, nec omnino ſulphur exiſtat*. Quamuis autem Nitrum Hermaphroditicum ſit, tamen magis de ſale participat, cum ſit Excrementum ſalium. Arſenicum autem ſulphuris (cui compar eſt ex Gebro) excrementum, & fœx dici meretur. At Quercetanus, vt ex allata deſcriptione colligitur, ſpiritus ſulphuris incenſos pro materia conſtituit. & lib. 4. fragm. de Tartaro: *Nitrum eſt fimus, & Cadauer rei exilis, aut cibariæ. Et hoc cadauer eſt, ex quo putredo gignitur. Ex hac putrefactione febres emergunt.* deinde: *Vt ſummatim dicam, Nitra omnia inſtar fimi ſunt. Fimus ſi cõgeratur, & cumuletur, excandeſcit.* Et addit: *Et*

Cauſæ febrium.

Alumen eſt fex Mercurij.

Nitrum quid ſit.

Ex Nitro putredo.

Nitrum quidem, ſeu fimus, qui febres in homine concitat, nonnunquam biduo, interdum ſingulis horis putrefit, vt ita quotidiana, tertiana, quartanaq; generentur. Triplex igitur Paracelſo eſt febris ex ſale, ſulphure, & Mercurio: ſed non ex his puris, verum ex horum fæcibus tantum, ſeu ex ſpiritibus harum fœcum accenſarum.

DIFFERENTIAE.

Differentię febrium variæ Paracelſo. Genera febrium plura in Paracelſo, vt tom. 5. tabula 9. eſt: *Opiaticum*, *Centaureum*, *Erroneum*, *Litteriſtum*, *Albugineum*. Et tab. 10. Quatuor febrium genera affert ex: *Sanguine, Terra, aere, igne*. Et quodlibet ex his diuidit in tres ſpecies: *Oppilatum*, *Putrefactum*, *ſuperfluum*. Sed hæc miſſa faciamus, & dicamus tantum, ex lib. 2. de Tart. dari Quotidianam, Tertianam, Quartanam in ſtomacho, ità etiam eaſdem in Hepate, & renibus, variant enim non ratione loci, ſed materiæ. Quotidiana enim à Mercurio (quamuis in ſcholijs à ſale dicat) & Alumine. Tertiana à Sale. Quartana à ſulphure. peſtilens ab Arſenico. Erratica à commiſtione fœcum Mercurij, ſalis, & ſulphuris.

FORMA.

Forma febris. Eſt accenſio ſpirituum fœcalium, ſulphuris, ſalis, vel Mercurij: ita vocat morbum nitri, ſulfuris *In cen/t* alibi *putridam acceſſionem* cui videtur aſſentiri Quercetan. dicit etiam eſſe *Calorem oppilatum*, vel *Calorem putrefactum*, vt ſupra notauimus. & lib. 2. de Tart. trac. 1. c. 3. *Quando ſe vult mundare aer concutit corpus, poſt tremorem venit calor, quia aer per iſtam motionem accendit ſulphur, & ſalis ſpiritum &c.*

ESSENTIA.

Feb. eſt oppilatio. Eſt oppilatio. ita Paracelſ. lib. 2. de tar. tra. 1. c. 3. & iterum in Explicat. trac. 2. cap. 7. trac. 3. c. 4. lib. 9. parag. 1. in fragm. de Tartaro, & alibi. Oppilatio eſt duplex vniuerſalis, & particuris, nec ſimplex oppilatio, ſed cum putredine. vnde ait: *Venit ex putrrdine Tartari, qui vbi vadit ad putrefactionem, facit paroxyſmum. Illa putrefactio enim Tartari, ideſt illius putrefactionis ebullitio deberet penetrare per poros in vias vrinæ, & cum vrina exire, quæ vbi oppilatæ ſunt, facit, & inde venit tremor, ſicut* Quomodo fiat febris Paracelſo. *olla, quæ habet operculum, quando feruet, vel operculum decidere debet, vel olla frangitur, Sic in digeſtione materiæ putrefacta, quando*

doſeruet, tunc facit vaporem, ſeù ventum, & cum non poteſt penetrare in vias vrinæ (Loquitur de febribus hepatis) *ille vapor, facit paroxiſmum, ideſt, concutit corpus, & tremorem facit: ſed quando viæ rurſus deoppilantur paroxiſmus deſinit*. & alibi alia.

CVRA PARACELSICA.

Lib. 2. de Tart. tract. 2. cap. 7. in Annotat. *Cura ſaltem eſt ex febribus, vt viæ deoppilentur, & reſerentur. ideò in regionibus Hepatis, ſi illæ ita obſeratæ ſunt, & ſi viæ, per quas in vrinam ire deberet, obſtruuntur, tunc materia ebullit, & cùm non poteſt egredi, facit tremorem, & totum corpus concutitur, & tremor durat tandiù, donec exitum inueniat, & donec ſe ipſum deoppilet: & vadit ad Vrinam*. deinde ait. *Vna cura eſt deoppilatio, & quartana curatur, ſicut tertiana, niſi quod in quartana materia putrefacta durior eſt. Et omnium morborum, qui tremorem faciunt, ſicut ignis ſacer, & alij, qui veniunt ex oppilatione, cura eſt ex deoppilatione*. lib. 2. de Tart. t. 2. cap. 7. & in fragmentis de Tartaro. hæc habet. *Cura Triplex. 1. Deoppilatio. 2. Mundificatio. i. purgatio. 3. Mẽbri reſtauratio*. Sed plura in Theoph. leges. At *eſt* (inquit Paracel. frag. de Tart. tom. 3. pag. 308.) *aliquando feb. ſine oppilatione*. tunc dicimus digeſtionem egreſſum habere, & minimam ſaluberrimamq. eſſe febrem. & in hac febre, relicta deoppilandi indicatione, attendendum mundificationi, & reſtaurationi. nam alibi dixit tres eſſe febrium modos. ex oppilatione, putrefactione, & ſuperfluitate. ſuperfluum erit vacuandum, putridum mundificãdum. & ex his breuiter indicatis colligere licebit ex ſentẽtia Paracelſi ad febres vtilia eſſe medicamẽta virtute deoppilandi, roborandi, vel euacuandi prædita. tetigimus pauca ex Paracelſo, ſed à ſolis paracelſicis forte intelligenda, Galenicos precamur nè hæc legant, vel ſi legere placuerit, ne irrideant, quæ non intelligunt, deſipiẽtis hoc enim potius eſt; quàm alterius. nam quando ſcribitur ſulphur, nitrum, & huiuſmodi, non intelligenda vulgo Venalia. ſed Analoga.

Deoppilatio præcipua cura febrium.

Cura febrium triplex.

Quæ remedia febribus vtilia.

HIPPOCRATICA SECTA.

Nunc Hippocratis ſententia de Materia, Generatione, & Indicatione febrium eſt audienda, non parùm certè differens à Galenica. quod ipſius Coi ſenis verbis oſtendemus.

Hippocratis opinio.

Omnium febrium materiam, (ſcilicet putridarum Galenicarum) ſcriptum reliquit Hippocrates, eſſe bilem, vt legere eſt.

Materia.

Febres fiũt à bile. libro de Natura hominis paulò ante finem his Verbis. *Febres plurimæ à bile fiunt. Species ipſarum quatuor ſunt, Continens, Quotidiana, Tertiana, Quartana. Continens itaque appellata à plurima, ac meraciſſima bile prouenit, & iudicationes quam breuiſſimo tempore facit. Corpus enim nullo tempore perfrigeratum citò colliqueſcit, nimirum à multa caliditate calfactum. Quotidiana verò poſt continentem à plurima bile generatur, & præ reliquis celerrimè diſcedit, verum longior eſt continente, quanto à pauciore bile prouenit, & propterea quod requiem habet in ipſa corpus. In continente verò non quieſcit vllo tempore. Tertiana* Tertiana. *autem longior eſt, quàm quotidiana, & à pauciore bile gignitur. Quanto verò longiori tempore in Tertiana corpus quieſcit, quàm in quotidiana, tanto diuturnior hæc febris eſt, quàm quotidiana. At verò Quartanæ reliquæ iuxta eandem rationem habent, ſed tertianis diuturniores ſunt, quanto pauciore bilis parte participant, vnde caliditas augetur, & propterea quod corpus in ipſis plus perfrigeſcit, id quod ab atrabile ipſis contingit ſuperfluè adeo, vt ægrè frigus depelli poſſit. Atra enim bilis inter omnes corporis humores viſcoſiſſima eſt, & ſedes diuturniſſimas facit. Quod autem quartanæ febres atræ bilis participes ſint, vel hinc condiſcere licet &c.* Quartana. Itaq. ex Hipp. febres plurimæ, ideſt exceptis diarijs, & Hecticis, à bile fiunt, & non ſolum illæ peculiariter vocatæ continens, tertiana, quotidiana, & quartana, ſed illæ etiam, quæ ab occultis dolorib. ſeu internis inflammationibus ortum ducunt. diſcrimen autem harum febrium eſt, prout magis, & minus de bile participant. Quartana enim minimum aliorum reſpectu bilis habet, plus bilis poſſidet Tertiana, adhuc magis quotidiana, omnium maximè continens, vt quæ à plurima, & meraciſſima bile proueniat: & quamuis dixerit Hippocrates bilem eſſe febrium cauſam, non ob id excluſit cæteros humores. ſed primæ incenſionis, & ardoris cauſam voluit eſſe bilem, cæteros verò humores coadiutores. ſcripſit enim aliàs bilem, & pituitã febris cauſas. primo de morbis linea 25.n.2.& de affectionib. p.243.n.12.dein de p.244.n.14.nec ſolum id ſemitertianis tribui poteſt vt Galenicus quis cenſeret. ſed p.245.n.19.ſcripſit: *Et fit tum tertiana, tum quartana, à bile, & pituita.* Et in vniuerſũ videtur loquutus. de loc. in homine. p.93.n.38. *Febres porrò* (inquit) *propterea fiunt, quum* Non ſola bilis febriũ cauſa.

corpore

corpore ſuperinflammato carnes intumuerint, & pituita, ac bilis Feb à bile,
concluſa quieuerint &c. Et quamuis dixerit. Quartanam à bile, & pituita.
& pituita fieri. lib. de affect. cit. tamen lib. de Nat. Hominis in fine. Quartanam atræ bilis eſſe participem (nota verbum) probare conatur anni tempore, & ætate conſiſtenti. quod igitur in quartana acendit febrem, bilis eſt, à qua *caliditas augetur* ſcripſit Hippocrates, & hæc calida bilis, illa eſt, quæ atram incendit, atra enim natura ſua refrigerat corpus, *& ſuperfluè adeò*, (inquit idē) *vt ægrè frigus depelli poſſit &c.* Sed fortè in quartana adeſt etiam aliqua pituitæ quantitas. dixit enim Hipp. de affect. p. 245. Num. 19.
Fit tum tertiana, tum quartana à bile, & pituita. Galenicus In Quarta-
aliquis pro quartana quotidianam poneret. Egò autem ſæpe ex- na euacua-
hibito albo Elleboro in principio acceſſionis quartanæ (ex mēte tio pituitæ
Hippocratis) ſubſequutum vidi vomitum copioſum pituitæ viſci- iuuat.
dæ, & ſtatim iugulatam febrim; vnde certiſſimè agnoui pituitam, qua ablata febris quartana ceſſauerat, cauſæ febrilis particulam fuiſſe. Sed tertianam, & quotidianam à bile, & pituita fieri voluit Hipp. & in hoc differre, quod plus bilis contineat quotidiana, quam tertiana, & ob id maior bilis copia quotidianum circuitum excitat. minor. copia tertianum. Galenici negantes Galenus ne-
quotidianum circuitum à bile fieri, negant cum Galeno hunc de gat lib. Hip-
Nat. hum. 2. librum eſſe Hippocratis. at ſi ob hæc ſpurius eſt hic pocratis.
liber, liber de Morbis ſpurius etiam erit: ibi enim eandem ſententiam exactè explicat. lib. 2. pag. 200. *Si bile infeſtatur homo*, (in- Num. 36.
quit) *febris ipſum corripit quotidie, ac dimittit.* (eſt igitur intermittens à bile) *Detinet autem in Meridie, & os amarum eſt, &* Quotidia-
quum ſine cibo manet, offendit hoc ipſum. Vbi verò ederit, ſtran- na à bile
gulatur, & à modicis quibuſdam cibis impletur etiam abominatur, ex Hippo-
& vomitiones ipſum inuadunt, & ad lumbos, ac crura grauitas crate.
incumbit, & multum dormit &c. Hippocraticas autem febrium cauſas ſcilicet bilem, cum pituita recepiſſe videtur magnus Hippocraticus, & amicus meus ſingularis Proſper Martianus. Ex- Proſper
poſitione aph. 22. ſect. 1. Hippocratis. pag. 21. & in Antipara- Martianus
logiſmo p. 25. Et fuſiſſimè in annotationibus ſuis doctiſſimis ſu- Amicus Au-
pra Hippocratem. Febris autem continua, continens, Ardens, & ctoris.
huiuſmodi à pura, & copioſiſſima bile gignitur eodem auctore, quod non ſolum explicauit 2. de Nat. Hum. ſed alibi etiam, vt Feb. Ardēs.

Num. 11. de affect.p.243.*Febris ardens. Hic autem morbus ſit à bile,quum*
Num. 14. *mota intra corpus firmata fuerit.*& p.224. *Febris æſtuoſa Vocata*
Num. 34. *patiuntur hæc à bile &c.* & 4. Acut.tex.1. *Febris ardens ſit,quum reſiccatæ Venulæ,tempore æſtiuo, acres, ac biliofos. ſeroſos humores, in ſe ipſas attraxerint*. Et non ſolum febres æſtiuas fieri à bile voluit Hippocrates, ſed etiam Hyemales. de affect.p.243. *Quæcunque verò aliæ febres Hyeme ſiunt, ſiue ex Vino, ſiue ex laſſitudine, ſiue ex aliqua alia re obſeruare oportet. Tranſeunt enim aliquando in morbos acutos. Tranſitio verò ipſarum talis eſt. Quum commotis duobus humoribus pituita, & bile &c.* quo patet pituitam, & bilem omnium febrium Hyemalium ex quacunq. cauſa materiam eſſe.

Febres Hyemales à bile ex Hipp.

Num. 12.

Gal. opponitur Hippocrati.

Hippocraticam ſententiam mox dictam obruere conatur Galenus in expoſitione eiuſdem textus negans Hippocratis librum eſſe; falſum autem redarguit eſſe, quià dixit quotidianam eſſe tertiana breuiorem. Simul etiam reprehendit Platonem in Timeo dicentem. *Itaq. corpus, quod ex ignis abundantia laborauit, continuos feruores, & febres efficit, quod verò ex aeris, quotidianas: at ex aqua, tertianas, vt quæ igne, & aere ſit tardior: quartum autem quum ex terra ſit, omnium lentiſſimum eſt, & quadruplicibus temporis circuitibus purgatur, quartanam efficiens ægrè remouetur*. Galenus autem ſcripſit. *Hanc verò rationem rerum ipſarum explanatio conuincit*. Et ſupra dixerat. *Quem enim latet quotidianam eſſe longiorem tertiana, is ſe in operibus Medicinæ parum eſſe exercitatum prodit*. Galenus autem vel non intellexit Hipp. & Platonem, vel intelligere noluit, vt ſua extarent.

Platonis opinio de febre.

Sed nos hic non agimus Hippocratis interpretes, & Tutores: ſed exaratæ opinionis tranſcriptores, ideò ſatis eſt dixiſſe, in mente Hippocratis, non ex repudiato tantum de Nat. Hum. libro conſtare quotidianam à bile gigni, ſed etiam 2. de Morbis, & alibi vt retulimus. Sed ne Hipp. noſtrum deſeramus oppreſſum, dicimus nullum eſſe dubiũ acceſſiones quotidianas eſſe breuiores, quàm tertianas: quia, Acceſſio quotidiana redit inter 24. horas. Tertiana vero inter 48. eſt ergo ſpatiũ duplo breuius, & fallitur Gal. quia Hipp. nõ eſt loquutus de duratione morbi vſq. ad ſanitatẽ, vt vult Gal. ſed de breuitate inter acceſſiones, cũ enim bilẽ, & eius copiam faciat, febrium, & paroxiſmorum cauſas, huius maior

Defenditur Hippocrates.

ior copia efficiet frequentiores, & breuiores paroxiſmos, minor copia rariores, & longiores, ita multa bilis ex Hipp. efficit continentem, quæ nullo tempore quieſcit, paucior bilis efficiet quotidianam, paucior etiam efficiet tertianam, & dicitur iure tertiana longior, quia longiori tempore corpus quieſcit, ſi adhuc minor fuerit bilis quartana gignetur, quæ omnib. lógior ab Hipp. dicitur hic, non quod difficile ſanetur, ſed ob longam diſtantiam inter acceſſiones. Sic Plato voluit tertianam tardiùs, & longiori interuallo moueri, quam quotidiana, quæ quotidie inuadit, tertiana tertio quoq. die, & quartana quarto, quod autem in quotidiana ſit bilis copia maior, quam in tertiana explicatur dicendo, non velle Hipp. adeſſe puræ bilis maiorem copiam, ſed maiorem humorum maſſam, cui ſit mixta bilis, ita vt maior ſit quantitas humorum in quotidiana, quam in tertiana, & in tertiana copioſiores humores, quam in quartana, quibus tamen humoribus dominatur bilis ſeparata, & hæc quoad febrium cauſas ex ſcriptis Hippocratis.

GENERATIO.

Separationem bilis, & pituitæ à Maſſa ſanguinea, morborum, & febrium potiſſimam cauſam eſſe cenſuit Hippocrates, Sicuti à contentorum omnium apta, & proba coniunctione ſanitatem conſeruari. Vt patet lib. de veteri Med. p. 12. *Quo tempore* (inquit) *ipſa inter ſe permiſta ſimul frigidum, & calidum fuerint, non lædunt. Temperamentum enim, & moderatio contingit frigido à calido, & viciſſim calido à frigido. V bi verò ſeorſim vtrumq. ſecretum fuerit, tunc affligit*: Et paulo ante dixerat. *Ineſt enim in Homine, & Amarum, & ſalſum, & Dulce, & Acidum, & Acerbũ, & fluidũ, & alia infinita omnigenas facultates habẽtia copiãq. ac robur. Atq. hæc quidem iuxta, ac interſe temperata, neq. conſpicua ſunt, neq. hominem lædunt. V bi verò quid horum ſecretum fuerit, atq. ipſum in ſe ipſo fuerit, tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit*. Et de affectionib. p. 244. *Pituita, & bilis compacta quidem, fortia ſunt, & præualent in quacunq. corporis parte conſtiterint, & laborem, ac dolorem fortem exhibent. Diffuſa vero debiliora ſunt, quacunq. corporis parte manifeſta fuerint*. Cum igitur concocti humores non lædant, ſed ſeparati, ſeparatio autem mixtioni opponatur, cruditas, quæ coctioni contraria eſt

Separatio Humorum febrium cauſa.

Num. 27. & 28.

Num. 24.

Num. 16.

cum

Quid concoctio. cum ſeparatione coincidet. Vnde de Vet.Med.n.32. legitur. *Fit autem concoctio ex permiſtione, temperaturaq. mutua, & quaſi*
Num. 3. *coctura*. Huic contraria cruditas fiet ex ſeparatione &c. deinde
Num. 34. agens de affectibus ab amara flauaq. bile, ſubdit: *Quanto autem tempore eadem eleuata fuerit, & cruda, & meraca, ac intemperata, nulla arte, neq. dolores, neq. febres ſedare poſſis*. (Ergo eſt temperanda, & permiſcenda) *Et quos quidem acuta, acriſq. ac aru-*
Eff.ctus bilis. *ginoſa bilis affligit, quales mox rabies, & morſus viſcerum, ac pectoris, & deſperatio? Non ſedantur autem hac priuſquam eadem expurgetur, & proſternatur, & alijs permiſceatur* (attende ſcopos) *Concoqui autẽ, & permutari, attenuariq. ac craſceſcere in humorum ſpeciem per multas, & omnigenas ſpecies contingit.* & paulo
Num. 35. poſt. *Reliqua omnia in homine, quãto pluribus miſcentur, tantò mitiora, ac meliora fiunt*. Ob id quamuis bilis, & pituita inter ſe temperamento contraria ſint, & in vicem compacta, tamen à corpore quia ſunt ſeparata, ſe non temperant, & refrangunt, vt etiam adnotauit Martianus in Antiparal. p.24. ſed ſanguis vtramq. ſolus, aptèq. temperat.

Bilis ſeparatura attractione. Modi, quibus humorum fit ſeparatio plures ſunt, ſed aliquos tangemus 4. Acut. t.1. & 3. *Febris ardens fit, quum reſiccatæ Venulæ hora æſtiua, acres, ac bilioſos ſeroſos humores in ſe ipſas attraxerint*. Hæc ſeparatio bilioſi ſeri, fit attractione: attractio autem fit ſimilitudine. Venæ enim calore exiccatæ calidiores ſunt redditæ ob id non inſipidas, frigidaſq. ſeroſitates ſibi contrarias attrahunt, ſed ſimiles calidas, ſcilicet acres, & bilioſas. aliud autem eſt attractio naturalis, aliud appetitus, qui contrarium cupit in fame, & ſiti. hoc pacto ſeparati humores ad lædendum
Num. 27. ſunt apti, & 1.etiam de morb. p. 188. ſimilem modum explicat. Alijs etiam de cauſis huiuſmodi ſeparatio fit, vt in fluxionibus &c. moueri autem de ſua ſede hoſce humores conuenit. & de affect.
Num. 11. p.243. *Febris ardens. Hic autem morbus fit à bile, quum mota in-*
Num. 12. *tra corpus firmata fuerit*. deinde. *Quum commotis duobus humoribus pituita, & bile, non conducentia corpori exhibentur, ipſi in-*
Bilis ſeparatio ex pulſione. *ter ſe ipſos coacti pituita videlicet, ac bilis, corpori vbicunq. tandem contigerit allabuntur, & fit pleuritis, aut phrenitis &c.* Hic motus erit non attractione, ſed expulſione ob acrimoniam innatam &c. ſed audite quomodo ſeparati humores lædant. de loc.

in

in homine. p. 93. *Febres propterea fiunt, quum corpore ſuper inflammato carnes intumuerint, & pituita, ac bilis concluſa quieuerint,* (quies eſt cauſa putredinis) *& neque refrigerentur quicquam* (quo frigore?) *neq. exeat, neque moueatur, neque aliud quid ſubeat.* Ecce quomodo lædunt ſeparati humores. compacti enim, & concluſi putreſcunt, incaleſcunt, & ardent. ſed non omnes febres fiunt corpore tumefacto, ac humore repleto. ſubdit enim: *Quum verò gracilem exiſtentem febris vrat, manifeſtum eſt, quod non propter corporis tumorem febris occupat.* Sed ſi non ob tumorem, & repletionem inflammatio fuerit, an ex ſimplici intemperie abſq. materia febris? an materia concluſa eſt in Venulis, quæ tumorem non oſtendunt, non autem in carne? 1. de Morb. p. 186. Febris porro ab his fit. Quum bilis, aut pituita calcefacta fuerit, totum reliquum corpus ab his caleſcit, & vocatur hoc febris. Caleſcit autem bilis, & pituita, intrinſecùs quidem à cibis, & potibus, à quibus etiam nutritur, & augetur. Extrinſecus autem à laboribus, ac vulneribus, & à calido nimium calefaciente, & à frigido nimium frigefaciente. Caleſcit item à viſu, & auditu: verùm minimum ab his. quod confirmat etiam p. 188. & 4. de Morbis. n. 22. caleſcente ſanguine exhalat maximè per hunc humor aquoſus, qui febri eſt infeſtiſſimus, relinquitur autem pinguis, ac leuis, qui eſt bilioſus, & febri maximè nutrimentum eſt. Exhalat autem hoc modo &c. Sed his hactenus Hippocratis ſententiam de cauſis, & ortu febrium indicaſſe ſit ſatis, nunc indicationes ex eiuſdem ſcriptis eliciemus: at qui plura de re hac voluerit legat P. Martianum com. de Nat. Hominis. verſ. 272. Huius enim aureas annotationes, à Franciſco filio impetratas nuperrimè typis excudi curaui adiuuantibus Medicis aliquot Romanis Eruditiſſimis, haud paruis laboribus: ſed veri amici munere functus ſum; beneuolentiam, quam Martianus viuens, erga me oſtendebat; mortuo illi hoc pacto, vt potui, compenſans, & deſiderium ſuum in actum reducens, nihil enim magis optabat, quàm labores hoſce ſuos publicè extare.

Num. 38. Vt ſeparati humores lædant. Num. 39. Num. 22. Auctor curauit edi opera Martiani.

CVRA HIPPOCRATICA.

Ex Hippocrate de veteri Medicina ſcopos, & indicationes curandarum febrium, ſatis apertè elicere poſſumus, agens enim de Amara bile, quæ febres, & alia ſymptomata inducit. ait. *Verum*

Num. 34. *rùm vbi liberati fuerimus ab illa, & purgati, aut ſpontè, aut me-*
Indicationes feb. *dicamento ſi modò tempeſtiuè quid horum fiat. manifeſtè, & à doloribus, & à calore liberamur. Quanto autem tempore eadem eleuata fuerit, & cruda, & meraca, ac intemperata, nulla arte, neq. dolores, neq. febres ſedare poſſis.* Ex his paucis Hippocratis verbis apparent, tùm peccata, tùm remedia cauſæ febrilis, quæ eſt bilis. peccat autem, quia eſt *eleuata, cruda, meraca, intemperata*. In vniuerſum autem ad omnia hæc peccata, quia non ceſſat niſi *purgata aut ſpontè, aut Medicamento* conferet, & indicabitur purgatio tempeſtiuè adhibita. particulatim verò; quia eſt *eleuata*, ſeù ebulliens, & commota, quia non ſedatur *prius quam proſternatur*. erit proſternenda, motus, & ebullitio prohibenda. Quia eſt *Meraca*, pura, intemperata, nec admiſta, vt oportet: ſed ſeparata à maſſa ſanguinea, temperanda, & miſcenda, ſi apta eſt. nam non ſedatur *priuſquam alijs permiſceatur*. Quia eſt *cruda*, erit concoquenda: nam non ceſſat, niſi craſſeſcat, vel attenuetur, & temperetur; ergo incraſſanda, ſi nimis tenuis; attenuanda, ſi nimis craſſa; nam ſubiungit n. 35. *Concoqui autem, & permutari, attenuariq. ac craſſeſcere in humorum ſpeciem, per multas, & omnigenas ſpecies contingit.*

Indicatio febris Hippocratica.

Ex his colligimus vtilia in febribus eſſe medicamenta attenuantia, incraſſantia, concoquentia, ebullitionem ſedantia, & purgantia tempeſtiuè adhibita. his addenda medicamenta refrigerantia. nam de loc. in hom. n. 38. *febris perfrigeranda eſt præ-*
Num. 11. *terquam ſi quartana exiſtat*, & lib. de affect. pag. 243. in Cauſo. adhibet, *frigefacientia intus, & extrà*, Vti etiam 2. de Morb. p.
Num. 36. 37. & 38. 200. prætereà ibidem *ſudorifica* probantur. tandem 3. de Morb. in fine. tria docet in febre ardenti remediorum genera. frigefactorias potiones vocans: *Aliæ enim* (inquit) *mictionem indu-*
Num. 29. *cunt, aliæ alui ægeſtionem, aliæ vtrumq. præſtant, aliæ neutrum, aliæ ſolum frigefaciunt.* Itaq. hìc, vt febri vtilia deſcribuntur triplici facultate prædita diuretica, purgante, frigefaciente. nunc aliò vertenda noſtra oratio, & aliud Medicæ ſectæ genus alloquendum.

METHODICA SECTA.

Methodica ſecta de eſſentia febris.

Methodica ſecta ante Galenum in multo honore habita, febres, tàm putridas, quàm Ephemeras dictas, Morbos adſtrictos

vocabat

vocabat ab adſtrictione meatuum ortas cēſens. quare vnicus illi erat ſcopus, vt adſtrictus affectus tolleretur, quippè meatuum, vel internorum, vel externorum adſtrictio, vel clauſio. quod relaxantibus nuncupatis medicamētis præſtabat. Hectica verò in ſecundo, & tertio gradu mixtus morbus dicebatur; nam ratione febris in ſolidis, adſtrictus; ratione verò colliquationis, fluxus erat. ita medebatur; tùm laxantibus, tùm ſtringentibus.

Et ex his patet, quid ſit febris, & quæ remedia in genere requirat. non ſolùm in Medicorum Galenicorum ſecta, quæ nunc magis viget in Europa, & quibus nos maximè ſcribimus. ſed etiam in Paracelſiſtarum, quæ grex non pauca in Germania alitur. atque etiam apud verè Hippocraticos, qui pauci reperiuntur, cum nomine multi adſint, eius enim remedia, medendiq. methodum pauciſſimi in vſum trahere conantur. & quamuis pauciores adhuc etiam Methodici reperiantur, eorum tamen ſecta, quia Antiquitùs probatiſſima erat, non fuit omittenda. Ad quos ſcribat Auctor.

DE CHALCANTHI LIQVORIBVS.

Nunc ſecundam partem noſtræ diſputationis proſequemur, in qua Temperamentum, & præcipuas facultates ſpiritus, & Olei Acidi ex Vitriolo oſtendemus. ſed docendi primo ſunt chimiæ ignari, plures eſſe liquorum ſpecies à Vitriolo extractorum, à nobis autem duo ſolùm, ſcilicet vnam tantum Olei ſpeciem, & ſpiritum dictum tractanda eſſe. De multiplicitate Chalcanthinorum liquorum teſtis erit Libauius, qui lib. 2. Alchimiæ t. 2. cap. 26. dicit. *Spiritum Vitrioli duplicem eſſe album, & rubeum.* & lib. 8. Syntag. Arcan. cap. 26. *Præterea* (inquit) *inuenies ſpiritum diuerſum, Acidum, dulcem, remiſſum, intenſum, Violam olentem, & Oleum ex Capite Mortuo*. Eſt etiam Viridis ex Quercetano. & Libauius lib. mox citato. c. 22. dixerat etiam reperiri Oleum Vitrioli *Acidum, dulcem, ſubdulcem Crollij, & acre, præterea rubrum, cæruleum, ſubuiride*. præter hos dictos liquores adeſt phlegma Vitrioli, & alij, quos enumerare nunc ſuperfluum, ſatis fuerit pluralitatem Olei, & ſpiritus Vitrioli indicaſſe, & ex omnibus his Vitrioli liquoribus, ego tantùm Verba ſum facturus de Acido ſpiritu, Acidoq. Oleo, & aduertant Lectores me ſæpè, vel Olei tantum vocem, vel ſpiritus ſolius afferre, cum tamen vtrumq. intelligam; ſed breuioris ſermonis gratia ità agitur.

Temperamentum Olei Vitrioli.

Liquor Vitrioli multiplex.

Agendum tantum de acido Vitrioli liquore.

Probatur dari acidũ Vitrioli liquorem.

Acidi autem ſaporis è chalcantho liquorem extrahi, & aciditatis veræ, Auctoritate, ratione, & experimento demonſtrabo. Auctores infinitos habeo Acidum expreſsè vocantes inter quos ſunt Paracelſus, Seuerinus, Quercetanus, Libauius, Crollius, Rullandius, Euonimus, Geſnerus, Mattiolus, Birellus, Heroldus, Crato, Sala, Beguinus, Porta, Penotus, Cæſalpinus, Rubeus, Kernerus, Libdelius, Gramanus, Bornetus, Turquetus, Hofman, Mindererus, Mullerus, Zappata, Cordus, Boudero, Reuſnerus, Fedro, Vntzerus, Andernacus, & infiniti alij chimici, qui ſuis manibus extractum Vitrioli Oleum, atque etiam ſpiritum guſtu proprio acidum ſenſerunt deguſtantes. Igitur non ſunt audiendi quidam aduerſarij de Oleo, & ſpiritu ineptè loquentes, qui chimiæ penitus penituſquè ignari contendunt audaciſſimè omne Vitrioli Oleum eſſe acre: nam de re ſibi ignota garrientes (cùm cœcus non iudicet de Colore) errare omninò eos neceſſe eſt, & ſomnia tantùm non certa experimenta, non veras rationes afferre poſſe. Chimici autem expertiq. Viri adeò Acidos hos liquores iudicarunt, vt alterum ex his Paracelſus appellauerit *Acetum Eſurinum*. Crollius *fontem Acidum*. Quercetanus verò ambo *Aceti Montani* nomine decorauit, alij *Acetum minerale* vocant, *Acidulam* etiam, & *Acetoſam mineralem*, nonnulli *Acetum Philoſophorum*.

Aduerſariorum reprehenſio.

Nomina varia.

Præterea Libauius loco vltimò citato agens de notis veri ſpiritus Vitrioli. *Aliqui* (inquit) *modo Acidus ſit liquor ex chalcantho qualicumque opera factus ſatisfactum putant.* & paulò poſt. *Nos dicimus eum, qui Violam olet, & bum odorem acquiſiuit, vel diligenti deſtillatione, & rectificatione, vel etiam circulatione, ſimulq. eſt penetrans, & ſubtilis, Quintæ eſſentiæ dignitatem, & nomen ſuſtinere: Eum vero, qui relicto Oleo rubro, & ſolutiuo forti, corroſiuoquè paratus eſt, modò magis à phlegmate ſeparatum eſſe modò minùs, & ideò inæqualiter efficere. Purus tamen, & Cryſtallinus hic ſit, ſaporeq. Acidus plus minùs.* Seuerinus in ſua Idæa requirit *Dulcem cùm aciditate ſpirituali abſque vlla ſenſibili corroſione in lingua, & auſteritate tarda.* Quercetanus etiam illum laudat, qui eſt *cùm Acidulo gratiſſimo ſapore*. Temerè igitur inexperti Aduerſarij noſtri negant Aciditatem, & pro ea Acredinem ponunt in ſpiritu Vitrioli. Sed

Quale ſit oleum Vitrioli.

Deceptio aduerſariorum.

forte

forte decepti ſunt, quia, vt ait Libauius, *Officinæ oſtendunt modò rubrum oleum, modo ſubturbidum, & albicãtem liquorem: nonnunquam purum, & Acidum, impari admodũ virtute, vt non facilè tibi conſtare de iuſta doſi poſſis, contingatq. peccare, vel exceſſu, vel defectu ni ſenſus adhibeas, & examina: ſæpe etiam tàm graue Empyreuma redolet, vt faſtidias Medicamen.* Non ſunt Ergo nobis inſpicienda Oleum, & ſpiritum venalia; ſed optimè parata, & cum ſuis probitatis notis.

Acidum autem eſſe ſpiritus Vitrioli ſaporem patet ex dentium alligatione, quam deguſtantes experiuntur: Nàm ſi vera ſcribit Galenus 3. de Alim. fac. 16. & 1. de ſympt. cau. cap. 5. necnon ad Traſib. 13. αἱμωδία ideſt *dentium ſtupor ab Acidis, & Acerbis fit.* Si ergo Vitrioli quidam liquor dentes ſtupefacit erit, vel Acidus, vel Acerbus. Dentium ſtupor ab acidis.

Secundo probari poteſt, quia actio liquoris Acidi Vitriolati eadem eſt, ac ſucci limonum; ſed hic communi conſenſu Acidus eſt. ergo. paritas autem actionum eluceſcit in Coralliorum, Margaritarum, & ſimilium ſolutione. quia vterque Aquæ mixtus ſapore non diſtinguitur. denique quia ex ſucco limonum denſato, (vt ſæpè apud Illuſt. Equitem Caſſianum Puteum Chymicorum Mæcenatem obſeruauimus) adeo pungens Aciditas linguam vellicat, vt Oleum ipſum Vitrioli ſuperare videatur. Ol. Vitrioli agit vt ſuccus limonum.

Cùm autem hanc eandem Aciditatem alibi etiam exactè demonſtrauerim nunc pedem ſiſtam, & pro conceſſo ſumam, dari, & præparari ſpiritum, & Oleum dictum ex Vitriolo ſaporis merè acidiſſimi.

Cuius autem ſint Temperamenti hi Acidi Chalcanthi liquores nunc definiendum, ſed alibi ſententiam noſtram diximus, & fuſiſſimè probauimus, nimirum ſiccos frigidosq. extremè eſſe, & ab his qualitatibus, ſecundos effectus prodire: nondum in aduerſum (præter Grembrium) loquutus eſt Aduerſarius vllus, quod ſi contrarium oſtendent veris rationibus, & experimentis mutabimus victi ſententiam; interim verò dùm nihil probant, quamuis ad ſydera alta voce rauci exclament, non ſcriptis, nos his vtemur liquoribus vti frigidis, & ſiccis, & ſummè acidis; refrangimus autem vehementem ſaporem, & qualitates nimis intenſas, vel aqua pura, vel alio liquore, vel ſubſtantia, vt prima Epiſtola de- O. Vitriolũ frig. & ſiccam.

claratum eſt. Sed pauliſper quæſo conſideremus Aciditatis facultates, quoniam Acidos liquores tractamus, & incipiamus à Vetuſtiori Auctore. Acida in primis refrigerare à Medicorum optimo Præceptore diſcimus Hippocrate lib. de affectionibus circa finem. τὰ ὀξέα λεπτύνει, δῆξιν ἐμποιέοντα. *Acida attenuant, morſum inducentia*. Et 2. de Dieta: *Vina Acida frigefaciunt, attenuant, humectant; frigefaciunt quidem, & attenuant humiditatis euacuationem à corpore facientes: humectant autem per aquam vna cùm vino ingredientem.* dicit etiam. *Acetum frigefacit, quia colliquans, humiditatem in corpore conſumit, ſiſtit autem magis, quam mouet aluum, quia non alit, &* δριμὺ *eſt*. ſcilicet *Mordax*. Deinde apertiſſimè dixit: *Quæ Acida ſunt frigefaciunt*. Poſtea ſubdit: *Mala Punica Acida magis, quam alia frigefactoria*. Et paulo poſt. *Carnes in Aceto aſſeruatæ calefaciunt quidem, verùm minus propter Acetum*. Eſt igitur Hippocratis opinio Acida refrigerare, & attenuare. ob id, ſi Hippocrates nouiſſet Aciditates Vitriolicas, certè frigidiſſimas, & attenuantes iudicaſſet.

Acida frigida ex Hipp.

Quoad Methodicorum opinionē de Acetoſitate, parùm certi quid afferri poteſt, cum pauciſſima Methodicæ ſectæ viuant monumenta, at hoc loco ſatis erit, quod Proſper Alpinus de Med. Methodica lib. 10. c. 15. ſcriptum reliquit. ad dubitationem enim de Acidis, an (cum videantur medicamenta adſtrictoria, & non niſi laxo morbo congruentia) conuenire poſſint cibi faſtidio, qui morbus aſtrictus eſt, Reſpondet: *Veritas eſt appetitum Acido, atq. Acetoſo ſapore plurimum gaudere, atq. excitari. Acida namq. omnia incidendo, extenuando ſine acrimonia, partes humoribus adſtrictas, tumenteſue, commode laxare poſſunt. quare mirum non eſt, ſi obſtructis conueniant, atq. ſuppreſſæ vrinæ non minùs, quia craſſos humores extenuant, atq. detergunt: tenuiſſimarum etenim ſunt partium; quibus de cauſis meritò laxatoriorum medicamentorum genere à nobis comprehenſa fuerunt.* Vitrioli ſpiritus, & oleū cùm Acidiſſima ſint, & Acidorū effectus habeāt, nimirùm craſſos humores detergendi, & obſtructis ſubueniendi, ſi nouiſſent Antiqui Methodici, inter Acida, & laxantia poſituros fuiſſe certò mihi perſuadeo.

Acida laxant ex Methodicis.

Difficultas de Aciditate.

At dices ſupra ad Hæmoptoiſim, qui laxus morbus eſt, Acetum, & acida commendata ſint, hic laudantur ad morbum aſtri-

ctum,

ctum, vel vtriſq. iuuat, vel vni tantum, vel nullis . & ſic vel aſtringens, & laxans ſimul erit, quod abſurdum, vel ſtringens ſolum, ſeù ſolum laxans, quod rationi magis conſonum. vel ita medium inter hæc, vt nulli morbo prodeſſe, aut obeſſe queat.

Reſp. Vitrioli liquores, & omnia Acida vtramq. dictam facultatem habere; ſed non ſemper reſpectu eiuſdem; reſpectu enim pororum aſtringunt nimium laxos, reſpectu verò humorum laxant incidendo, & expellendo ipſos, nunquam autem poros laxant, nec vnquam humores ſtringunt, hinc eſt, quod (vt alij dixere) poſtquam corpus à Viſcidis expurgauerint, aſtringunt. Solutio.

Quoad Galenum, hic nobis fauet, nàm 4. de ſimpl. med. fac. cap. 7. Acida eſſe frigida probari dicit ex ſenſu, ſiuè inductione, & ex ratione, quæ ex eorum ſubſtantia colligitur, demonſtratq. pluribus id toto capite: tandem ſic fatetur. *Acida vniuerſa, tum ea, quæ ſimpliciter Acida eſſent: tùm mixtis quoque alijs qualitatibus quædam, ſiue dulcibus, ſiue acribus, ſiue amaris: nihiloſeciùs apertè refrigerantia expertus ſum*. Quod repetit cap. 12. & 15. & alibi. quem ſequuntur Galenici, vnde P. Aegineta lib. 7. cap. 1. *Acidum refrigerare*, ſcribit, & addit. *incidere, diuidere, extenuare, aperire, & perpurgare citra calefactionem poteſt*. Et cum his concordant cæteri antiquiores Græci. immo etiam Arabes. Nam Meſues. *Acidum* (inquit) *penetrat, aperit, incidit, diuidit, tenuat, terget, denſat, aſperat, extinguit calorem, citò agit hæc opera: ſed in medio valentium, & imbecillium eſt: ſua deniq. ſubſtantia tenui acre obtundit; dulci, & inſipido vigorem addit*. Deinde ſcribit agens de correctione medicamentorum purgantium: *Acida ſalubriter miſcentur Acribus, vrentibus, mordentibus, dulcibus, & alijs incendi aptis: inutiliter amaris, ſalſis, ſtipticis, vlcerantibus, ſerrantibus*. Eadem referunt Serapio, Iſaac de Dietis, Auerroes, & Auic. lib. 2. tract. 1. c. 3. qui etiam dixit: *Operationes Acetoſitatis ſunt infrigidatio, & inciſio*. Nec diſſentiunt Latini de Acidorum temperamẽto, & Viribus. Quod ſi hæc vera ſunt, cùm oleum, & ſpiritus Vitrioli ſint Acida, & Acidiſſima, vt diximus, neceſſario ſecundum Galenicam ſectam erunt refrigerantia, exiccantia, incidentia, diuidentia, extenuantia, aperientia, perpurgantia citra calefactionem, penetrantia, detergentia, denſantia, aſperantia, & extinguentia calorem, citiſſima opera-

Acida frigida ex Galeno.

P. Aegineta.

Arabes.

Latini Medici.

Acidi vires.

operatione, præterea Acribus contraria, eorumdemq. obtundentia erunt.

Acidum frigidum Paracelſo.

Reſtat vt Paracelſi opinionem afferamus in medium. at hic frigiditatem expreſsè fatetur, ſic tract.3. Paramiri de Ente Nat. cap.10. *Quicquid Acidum eſt, frigidum, ac ſiccum exiſtit*. Præterea de contract. tract.1.c.2. *Per Acetoſam* (ait) *& tartaream huiuſmodi frigiditatem prorſus immobilia membra facta ſunt, nec ſolum propter frigiditatem; ſed etiam ob aciditatis aſperitatem ipſæ venæ corroduntur*. Hic frigiditatem, & aſperitatem tribuit Aciditati, & ob eas cauſas, etiam corroſionem. Et cap.3. ſubdit: *Inſenſitiuæ contracturæ ſunt emortuæ propter humoris corroſionem ab aciditate, frigiditateq. materiæ*. Hic etiam patet Paracelſum

O. Vitrioli corrodit.

Aciditati tribuere frigiditatem, & corroſionem, vnde non mirum, ſi oleum Vitrioli, vt acidum, alibi diximus corrodere. ſed tom.7. tract. de Vit. agens de oleo Vitrioli, quod acetoſiſſimum vocat, ſic ſcribit: *Cæterum de virtutibus, ſciendum eſt primo, rem eam acetoſam eſſe, omnem acetoſitatem, ita ſuperantem, vt nulla acetoſior ſit. Deinde naturam etiam corroſiuam continet; qua de cauſa opus eſt, vt prouidè, & cautè vſurpetur, nimirùm non per ſe, ſed in bona concordantia, & idonea mixtura reſpiciente id, contra quod adhibetur*. Ecce docet eſſe Acidiſſimum. ergo etiam

Ol. Vitrioli frigidiſſimum.

frigidiſſimum erit. Si eſt corroſiuum ab Aciditate id habet: nam purus eſt, & homogeneus acidus liquor ab arte Alchimica ſeparatus, & depuratus, ſcribit enim lib. de Tartareis Morbis c.16. *Alchimia Acetoſum à dulci ſeparare docet &c.* Nè autem corroſio lædat, docet, non eſſe ſolitarium ſumendum, ſed in compoſitione. Præterea tract.3. Paragrani de Alchimia. ſcribit: *Proinde ergo Vitriolum ſuum ipſius laxatiuum promit, omnium laxatiuorum ſummum ſummumq. deoppilatorium. Nec enim in corpore membrum vllum eſt, ſeu externum ſit, ſeu internum, quod ab eo non perterretur, & afficiatur, habet etiam vim conſtrictiuam &c.* Et

Vitriolum laxatiuum, deoppilatorium.

Cõſtrictiuũ

tract. de Vit. dixit etiam ſpiritum Chalcanthi præſtans eſſe, *in omnibus oppilationibus, & internis Apoſtematibus &c.* Denique concludamus ex Paracelſo ol. Vitrioli eſſe Acidiſſimum, & ob id ſummè frigidum, & deoppilatiuum.

At Paracelſici quidam (vt notat etiam Libauius lib.8. ſyntag. c.28. & 1. part. Apocalypſ. c.14. & 15.) Acida ex oppoſito calida

ſida iudicarunt, nequaquam frigida; aſſerentes in Aceto eſſe igneum calorem, & ex ſulphure igneo, Vitriolo, melle, ſalibus, fumis rerum variarum, medicamenta Acida quidem elici, verùm ignea, & cauſtica.

Ol. Vitrioli calidum ſecundum quoſdam Paracelſicos.

Secundo dicunt, falſum eſſe ſulphuris Oleum acidum refrigerare; nam conſtat, adeò acre eſſe, vt etiam Mercurium, & Perlas calcinet, acria verò ſunt calida.

Rationes Paracelſiſtarum.

Tertio ipſe Quercetanus aciditatem acceptam refert ſali armoniaco in tract. de med. priſc. mat. p. 21. & alibi. At ſal Armoniacus quantæ eſt caliditatis? ex eo, & ſublimato fit ignis Gehennæ, idem additus communi forti Regiam efficit auri corroſiuam. quid dicam de puluere terribili aureo Crollij ex armoniaco tantæ incenſionis, & virium vt g. iij. plus valeant quam vnc. 1. pulueris pyrij vulgaris; & nos experti ſumus videntes paratum ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Card. Burgheſij expertiſſimo chimico Io. Bapt. Meltio Mediolanenſi.

Quarto Oleum Vitrioli rubeum abſtracto ſpiritu eſt Acidiſſimum, & corroſiuum, atque etiam Auri ſolutiuum, vt vim Regiæ aſſequatur.

Alij verò Theophraſtei, qui qualitates Elementares oderunt, aſſerunt. Aciditatem in illis, non eſſe Elementarem, ſed æthereſam, & eſſentialem; ideoquè non venire ſub cenſum elementaris caloris, aut frigoris: poſſe tamen cum vtriſque eſſe, & ambigue ſe, & mercurialiter habere ad omnem elementarem qualitatem, quod non eſt refrigerare, nec calfacere. Nam ſpiritus Acidus anceps eſt, vtpote cuius aerea, mercurialiſq. natura ſe accommodat calidis, & frigidis, & cùm calidis tenuitate ſua caliditatem actuoſiorem efficit, cùm frigidis, frigidum ſpiritum inſtigat, quod experientia docuit in Vitrioli ſpiritu acido.

Alij Paracelſici aciditatem O. Vitrioli æthercam dicentes.

Sed his poſtremis reſpondemus, quamuis Acidi præcipuas actiones in alia epiſtola tribuerimus ſpiritui ipſo nequaquam elementari non tamen affirmandum videtur Acidum ipſum ſaporem eſſe in aliquibus æthereum non Elementarem. Nam Aciditas guſtabilis qualitas eſt, & ob id in ſubſtantia elementari, quæ quidem tenuiſſima eſt, frigida, & ſicca, & dicere poſſumus Terream; ſubiectum tamen ſpiritus cuiuſdam ætherei, & nullius guſtus

Reſponſio.

Aciditas qualitas eſt elementaris.

ſtus, & ſenſus vulgaris, qui inquietus, & fermentans cum calidis calefacit, cum frigidis refrigerat ob ſpirituum motum. non quidem ratione ſui; ſed ſubiectæ materiæ. vt alibi diximus. hic autem dicimus duplicem dari in omni mixto actionem. (quod exactè probamus in noſtro Triumpho chalcanthi) alteram à materia elementari, quàm ferè ſolam Galenici obſeruant. alteram verò à ſpirituali, quam maximè Paracelſici venantur, & aliquot Galenicis, aliquantum probata eſt, appellantq. qualitatem occultam, à tota forma, ſubſtantia, ſpecificam &c. nos ſpiritualitem dicimus, & cuique naturali mixto concedimus actiones ab elementari ſubſtantia, & eius qualitatibus, ſaporibus &c. præterea alias adeſſe volumus à ſpiritu inſito ab alijs diuerſas, ſed hæc alterius loci ſunt. hic dixiſſe ſit ſatis aciditatem Vitrioli eſſe ab elementari materia. ſed ipſe Paracelſus ſapores non tribuit Aethereæ eſſentiæ, ſed ſuis materialibus principijs, vt t.8. p.86. ſeù lib. 3. philo. tract. 4. Acrimoniam à ſolo ſale: dulcedinem à Mercurio: Amaritudinem ex coniunctione ſalis, & Mercurij, fieri: Acetoſitatem verò liquorem eſſe ſcribit ex omnibus tribus eſſentiam nullam habens, inſtar Aceti à Vini ſpiritu deſerti. alibi verò ſapores tribuit ſolo ſali, ſed ſatis.

Actio miſtorum duplex ab elementis.
A ſpiritu inſito.
Cauſæ ſaporum ex Paracelſo.

Nunc reſpondeamus ad eos, qui Acida eſſe calidiſſima iudicant, & præterquamquod Præceptori Paracelſo opponuntur, valde etiam decipiuntur, nec internum nucleum veramq. Acidorum eſſentiam ſe conſideraſſe oſtendunt, quibus, vt mihi videtur, ſatis me oppoſui in meis dubitationibus ad Mindererum. Sed erroris anſam illis præbuere liquores Acidi ex Vitriolo, ſulphure, & ſalibus, quæ omnia eſſe cauſtica experiuntur, & ita etiam extractos liquores aliquos; cum autem materiæ ipſæ, ex quibus huiuſmodi extrahuntur liquores, ab omnibus calidæ ſtatuantur, liquores etiam extractos calidos eſſe iudicant. Sed ad hæc facilis eſt Reſponſio; nam cùm mox dicta ſimplicia mineralia, ſeù foſſilia, ſint Hæterogenea, non mirùm ſi cùm pluribus partibus calidis, adſit vna frigida particula, quam ars Chimica ſeparat. nec valet coniectura hæc, Sulphur, & Vitriolum ſunt à prædominio calida, ergo nullam particulam continere poſſunt frigidam. in compoſitionibus enim artificialibus calidas ſubſtantias cùm frigidis ſæpè iungimus; vt in Theriaca, cùm calidiſſimo Euphorbio

Error cenſentium. Acida calida,
Acida cauſtica,
Reſponſio.
Inter varias calidas Vitrioli partes adeſt pars frigida.

Euphorbio frigidiſſimum Opium. non erit igitur abſurdum ſi dixerimus à calidiſſimo Vitriolo, vel ſulphure extrahi poſſe frigidiſſimum liquorem. nonnè & inter Galenicos Capiuacceus, & Euſtachius Rudius Opio tribuunt duplicem à Natura inſitam ſubſtantiam, alteram in tertio gradu calidam, alteram verò frigidam in quarto? à prædominio tamen frigidum Galenici vocãt: quod ſi Arte illæ duæ ſubſtantiæ ſepararentur nonnè dici poſſet à frigidiſſimo Opio extrahi calidam ſubſtantiam tertio gradu? ſed hæc Paracelſici non probabunt. quare ad ſingulas allatas rationes reſpondendum. Opium frigidum, & calidum.

Ad primam dico Acetum à prædominio eſſe frigidum non ſolum Hippocrate, atque Galeno teſte, cui non credunt Paracelſici, ſed in doctrina eorum Magiſtri, nam Acetum pronunciauit eſſe quid ſpiritu priuatum, calore priuatum, ergo frigidum. quod ſi etiam à ſuo Paracelſo defecerint, experientia manifeſtè ipſos conuincet. Vitrioli autem, & cæterorum liquores acidos fatemur quidem (etiam cum Paracelſo) eſſe cauſticos; ſed non igneos: alibi enim clarè oſtendimus, non omnia cauſtica eſſe ignea ſcilicet calida, & ſicca: ſed ſatis eſſe, vt ſint ſicciſſima, & ideò poſſe eſſe tàm calida, quàm frigida dummodo ſint ſicciſſima. Vnde huiuſmodi liquores Acidos eſſe cauſticos, frigidos, & ſicciſſimos, cùm ſumma ſubſtantiæ tenuitate iudicauimus. immo hi acidi liquores, ita reliquæ ſuæ ſubſtantiæ opponuntur, vt Acidum Oleum Sulphuris (teſtibus Quercetano, Rullando, Vntzero, & Libauio) inſperſum pulueri Pyrio, (qui ex ſulphure vulgari, Nitro, & carbone conſtat ignem facillimè ſuſcipiens) ipſum reddat ad ignem recipiendum omninò ineptum. Solutio primæ rationis. Acetum frigidum. Cauſtica ſicca. O. Sulphuris extinguit ignẽ.

Ad ſecundam dicimus ipſos valdè decipi in ſenſu, & Experientia, negantes ſulphuris Oleum refrigerare. quod contra omnes auctores, & contra experientiam eſt, quare apertiſſimè falluntur; ſed ſecundo etiam ineptè loquentes alluccinantur; dum Oleum Acidum primo vocant, deinde Acre, ac ſi idem eſſet (fortè alios decipiendi cauſa?) cùm tamen ſint ſapores diuerſè guſtum afficientes, & omnino inuicem oppoſiti, Acidus enim (ex Meſue) Acrem obtundit. igitur quum ſint oppoſita, non ſolum non poſſunt eſſe eadem, vt ipſi malè loquuntur; ſed ex hoc ſequitur cùm Acria ſint calida eorum contraria Acida debere Ol. Sulfuris refrigerat. Acidum, & Acre oppoſita.

Calcinatio Perlarum non indicat Acredinem.

eſſe frigida. errant tertio, quia ex calcinatione Mercurij, & Perlarum inferunt Acredinem. Nos autem dicimus nullum ſimpliciter Acre id præſtare poſſe, vt Arſenicum, Euphorbium &c. ſed debere eſſe, vel ſimplex acidum, vt ſuccus limonum, berberorum &c. quæ acida dicuntur non acria: ſed quia vegetabilia ſunt debiliora ob admiſtam aquoſitatem, ideò Libauius. 8. ſynt. cap. 30. *hæc, priùs abſtracto phlegmate, quod impedit corroſionem, & ſucco colatura purgato, vt Oleum Vitrioli, corallia, & vniones ſoluunt*. vel compoſitum vti Acidum cùm Acrimonia, vt accidit in Aquis fortibus, Reg js, & ſimilibus. quarum vis ad aciditatem eſt referenda, vt alibi diximus, ob id negamus oleum ſulphuris, ideò acre eſſe, quia diſſoluit Corallia, quod pro confeſſo ipſi accipiunt.

Succus limonum corroſiuus.

Aciditas aquarum fortium ſolutiua.

In ſale Armoniaco frigiditas cōtinetur.

Ad tertiam Reſpondeo. Quamuis ſal Armoniacum calidiſſimum ſit, non tamen homogeneum eſt, ob id non repugnat, ſi dixerimus partes frigidas continere, quales Acidæ ſunt: nec nobis vim facit, eo quod Regiam auri corroſiuam conſtituat, nàm alibi oſtendimus, (vt mox mox etiam dixi) præcipuas aquarum fortium vires ipſi aciditati eſſe tribuendas.

O. Vit. Auri corroſiuū, vt Regia.

Circa quartam fatemur oleum Vitrioli acidiſſimum eſſe Auri corroſiuum Regiæ modo; non tamen inde poſſe inferri aſſentiemur, eſſe calidum, nàm vt Aciditati frigidæ limonum tribuimus Margaritarum ſolutionem, quod à nullo ſimpliciter Acri efficitur: ità etiam Auri ſolutionem Aciditatis Regiæ effectum ſuſpicamur, non eius acredinis, tenuiſſima enim Acidi ſubſtantia magis interiora penetrat, quam Acredo, quæ craſſioris eſt eſſentiæ: Verum tamen eſt, quod ſi cōiuncta fuerint ſumma Aciditas, cum ſummâ Acredine (vt in aqua forti) compoſitum fit multo validiùs ad ſoluenda metalla; nam tenuitas Acidi per omnes poros penetrans ſecum Acrimoniam ferendo, fit infinitè ad agendum validior.

Aciditas, vt agat in aqua forti.

Rationes pro frigiditate O. Vitrioli.

Hactenus oſtenſum temperamētum Acidorum è mineralibus liquorum, ex quacunq. Medicorum celebrium ſecta: reſtat vt ratiunculas quaſdam afferamus ad confirmandam frigiditatem eorundem.

Congelatio à frigore.

Primo illa, quæ à frigore ſunt congelabilia (ex Auic. lib. 2. tract. 1. cap. 3.) frigiditas prædominatur, & longiùs diſtant à ca-

à caliditate. ſed ſpiritus, ſeù oleum ſulphuris, vt etiam Vitrioli (ex Libauio. lib. 8. ſynt. cap. 27. & Apocalyp. cap. de Vitriolo) liquor eſt aquoſus congelabilis à frigore. ergo frigidus, non autem calidus, vt vinum, aqua ardens &c.

Secundo. Quæ ſtupefaciendo inducunt frigidos affectus, frigida ſunt iudicanda; ſed Acidi liquores minerales inducunt Hæmodiam, & dentium ſtuporem, qui affectus frigidus eſt; ergo frigidi. Stupefactio à frigore.

Tertio. Quæ velociter inflammantur, & recipiunt ignem, ex eodem Auicenna) accedunt ad Caliditatem. Oleum autem Vitrioli, & ſulphuris acida, non modo non inflammantur; ſed puluerem pyrium, perſe, vt notum eſt, maxime, & celeriter ignis ſuſceptiuum, ſuo illitu adeo refrigerant, vt nullo modo is à quolibet igne accendi queat. ergo altera ſalamandra. Inflammatio facilis ſignum caliditatis.

Quarto. Illa, quæ motus Lunæ ſequuntur, quæ frigidum ſidus eſt, ipſius temperamentum habere rationi conſonum eſt: ſed oleum Vitrioli (teſte Libauio lib. 8. ſynt. cap. 26.) creſcit, & decreſcit ſecundum motus Lunæ, ergo frigidum iudicandum, vt illa. O. Vit. creſcit, & decreſcit ſecũdum Lunam.

Quinto. Quæ ſitim tollunt, frigida cenſentur; nam ſitis eſt appetitus frigidi, & humidi. Sed olea hæc acida cùm humido vehiculo ſitim maximè tollunt (centum Auctorum teſtimonio) ergo frigida erunt. nàm nullum vnquam Acre ſitim tollere audiui, nec perſe, nec per Accidens. Experiantur quæſo aduerſarij in ſiti Euphorbium, & aliud ſimile acre cum aqua. O Vit. ſitim tollit.

Sexto. Adeſt ratio toties decantata. eſt Acidum, ergo frigidum, Acidiſſimum ergo frigidiſſimum. O. Vit. Acidum.

Septimò. Acidæ aquæ Thermales, quæ ſunt puræ, immixtæ, & ſimplices refrigerant, & febres, ac ſitim tollunt, ex Agricola de Nat. eorum, quæ effluunt ex terra lib. 11. pag. 119. & Baccio lib. 6. cap. 21. ſed hæ aquæ ſæpe proueniunt à Vitriolatis, vt libello meo de aquis Romanis conſtat, ergo aquæ vitriolatæ acidę refrigerant. quod ſi aquæ naturales Vitriolatæ Acidæ refrigerant. cur arte parari non poteſt ſimilis acida refrigerans? Aquæ Thermales acidæ ex Vitriolo.

Octauo. Experientia manifeſta frigida ſunt iudicanda, cùm inflammationibus internis commendentur ab auctoribus, vt alibi notauimus. O. Vit. Experientia frigidum.

An O. Vit. febribus cōueniat.

Nunc ad tertiam partem noſtræ diſputationis accedendum, in qua initio promiſimus conſideraturos, an ex præmiſſis concludi poſſit liquores Minerales acidos febribus conuenire. Quarè noſtram ſententiam nunc proferentes: decernimus, *Febrium omnium, apud quaſcunq. Medicorum ſectas, optimum remedium eſſe aciditatem omnem, non ſolum Vegetalium, ſed maximè Mineralium, præcipuè autem ſpiritus, & olei Vitrioli, ac ſulphuris*. Dicimus optimum, eò, quod citò, tutò, & iucundè adhibeatur, proſit, & curet. Galenicè autem primum loquentes, & ad particulares febrium ſpecies, & differentias deſcendentes ſic ratiocinabimur.

Sentētia Auctoris.

O. Vit. Hecticæ febri aptum.

Hecticæ febris ſubiectum, & eſſentia ex dictis iam patuit, nec non indicatio, huic igitur refrigerando prodeſſe poſſet frigida aciditas, verum quia, non ſolum carnem reſarcire nequit, ſed potius obeſos extenuat, vt ait Porta, & quia ratione intenſæ ſiccitatis ſolidarum partium, validè exiccans medicamentum eſt, non videtur ea vllo modo ad humectandum apta: ita autem extenuat corpus, vt aliquos (ſcribunt) in Maraſmum deductos olei Vitrioli vſu, quibuſdam etiam ſimiliter Acetum, & limonum ſuccus ratione Aciditatis (teſte Amato) aliquando nocuere. mitto nunc Hecticam compoſitam cum vlcere pulmonum, renum &c. dico autem quandoq. hæc acida exhiberi in Hectica ſimplici vtiliter ratione ſiccitatis corrigendæ, quod paradoxum ita explicatur, partes nutriendæ, & reſarciendæ ſunt valde remotæ, & calefactæ, & relaxatæ, & aſſimilandi facultate priuatæ ob ſpiritus innati reſolutionem. hæc autem acida iure pingui, & optimè nutriente contemperata, non ampliùs ſiccantia ſunt, ſed refrigerant, & roborant, ſuaq. intenſa penetrandi vi, totum permeantia corpus ſecum renutrientem ſuccum vſq. ad intima penetralia deferunt, apponuntq. agglutinandum parti ſolidæ imbecillæ renutriendæ. vbi deniq. ſolida relaxata roborando ſua aciditate grata condenſant, ſic ibi ſpiritus reſolutioni parati retinentur: vndè pars redit ad ſolitum concoquendi, & ſibi aſſimilandi agglutinata munus. & ſicut magis humectat Aqua Vino calido, & ſicco miſta, quam ſimplex ob penetrandi vim, ita ius optimum, magis humectabit ob maiorem penetrationem admiſto Acido ſpiritu, quam ſimplex, vt communiter adhibetur. adde acidi-

Paradoxū.

Ol. Vitrioli roborat ſolida.

tate

tate roboratum ventriculum meliùs appetere, meliuſq. concoquere, vnde optimè peracta prima in ventriculo coctione ſpes etiam erit inde ſubſequuturas meliùs futuras, nec deſunt Auctores ipſum laudantes vt Lælius à Fonte.conſ.36. exibet Hectico,& phtiſico Ol.chal.cum alijs. & Ang. Sala Hecticis ſpirit Vitr.

Idem voluiſſe apparet Medicorum Methodicorum ſectam, quamuis diuerſis verbis, apud quos Hectica cum ſit Morbus, partim ſtrictus, (vt dixi) partim laxus, ratione adſtricti febris ipſa,& calor ex adſtrictione aliqua pororum conſideratur. ob id Acida vt attenuantia, incidentia, diuretica, poros aperientia, cenſentur laxantia, & huic febri conueniunt. calorem ipſi non reſpiciunt, ſed ipſius cauſam, quæ eſt Meatuum obſtructio, & aſtrictio. vndè caloris cauſam acidis laxantibus tollere conantur: ex altera parte in Hectica ratione colliquationis cōſiderant Morbum laxum, ſolidarum enim partium pori nimis laxati ſunt. ideò aſtrictis ſubueniendum Medicamentis, quod præſtant acida. hinc mirandum venit de vi acidorum, quomodo ſimul laxent, & ſtringant, ſed ſuprà difficultatem hanc declarauimus. Hippocrates fortè diceret Acidum in Hectica quia refrigerat, & obſtructiones aperit prodeſſe, quia mordicat, ſolida relaxata pungendo excitare, & viuificare. ſicut frigidæ perfuſio (5. aph.21.) reuocationem caloris facit. Quoad Paracelſum. hic. t.1.lib.3. de Orig. morb. ex Tart. tract. 4. ita refert: *Febris hectica, & Phthiſis Morbi ſunt tartarei*. Et tom.5.lib.1. ſchol. de morb.tart. *Vbicunque conſumptio* (vt ſcilicet in hectica) *membri eſt, Medicus iudicet eſſe oppilationem ex Tartaro*. Si ergo eſt oppilatio, aciditate Vitriolata, ex eodem nihil reperitur præſtantius.

Methodicorum cōſenſus.

Hectica morbus mixtus.

Hippocrates.

Paracelſus de Hectica.

Ephemera autem febris ratione ſui non videtur tanto egere remedio, cum 24. tantùm horarum terminum habeat, vt ex nomine indito conſtat. & hanc febrem *non ex bile* vocat Hippocrates. 7. aph. 42. Non tamen adhibita hæc acida nocere poterunt: immo ratione cauſarum non niſi prodeſſe poterunt refrigerando, & obſtructionem, ac putredinem (ſi quæ fieri incipit) prohibendo &c.

Ephemera nō ex bile Hippocrati.

Sinochus verò ſeù fiat à ſanguine efferueſcente, ſiue Putreſcente, apud Galenum, & Paulum duobus præcipuis tollitur remedijs, ſanguinis miſſione, & frigidæ potu: *Et remedijs vti*

oportet

Sinocho vt pioſit, O. Vit. *oportet*, (ſubiungit Paulus) *quæ meatus recludunt*, *copiam materiæ vacuant*, *& febrium ſeruorem leniunt*. Hi liquores acidi aquæ frigidæ miſti validè refrigerabunt, ita: *Febrium ſeruorem lenient*, & exiccando, præſentem putredinem tollent, futuram prohibebunt, parteſq. internas caliditate laxatas aciditate ſua denſante roborabunt, colligent, & vnient; obſtructiones, ſi quæ ſunt, tollent: imminentes verò prohibebunt incidendo materias craſſas, & abſtergendo viſcidas, quæ obſtructiones pariunt, ita *Meatus recludunt*, *& copiam materiæ vacuant*.

Duo conſideranda in febribus putridis. In cæteris febribus duo potiſſima ſe offerunt conſideranda *humores*, *& putredo*, ſiue illæ ſint continuæ, ſiuè intermittentes; humores pituita, & bilis vtraq. itaq. ſi fuerit pituita morbi cauſa, quæ craſſitie, tenacitateq. ſolet peccare, hæc acida, quia incidentia, attenuantia, & detergentia ſunt, maximè laudanda veniunt; ideò in quotidiana Oxymelitem laudant Gariopontus, Paulus, & Galenus 1. ad Glauc. 12. & in ſumma *Diuretica*, *& incidentia* commendant, at huiuſmodi eſt noſtra aciditas, hinc omnibus febribus conuenire dixerunt oleum Vitrioli Mindererus, Euonimus, Crollius, Quercetanus, Kernerus, Bornetus, Tentzelius, in particulari autem Libauius febribus phlegmaticis, Kernerus verò, & Zappata quotidianis.

Quotidianæ Ol. Vitrioli probatur.

Febribus biliosis O. Vit. Bilis vero flaua, ſi craſſa fuerit ea etiam incidenda, & attenuanda, præterea in Tertiana Paulus cum Galeno ſuo propoſuit *diuretica*, *& ſudorifica*, quantum autem in hoc polleant acida noſtra, iam eſt notum. Oxalidem ad febrem ardentem commendauit Trallianus. Hippoc. autem 2. de morb. p. 21 c. in febre ardente. *Acetum album* (inquit) *quam odoratiſſimum bibat*. deinde in febre ſingultiente exhibet etiam Acetum. Oleum autem Vitrioli febri Ardenti propinant Crollius, Beguinus, Gaſpar, necnon Laurentius Hofman, Angelus Sala, Petrus Poterius, & alij. Tertianis verò Roſſellus, Zappata, Kernerus. Sed tanta eſt vis, & contrarietas Acidorum cum Bile amara, vt dixerit Hipp. de Victu Acut. 29. *Aciditates ex Aceto picrocolis maxime conferre. Amara enim diſſoluuntur, & in pituitam tranſeunt dum ab ipſa attolluntur*. Quæ Hipp. Verba non niſi ab experto chimico intelligi queunt. ſicut enim miſcendo Ol. Vitr. Acidum, & ſal tartari diſſolutum, fit mutua internorum ſpirituum pugna

Ardenti.

Tertianæ.

vnde

vnde materiæ attolluntur, & fermentantur donec ſpiritus pugnantes ſe inuicem à ſubiecto expulerint: vnde remanet materia illis priuata pauco prædita ſapore. ſic miſtura bilis amaræ, & Aciditatis fit tanta, & talis ſpirituum pugna, vt tandem ambobus reſolutis remaneat humor, ſapore priuatus, & pituitæ viribus, & ſic Acetum facit bilem tranſire in pituitam.

At bilis atra cùm ſit frigida, & ſicca non videtur requirere frigidum, & ſiccum Medicamentum. nec etiam quia Hipp. de Vict. Acut. Acida fermentare, attollere, & multiplicare Nigra dixit. tamen Quartanarijs Oleum Vitrioli præbuerunt Kernerus, Renealmus obſeruat. 192. Alſarius, Zappata cum Aqua Vitæ, & cùm aqua Pentaphylli, vel Marrubij, Roſſellus. Libauius verò ſic ſcripſit. *Quartanam autem adhibita vna purgatione, & venæ ſectione ſæpè profligauimus exhibendo ſpiritum acidum cùm Oximelite elleborato, aut ſcillitico, ſucco Violarum, aceto ſitate citri &c.* Bilis atra. Ad quartanam Ol. Vitrioli.

Nec Methodicis inutile viſum fuiſſet, ſiquidem Alpinus lib. 6. de Med. Methodica cap. 3. pag. 188. ad Quartanam. *Nos damus Ol. de chalcantho album, & clarum ad Scrup. 1. ex Vini albi aromatici vnc. iij.* fortè vt diureticum conuenit, tale enim requiritur à Paulo, & Galeno Medicamentum, vnde etiam Sy. Acetoſus ſimplex quamuis ob Acetum Melancholiæ nõ conuenire videatur, tamen quia craſſos humores incidit, & tenuat, lentosq. expulſioni parat, & meatus aperit: ideò ſalubriter huic affectui exhibetur, ſic lib. ad Glauconem. & in methodo med. Galenus ſpleniticis remedijs ſumendis, & admouendis miſcet Acetum. An Vitrioli oleum quartanis prodeſt, quia incidit pituitam, quæ cum Hippocrate abundat in quartanà, vt ſupra diximus? At Alſarius cent. 4. pag. 369. probat, vt calidum, & reſoluens, vti Theriaca, & non dandum niſi in declinatione ad attenuandum, & diſſipandum Melanc. humorem, frigidum, ſiccum. Diuretica ad quartanam. Quartana non ſine pituita.

Si autem *Putredinem* ipſam reſpiciemus, optimi iudicabuntur hi liquores acidi, nam refrigerabunt, & obſtructiones tollent, quæ ſunt à Galeno notatæ indicationes, & *exiccando* ipſi putredini obſtabunt. Vnde Quercet. de med. ſpag. præp. 9. *Oleum Vitrioli* (ait) *febribus putredinis cùm aqua cichorij, aut ptiſana exhibetur. Aciditate enim putredinem arcet, quemadmodum, &*

ſy. è

ſy. è ſucco limonum , & obſtructiones pellit partium tenuitate: Quod autem omni putredini tam cum febre , quàm ſine ea , obſtent liquores acidi Vitriolati expreſſos teſtes habemus R. Mindererum, A. Salam, Euonimum, Neandrum, Cratonem , Beguinum , Kernerum.

Etiam Acida Vegetalia ad putredines. Vt autem magis pateat liquores acidos Minerales optima ratione , & ſano iudicio præberi ad febres putridas ad obſtandum ipſi putredini , placet nunc oſtendere ab antiquis, atq. etiam recentioribus ſummè ſemper laudata fuiſſe acida Vegetalia , quorum tantum notitiam habuerunt. ſic autem ratiocinamur. Acida vt acetum, Omphacium, lac acidum, Granata acida , & ipſorum ſuccus, nec non ſucci limonum, citri, Aranciorum, berberis, Ribes, acetoſæ herbæ, Oxis tripholij, ab omnibus laudantur Medicis ad putredinem , & febres putridas ; ſed ſpiritus , & O. Vitrioli ſunt acida , vt illa , eaſdemq. habent Vires , vt patet in Margaritarum colliquatione , & dentium ſtupore , ergo vt illa valere dicenda ad putredines, & febres, addo quia hæc validioris ſaporis, ergo validioris iuuamenti .

Acetum contra putredines. Acetum autem optimum contra putredines, & ad conſeruanda omnia (præter Metalla) à putredine,notum eſt etiam mulierculis (quamuis Cardanus 13. de ſubtilitate de hoc agat) quæ quolibet anno aceto ſepeliunt recentes fructus,cucurbitulas,pruna , perſica, rapas , careotas, vuam immaturam , & alios paruos fructus , in fine enim anni veluti recentia reperiuntur , & impu-

Vt ſeruentur carnes imputres. tria ; ſed magis mirum de carne cruda, & piſcibus , ſeruant enim toto anno perbellè Aues deplumatas, & euiſceratas ope Aceti. Simile quid protulit etiam Galenus de Vitriolo. *Conſtat* (inquit) *quod omnium maximè condire, ſeruareque carnes humidas poteſt , nimirum caliditate humiditatem abſumens , atq. adſtrictione ſubſtantiam contrahens , atq. conſtipans : hoc enim opere non nihil etiam humiditatis ipſius exprimit ; conſtringit verò , deſiccat, atq. contrahit in ſeſe ſubſtantiam carnis .* Hic non mihi videtur Galenus genuinam carnium cõſeruationis cauſam nouiſſe . voluit enim caliditatem potentialem ſuperfluam humiditatem abſumere, quod debetur actuali caliditati , verum tamen eſt quod carnes colliquat ſalis vulgaris modo , at Vitriolum nonnè ſalis ſpecies eſt? ſed dic quæſo poſt humiditatis colliquationem à quolibet

calore

calore ſatis nè diu conſeruari poterit talis caro? nequaq. nam caro peraſſata, & ferè exuſta diu ſeruari nequit. ergo non ſatis eſt humiditatis colliquatio. ſcio oleum, & Mel eandem ſeruare, nec non aquam Vitæ dictam. ſed in Vitriolo, opinio mea eſt, aciditatem, quæ intus latet, carnes à putredine præſeruare. quod ſi talis aciditas obruta tot alijs diuerſis ſubſtantijs nihilominus vim ſuam carnes emortuas conſeruandi à putredine exercet, quid ſperandum de aciditate ipſa ſeparata, purificata, & nobilitata in corpore viuente à putredine vindicando? Vitrioli aciditas contra putredinem.

Actuarius 3. meth. cap.8. de victu feb. continuarum; (quem ex Græcis tantum expreſsè acida laudantem habemus) *Acida* (inquit) *quibus impacti ſunt humores, ſeù incidendi vim habentia, ſunt prabenda*. Aetius verò ſerm. 5. cap. 78. de feb. ardenti ex Philumeno. exibet acetum: *Lactucæ caules* (inquiens) *cum poſca aquoſa feruefacti, & cucurbita ſimiliter cum poſca*. Et cap. 80. in tertiana exquiſita. *Abſtinendum ab omnibus dulcibus, & acribus, & ſalſis, nidoroſiſq. ac viroſis edulijs, ac potibus*. Si tot ſapores excludit, quos quæſo includet? inſipidum, Acidum, Amarum. non vltimum, quia cibi non probantur amari, ergo acidi, vel inſipidi erunt.

Arabes autē Acida in febribus acutis laudarunt, vt patet apud Auic. lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 10. quem ſequuntur Gentilis, Nicolus, Pedemontanus, Blaſius aſtarius, Cæſar Landulphus, Fauentinus, de Contecillis, Fontanonus, & infiniti alij practici, quos omnes enumerare impoſſibile. Quantum verò Brudo Luſitano in febribus Acida placuerint, apertum eſt in aureo ſuo libello de Victu ægrotantium. Arabes vtuntur Acidis in febre.

Magnus ille Gallus Hippocrates, Fernelium dico, febrientibus exhibet Oxalidem, lactucam cum Aceto, ſuccum mali punici acidi, aut limonis, aut citri, aut Ceraſij, aut Oxiacanthæ, aut Oxalidis, aut vuæ acerbæ. quem ſequuntur cæteri omnes Medici, & nunc vulgaris vſus. Fernelius.

Syrupi verò ex Acidis confecti, quales è ſucco citri, limonum, granatorum acidorum, è ſucco oxalidis, oxiſaccharum, ſy. Acetoſus, & ſimiles laudantur ad febres putridas à præcipuis Medicis, & ſcriptoribus. Auicenna, Auerroe, Meſue, nec non à Coſteo, Syluio, & Chriſtophoro in commento. quem admodum Syrup. Acidi.

Turbi Medicorum.

etiam ab omnib. Antidotariorum conſarcinatoribus, Vecchero; Caleſtano, Cordo, Aldrouando, Franciſco Alexandri, Melichio, Santino &c. præterea à Fontanono, Gentile, de Contecillis, Altimaro, Capiuacceo, Guainerio, Cæſalpino, & Hollerio.

Ol. Vitrioli ad febres putridas laudantes Anctores.

Et ex his iam patet, quantum tribuendum ſit Aciditatibus mineralibus in curandis febribus putridis; Nam ſi multùm laudantur aciditates vegetabilium, quæ cedunt mineralium viribus; certè maximè erunt commẽdandæ mineralium aciditates. Quod ſi præcitati Auctores harum non meminerunt, non mirùm: nam has non nouerunt, opus enim eſt Chimicum. Nunc verò Recentiorum Chimicorum, tam Galenicorum, quàm Paracelſiſtarum, & Empiricorum teſtimonia, & experimenta extant infinita, quæ omnia enumerare mihi videtur impoſſibile. in præſenti nobis ſatis ſint Mindererus, Quercetanus, Euonimus, Zappata, Goclenius, Kernerus, Crollius, Gaſpar, atq. Laurentius Hommanni, Crato, Vntzerus, Beguinus &c. quibus adde Paracelſum ipſum, & ſequaces.

Acida conuenire feb. peſtilenti.

Auicennæ.

Modo conſiderandum eſt, an hæc Aceta montana febribus malignis, peſtilentibus, & ipſi peſti conueniant. Dicimus indubitanter maximè conuenire, quia acida omnia conueniunt. Sed quia aduerſarij vrgent auctoritate, nos quoq. Virorum Doctiſſimorum Auctoritatibus obſtabimus. habemus autem Auicennam. lib. 4. fen. 4. cap. 4. in feb. peſt. *Et ſint cibi eorum ex Acetoſis, & deſiccatiuis*. Et cap. 5. in præſeru. *Declinet cibus ad Acetoſa. caro cocta cùm acetoſis, agreſta, limones, granata, condita in Aceto vt Capparis Aceto condita.* Acetũ laudat Vntzerus lib. 1. de peſte,

I. Lemnius

& Lemnius lib. 2. occult. cap. 36. *Acetum* (inquit) *venenis reſiſtit, & peſtilentis morbi contagia repellit, ſic vt conſulti mihi facere videantur, qui graſſante morbo populari, moderatum aceti vſum familiarem ſibi reddunt, diſſipat enim vitioſum aerem, & ſi quid in corpus hauſtum eſt, humores infici, ac putreſcere prohibet*. Raſis etiam id luculenter teſtatur. lib. de Peſt. cap. 4. vbi cibos acidos cæteris anteponit. & ſubdit: *Cibo vtentium decoctis ex Omphacio, congelatiſq. aceto conditis, & ſummatim acetoſis, nec non frixis acidis. Cæterum mala punica acida, item decocta acidorum, adſtringentiumq. fructuum pomaceorum, ad hæc acidum citrium, vuam acerbam, & conſimiles*. Et addit: *Sint autem cibi*

Raſis laudans acida peſti.

acidi,

acidi, lenticula, vua acerba, & mala punica acida potiùs: quia hæc magis, quàm alia ſanguinem craſſum efficiunt (an meliùs dictum attenuant) *refrigerant, putredinem prohibent, & peſtilentiam repellunt*. Deinde cap. 5. ſcribit: *Peſtilentiam arcet in totum omne Acidum, & Acetum, & lac acidum, citria acida, vua acerba, Oxiſaccharum, & medicamenta ex ſuccis acidis*. Idem Raſis 10. ad Almanſorem. & etiam in libro Diuiſionum, ad febrem peſtilentem hæc habet: *Dato rob ex fructibus acetoſis, & ſtiptici, vt eſt rob granatorum, ex ſucco vuæ acerbæ, & ex piris, & macianis, & acetoſitate citri. quod ſi nullum iſtorum habetur, acetum cum aqua dandum eſt ægris, & lac acetoſum cùm farina hordei, atq. lac valde acetoſum ex quo nutriantur*. Hos ſequuntur Auicenniſtæ omnes ſummè commendantes acida in febribus malignis, & peſtilentibus, atq. etiam in ipſa peſte, tàm præſeruationis, quàm curationis gratia, pro cibis, pro condimentis, & pro medicamentis, vt Gentilis, Nicolus, Guainerius, Sauonarola, Gattinaria. Aſtarius, Landulphus, Pedemontanus, de Contecillis, Fauentinus, & alij plurimi Arabum doctrinæ ſectatores. Nec ad his diſſentiunt, qui ſe Galenicos malunt dici, vt Fernelius, qui Syrupum è ſucco limonum peſtilentium malignitatem cohibere dixit, & Acida etiam ad idem valere ſcripſerunt Altimarus, Capiuacceus, Trincauellius, Maſſaria, Brudus Luſitanus, Cæſalpinus, Manardus lib. 5. Epiſt. 3. Zecchius conſ 47. Crato conſ. 268. 269. 273. & 275. Rondeletius etiam vtitur Sy. Acet. citri, & eundem laudant Meſues, Syluius, Chriſtophorus; Coſtæus, atque eadem acida in peſte laudant Michael Mercatus, Balthaſſar Piſanellus de peſte, Quercetanus, Mindererus, Vntzerus. Rullandus de luc Vngar. Hollerius, & alij ferè omnes. Sed Alſarius centuria 3. pag. 259. dat Ol. ſalis feb. peſtilentib. cum aq. cardiaca frig. dilutum, quia non calidum, & acre, vt V. Oleum. Sed ſi hoc conceditur, cùr non illud? nam Vit. ſalis ſpecies eſt, & Ol. ſalis Acidum etiam eſt, vnde Quercet. vocat Acetum Montanam tam Ol. ſalis, quàm Vit. ſed credo Alſarium nunquam deguſtaſſe ſalis Oleum.

Auicenniſtæ dant acida feb. malignis.

Galenici.

Ex his colligemus cùm Acida omniũ cõſenſu febribus peſtilẽtibus maximè opitulẽtur, Aciditates minerales cũ ſint valdè acidæ, & depuratæ, maximam, & indubitatam opem iiſdem laturas.

Concluſio.

Si Quæritis particularia teſtimonia,& nomina eorum,qui ita ſenſere, afferam. ſed quæſo nè mihi vitio vertatur ſi Auctores mecum ſentientes nimis anxiè quæſiui, & iuriſperitorum morè plurium ſcribentium nomina coaceruaui. ea enim noſtrorum Aduerſariorum proteruia eſt, & obſtinatio, vt neque futurum ſit, vt cedant his tam ſolidis allatis rationibus, nec euidentibus experimentis, immo nec Auctoritatibus centum ex probatiſſimis, & eruditiſſimis Medicinæ ſcriptoribus, noui enim ipſorum ingenium. 1. Angelus ſala in Ternar. Bezoar. & in Anatom. Vitr. *Spiritus Vitrioli, Peſte infecto, Guttæ aliquot cum vnc. j. Aquæ Vitæ optimæ ad ſudorem prouocandum, bis, vel ter dentur.* 2. Amatus Luſitanus com. in Dioſc. *Olei Vitrioli vna, vel altera gutta in aquis cordialibus merſa, multum contra Peſtilentes febres valet*. 3. Idem Cent. 3. Curat. 74. exhibet Oleum Vitrioli ex Aqua Roſ. vel Acet. in Curatione malignarum, ſeu peſtilentium febrium. 4. Horat. Augenius Tom. 2. lib. 6. Epiſt. 8. *Olei, ſeu ſpiritus Vitrioli vſus ad multa vtilis eſt præcipuè verò eo in Peſte vtimur*. 5. Idem lib. 3. de Peſte. cap. 17. *Oleum ſeu ſpiritus Vitrioli in alijs generibus Peſtis, Ephemera excepta, mirabilis eſt, & quando opus, præſeruare corpora pituitoſa, vel aliàs humoribus vitioſis repleta, meliùs remedium non inuenietur gratiſſimus enim eſt guſtui, & ad internam inflammationem, appetitum excitat, Ventriculum roborat, corpuſq. ab omni corruptione liberat: infantibus exhibentur g. ij. vel iij. adultioribus vero à g. 5. ad Scrup. 5. cum ſy. de Citro in temperamentis calidis adhibeo ad g. 8. In corporibus humidis, bis in ſeptimana datur horis 4. vel 5. ante prandium. Auſim igitur dicere ad febrem peſtiferam ſanandum, ſpiritum hunc, ſeu oleum, eſſe Medicinam, quæ non habeat parem.* 6. Anton. Portus lib. 2. de Peſte cap. 45. *Olea, quæ mirificè in Peſte probantur ſunt Ol. Vitrioli, & Sulphuris*. 7. Andreas Starckius in Reg. de Peſte: *Spiritus Vitrioli introſumptus, non contemnendum auxilium, tùm pro præſeruatione, tùm curatione Peſtis adfert*. 8. Andreas Cæſalpinus. lib. 1. de Metallicis. c. 22. *Olei Vitrioli gutta vna, aut altera ex aqua hauſta morbos peſtilentes corrigit*. 9. Arnoldus Kernerus in ſua Tetrade ſect. 5. *Spiritus Vitrioli commendatur in febribus putridis tàm continuis, quàm intermitentibus, tàm benignis, quàm malignis*.

Excuſatio Auctoris.

Auctores oleo Vitrioli vtentes. A. Sala.

Amatus.

H. Augenius.

A. Portus.

A. Starckius.

A Cæſalpinus.

A. Kernerus.

gnis. 10. Andreas Libauius. 8. Syntag. cap. 21. in peſte valere ſcripſit. 11. Andernacus etiam idem probauit. com. 2. d. 7. 12. Bokelius 1. Part. Regim. ſui. cap. 20. *Spiritus Vitrioli inſigniter confert febribus peſtilentibus.* 13. Brunnerus etiam idem laudauit. 14. Crato trium Imperatorum Medicus inſignis in aſſertione de Peſte. & conſ. 268. & 280. vtitur oleo Vitrioli, & in curatione feb. Peſt. *Dentur duæ, vel tres guttæ O. Vitrioli, & etiam ſi Medici ignorantes Naturam olei id reprehenderent, tamen non pugnabo cum eis.* 15. in Epiſt. med. 135. *Oleum Vitrioli ſola ſua vi exſiccandi, ac diſſipandi, ita auxilium fert in peſte, vt malum à Natura ſuperari poſſit.* 16. Crollius in Baſil. Chym. *Oleum Vitrioli in Peſte miſcetur cùm Sacharo candi, & electuario iuniperino, & ſic etiam loco Prophylactici ſanitatis vtimur.* 17. Bertaldus lib. 1. c. 3. Med. appar. eo eſt vſus. 18. Cæſar Claudinus perſæpe ipſo eſt vſus. & reſp. 4. Veneficam qualitatem, vt Theriaca domat, & contra putredinem facit. 19. Duncanus Bornettus in Iatrochimia; *Spiritus Vitrioli eſt Diaphoreticum præſtantiſſimum, omne enim Venenum à corde ad exteriores partes pellit.* 20. Duncanus Libdelius Scotus. in lib. de febribus. 21. Daniel Seuert. lib. quæſt. med. quæſt. 51. 22. Dauid Herlitius in Regim. Peſt. *Oleum, ſeù ſpiritus Vitrioli excellens præſeruatiuum habetur contra peſtem, ſi vel alijs alexiterijs permiſceatur, vel perſe, eius g. iij. cum Vino ieiunè ſumantur.* 23. Daniel Sennertus in fine cap. 2. lib. 5. Epitom. Phyſ. *Spiritus Vitrioli inſignem ſiccandi, & putredinem ſiſtendi vim habet, vnde ad febres putridas, ac Peſtilentes vtiliter adhibetur.* 24. Euonimus part. 2. ſui Theſauri. *Vitrioli liquor vtilis eſt in peſte cum aqua Acetoſa.* 25. Dauid Cruſius lib. 1. ſui Theatri. cap. 24. *Alexiteria ſunt oleum, & ſpiritus Vitrioli &c.* 26. Euangeliſta Quatramius tract. de Peſte. cap. 4. *Spiritus Vitrioli validiſſimè penetrat, acidus eſt, frigidus, ac ſiccus, & idcirco putredini oppoſitus in febribus peſtilentibus.* 27. Fumanellus de comp. Med. cap. 75. *Oleum Vitrioli in Peſte ſingulariter prodeſt.* 28. Fœlix Platerus. tom. 2. ſuæ Pract. eodem vtitur. 29. Fideiuſtus Reineccerus in Theſ. Chym. lib. 6. *Oleum Vitr. cum Aqua cardui benedicti eſt præſeruatiuum peſtis.* 30. Geſnerus in Epiſt. 2. Medic. *Oleum Vitrioli ſumitur peſtis tempore in Ceruiſia, vino, aqua, aut Carnis brodio manè, ſic enim*

A. Libauius.
G. Andernacus.
Bokelius.
B. Brunnerus.
I. Crato.
O. Crollius.
I.L. Bertaldus.
I.C. Claudinus.
D. Bornettus.
D. Libdelius.
D. Seuert.
Dauid Herlitius.
D. Sennertus.
Euonimus.
D. Cruſius.
E. Quatramius.
Ant. Fumanellus.
F. Platerus.
F. Reineccerus.
C. Geſnerus.

præſer-

G. Ferrara. *præſeruat ab aura venenata.* 31. Gabriel Ferrara lib. 3. ſuæ chi-
R. Goclenius. rurgiæ. 35. Goclenius in Loimograph. *Spiritus Vitrioli peculia-*
re eſt prophylacticum tempore peſtis, & in curatione quoq. alijs
non cedit, tempeſtiuè exhibitus, putredinem enim arcet peſtis, &
refrigerium inſigne eſt, quod inexpertis videbitur abſurdum.
G. Dorneus. 33. Gerardus Dorneus artis Alchim. lib. 3. c. 2. eodem vtitur.
Gurnius. 34. Gurnius lib. de febre. cap. de feb. putrida, & maligna. 35.
Heurnius. Heurnius lib. 1. meth. med. *Oleum Vitrioli alijs conuenientibus*
liquoribus permixtum, ad guttulas nimirùm paucas peſtiferis fe-
G. Orſt. *bribus dulce præſidium eſt.* 36. Gregorius Orſt. lib. de curatione
H. Saxo. ſcorbuti. 37. Hercules Saxo lib. 1. pract. med. cap. 16. 38. Hie-
H. Rubeus. ronimus Rubeus ſect. 2. cap. 25. *In peſtilentia, peſtilentibusq. febri-*
H. Petreus. *bus egregium certè remedium habetur.* 39. Henricus Petreus No-
ſocomiæ to. 2. diſſertat. 49. & in Agoniſmata diſcep. vltima n. 15.
I. Hartmã. I. Mollerus 40. Ioannes Hartman. diſputat. 10. Artic. 87. & 113. 50. Ioann.
Mollerus in tract. de peſte. cap. 5. *Sunt qui olei Vitrioli Chimica*
arte parati g. iij. vel iiij. plus minuſuè pro ægri conditione in aqua
Io. Bauhinus. *verbenæ non ſine fructu propinant.* 51. Io. Bauhinus de Aquis
Med. lib. 1. cap. 11. *Quidam potui exhibent in peſtilentia oleum*
I. Poppius. *chalcanthi nullo ſanè incommodo.* 52. Io. Poppius in Enchirid. Ex-
perim. *Spiritus Vitrioli frequenter vſurpatus tempore Peſtis ad-*
I. Matthæus *modum proficuus eſt, & pro ſigni præſeruatiuo habetur.* 53. Io. Mat-
thæus in diſcurſu de Feb. Peſtil. *iubet quotidie g. vi. vel vij. ſpiri-*
tus Vitrioli cum vnc. iij. Aquæ cardui ben. peſte infectis pro cura
I. Neãder. *dari.* 54. Io. Neander in ſuo regim. peſtil. *Spiritus Vitrioli inſi-*
I. Bapt. Beſardus. *gniter confert peſtilentialibus febribus.* 55. Io. Bapt. Beſardus in
L. Hofmã. Antro Philoſ. idem commendat. 56. Laurentius Hofman lib. de
R. Mindererus. vſu, & abuſu med. Chimic. 57. R. Mindererus. lib. de Chalcan-
tho. cap. 9. *Peſtilentes febres, & malignæ quæuis victas oleo Vi-*
trioli manus tradere coguntur, & enim putredinem omnem, earum
fomitem, aufert, ac corrigit. 58. Idem lib. de Peſte. cap. 17. *Præ-*
clare in peſtilentibus febribus auxiliantur oleum, ſeu ſpiritus Vi-
trioli, his enim potens quædam virtus putredinem emendandi, ob-
ſtructiones reſerandi, ſudores, & vrinas mouendi, Venaſq. perua-
P. A. Mattiolus. *dendi.* 59. P. A. Mattiolus in Dioſc. lib. 5. com. 74. *Oleum Vitrio-*
li nullo ſanè incommodo in peſte datur. 60. H. Mercurialis ipſum
H. Mercurialis. etiam probauit. 61. Martinus Rullandus ſenior, in ſuis Centu-
rijs.

rijs. 62. Martinus Rullandus iunior. lib. de Lue. Vngarica. cap. 6. & in plurium curationum Hiſtorijs. & quæſt. 26. vbi ex profeſſo id probat, & Syluatici rationes confutat. 63. Matthias Vntzerus Anted. Peſtilent. lib. 2. diſtinct. 5. id plurium auctorum teſtimonijs comprobauit. 64. Muffetus eiuſdem eſt ſententiæ. 65. Petrus Monauius in Epiſt. 66. Quercetanus. de Med. ſpagyr pp. cap. 9. *Febrium ardentium putredinem peſtilentiumq. malignitatem cohibet aciditate.* 67. Lib. 2. Alexic. cap. 3. *Nullum aliud promptiùs, aut præſentiùs eſt remedium ad ardores febris internos extinguendos, & omnia venena, ac corruptiones etiam in peſte exterminandas prorſus, ſpiritu Vitrioli.* 68. Proſper Alpinus de Med. Methodica. lib. 5. cap. 9. probat in febre peſtilenti oleum de chalcantho ad ſemiobolum. 69. Theophraſtus Paracelſus tom. 3. lib. de Peſtil. tract. 2. exibet ſpiritum Vitrioli. 70. Thomas Iordanus tract. 3. de Peſtis phænom: *Olei Vitrioli vſum conuententiſſimum in peſte iudico, quia acore ſuo coercet putredinis graſſationem & frigore ſuo feruorem extinguit.* 71. Torquetus. 72. Renodæus lib. 4. Antid. ſect. 5. cap. 8. *Ol. ſeù ſpiritus* Vitrioli, aciditate putredinem arcet, viſcera recreat, atq. peſti, alijſq. morbis confert. 73. Stephanus Rodericus in Meteoris Microcoſmi lib. 4. cap. 4. pag. 16. Oleo Vitrioli in febre maligna vtitur cum aqua Galegæ. 74. Andreas Tentzelius in Exageſ. chimiatr. pag. 21. 75. Io. Bapt. Zappata in ſuis ſecretis proprio experimento. 76. VVirſungus 8. part. Pract. cap. 12. diſtinct. 70. *Oleum Vitrioli reſiſtit omni putredini, in primis verò eius vſus ſingularis eſt, tempore peſti.* 77. Zuingerus eo etiam eſt vſus. 78. Iacobus Scheckius. 79. Dauid quidã Verbetius, publicus cenſor aduerſariũ O. ſulphuris, & Vitrioli ad peſtem probantẽ non audet cẽſurare, alioqui nimis garrulus, & ſuperſtitioſus, & cum ipſo hæc olea laudat. 80. B. Penotus de Medicamentis chimicis. 81. Io. Iacobus Vueckerus in antidotario ſuo etiam probauit. 82. Laoneus tract. de fac. & admirabili vi antimonij. in febribus O. Vit. dari dixit. 85. Ioan. Macolo. Theoriæ chim. p. 54. 84. Andreas Gabriel lib. de peſte. cap. 20. 85. Chriſtoph. Guarinonius conſultatione Med. 214. *Ol. ſulphur vel Vit. ſcrup. ſem. in ſyrupis ponerem, quo putredo abſumeretur & humores etiam inciderentur abſtergerenturq.* Etiam conſ. 481. 86. Vidus lib. 8. de med. cap.

M. Rullandus vte: q.
M. Vntzerus.
T. Muffetus.
I. Quercetanus.
P. Alpinus.
T. Paracelſus.
T. Iordanus.
T. M. Turquetus.
Io. Renodæus.
S. Rodericus.
A. Tentzelius.
I. B. Zappata.
C. VVinſungus.
I. Zuingerus.
I. Scheckius.
D. Verbetius.
B. Penotus.
I. I. Vueckerus.
Laonæus.
Io. Macolo.
A. Gabriel.
C. Guarinonius.
V. Vidius.
E. Leſcius.
Ant. Mizaldius.

vltimo

Minadous. G.Grembſius. I. Filippellus. C.Clemēs. P.Poterius P. Renealmus. Io.Bapt.Birellus. Sebaſt. Ioſius. Valerius Cordus. Marius Peramatus.

vltimo. *O. V. valet ad feb. ardentes, ac peſtilentes.* 87. Eſaias Leſchius. 88. Ant. Mizaldius in Centurijs. 89. Minadous. 90. Gremhſius. in Ep. 91. Iul. Filippellus in Ep. 92. Cint. Clemens. 93. P. Poterius in Pharmacopea ſpagirica. 94. Paul. Renealmus obſeru. 162. 95. I.B. Birellus 96. Henricus VVarenius Noſologiæ diſp. 5. 97. Sebaſt. Ioſius in Ep. 98. Val. Cordus. *Valet potenter ad omnes*, in corpore putrefactiones, & præcipuè ad peſtem, ſitim, ac feruorem interaneorum feb. extinguit. 99. Marius Paramatus de Ang. peſtilent. c. 9. vſus eſt Ol. Vitr. 100. Rodericus è Fonſeca conſult. 49. in peſte id plurib. laudat.

Quietatio ſcribendi.

Sed heùs quid ago? Defeſſi corporis tædet animum plures reuoluere libros idem canentium, nonnè centum auctoritates produxiſſe ſatis? ergo opus ſiſtam cæteris vale dicam. Nunc enim in mentem venit; eum, qui his 100. allatis non credet, nec 1000. afferēdis crediturum, quarè agnoſco plures afferre, nil eſſe niſi Tempus, Oleum, cartāq. ſine fructu inſumere. ſed igitur Scriptorum Auctoritatibus noſtra ſententia cōfirmatā. ſed placet nūc alio auctoritatum genere vti, eoquè Aduerſarios compellere.

Contra Vitu perantes O.Vitr.

Dico autem. Qui Oleo, ſeu ſpiritu Vitrioli non vtuntur, cùm eo opus habent, id accidit, quia eo indigni ſunt. Medici verò, qui ipſum in vſum non trahunt, ſuorum ægrotantium ſalutem nolunt. Qui ore maledico vituperare ſtudent, ab omnibus principibus, & Rebus publicis vltimo ſupplicio puniri debēt, tùm quia ſunt Homicidæ ſuorum ægrorum, nolentes præbere ſalutiferum medicamentum; tùm quia blaſphemant, & accuſant mille probatiſſimos, & eruditiſſimos Scriptores medicos quorum partem nominaui. tùm deniquè quia in crimen læſæ Maieſtatis incurrunt, accuſantes optimos Principes, veluti Veneni datores, & mali, læthaliſq. medicamenti, quos Vrbis, & Orbis præclariſſimos viros, nec videre digni ſunt. Dicant quæſo. cui ignotum

Quantum peccent accuſatores O.Vit.

Magnanimitas Mag. Duc. Aetruriæ.

eſt Sereniſſimi Magni Aetrurię Ducis iuſſu Florentijs parari optimum Vitrioli ſpiritum? quem poſtea, vt notum cuiq. eſt non ſuis tantum ſubditis benignè elargiri vult; ſed ſummis alijs Italiæ, & totius Europæ principibus cum alijs chimicis rebus dono mittit. qui poſtea ab ipſis Theſauri loco ſeruatur.

Card. Farneſij.

Illuſtriſſimus etiam, & Reuerendiſs. Princeps, & Card. Odoardus Farneſius quantum Vitrioli ſpiritus parari in ſua Officina à

pro-

proprio chimico iubeat, gratiſque dari alias publicè teſtatus ſum. Illuſt. & Reuerendiſs. Card. de Monte, quantam ſpiritus Vitrioli copiam quolibet anno donat? quot millia ægrorum ſanauit aqua ſua antifebrica cum ſpiritu Vitrioli? certè innumeros. taceò alios benignos Principes, & Viros illuſtres ex quorum officina gratis, & benignè multa medicamenta chimica habentur, vt Illuſt. Equitem Caſſianum Puteum, Illuſt. etiam Equitem Octauianum Veſtrium &c. quos breuitatis cauſa omitto. En ignari hi Onagri audebunt tantos reprehendere Principes, vt veneni datores? Caueant, caueant ſibi miſeri Aſini, nè principes hi id reſciant, quid tutum enim erit illis? non Aetruſca regio, non Parmenſis, non Italia, non Germania, non Europa, immo nec extremus orbis, in poſterum igitur lege ſancitum ſit, ne quis audeat Vitrioli ſpiritum, nec publicè, nec priuatim refellere, accuſare, condemnare &c. ſub pœna &c. Niſi enim prænominati benigniſſimi, & ſapientiſſimi Principes exactis, firmiſq. rationibus; eruditiſſimorum ſuorum Medicorum conſilijs; longo ſubditorum vſu, & experientia multiplici ſanatorum ægrotantium agnouiſſent immenſas olei Vitrioli vires (& hic argumentor ab auctoritate maxima) neutiquam credendum eſt pro apto, & optimo dediſſe. Audiant audiant, (& immitentur) præclariſſimos, & ſummos orbis, & vrbis medicos viuentes, quam honorificè de ipſo Vitriolo loquantur Illuſtriſſimum, (inquam) & Reuerendiſſimum Bernardinum Caſtellanum GREGORII XV. Pont. Opt. Max. Medicum, qui ſæpè etiam ingenuè faſſus mihi eſt (vir mentiri neſcius) ſe vitam à ſolo Vitrioli ſpiritu agnoſcere in quadã febre, qua Iuuenis olim affectus fuerat. audiant etiam Illuſt. etiam & Reuerendiſs. Cintium Clementem Summi Pontificis PAVLI V. ter maximi olim intimum Medicum, qui non ſolum eo ſæpiſſimè vſus eſt; ſed etiam ſcripta eruditiſſima, de ipſo protulit, quorum duorum tantum auctoritas contra mille aduerſarios (ſi adeſſent) ſufficiens eſt, ad obruenda eorum machinamenta omnia, & ad ſydera oleũ Vitrioli extollendum. Nec deſunt præclariſſimi etiam alij Romani Medici, qui ſpiritu, & oleo Vitrioli vtantur, inter quos honoris gratia, & noſtræ opinionis defendẽdæ cauſa, nominabo aliquot amicos, videlicet Excellentiſſimum Medicum

Card. de Monte.

Argumentum ab auctoritate Principũ.

Lex pro O. Vit.

Probatur auctoritate Viuentium Med. Illuſtrium.

Bern. Caſtellanus.

C. Clem.es

P. Martianus. I. Faber. I.M.Caſtellanus. I.Iacobellus. P. P. Patriarcha. T. de Neris. D. Domenicus Riuarola. D. Guidarellus. Michael Fabius. Angelus Colius. Io.Bapt.Faſtanellus. Iulius Philippellus. Honoratus Rubeus. Leonardus Hector. Iulius Philippellus. Aleſſius de Aleſſijs.

Proſperum Martianum in Hippocratis doctrina nulli cedentem, D. Ioannẽm Fabrum in Romano Gymnaſio publicum ſimplicium Profeſſorem, D. Ioan. Mariam Caſtellanum Bernardini Germanum, Anatomicum optimum, Chirurgiæ publicum lectorem, & familiæ Sanctiſſimi D. N. Gregorij XV. Medicum, D. Iacobum Iacobellum Sabinum, D. Dominicum Riuarolam, D. Petrum Paulum Patriarcham, D. Thomam de Nigris Tiburtinum, D.Dominicum Guidarellum,& plurimos alios aſcribere poſſem.Sed hi ſatis.Nunc redeamus ad febres peſtilentes.

Cur Auctores vtūtur Ol.Vit.

Non eſt concedendum præcitatos Auctores ſine ratione vſos fuiſſe ſpiritu,& oleô Vitrioli in peſtilentibus febribus: cùm enim doctiſſimi fuerint, & pleriq. Medici rationales, (qui omnia optimis rationibus bene fulcita agunt, non caſu), pro certò habendum efficacibus argumentis, & veris rationibus, certiſq.experimentis inductos fuiſſe, vt illos liquores febricitantibus exhiberent, mihi verò (ſi quid ſentio, proferre licet) exiccationis gratia id dediſſe videntur. Quandoquidem Auicennas in febribus peſtilentibus curandis clamat: *Summa curationis earum eſt Exiccatio*. Auicennæ autem videntur aſſentiri omnes docti. Igitur, quia febris frigida poſtulat; quia putrido ſicca exigit; quia valida putredo, qualis febrium malignarum, valida ſiccantia requirit: optimum remedium erit oleum, ſeù ſpiritus acidus Vitrioli; nam frigidum eſt, & ſummè ſiccum, incidens, & abſtergens, putrediniſq. tollendæ ſummum remedium. Conſtat autem ex Galeno.3. de comp. med.p. g.cap.2. *Siccantia, refrigerantiaq.medicamenta indicari à putredine,eò, quod hæc fiat à caliditate,& humiditate*.Et ſcibit p. de temp.cap.4. *Nec à ſicco putreſieri quicquam eſſe aptum,nec à frigido*.Et oſtendit id exemplo carnium ſiccatarum, vel ſale,muria,Aceto conditarum,quæ diu imputria ſeruantur. Deinde ſcribit. *Deprehendes,Borea,qui ſiccus natura, & frigidus ventus eſt, omnia quam diutiſſimè imputria durare; contrà putreſcere facillimè Auſtrino ſtatu: eſt enim is Ventus calidus, & humidus*. Siccantia autem medicamenta (abſq. eo, quod pluribus rationibus oſtendere coner) peſtilentibus febribus maximè auxiliari quotidiana oſtendit experientia. Nam Bolus Armena,Terra Lemnia,Lapis Bezoar,Vnicornu, Ceruicornua vſta, Corallia, Margaritæ, & alia cordialia ſiccan-

Exiccantia apta feb. peſt.

Siccantia ſimplicia experta ad feb. peſtil.

ſiccantia mirùm in modum proſunt. Verùm tàm in his, quàm in acidis ſuccis citri, Limonum &c. ponunt Auctores præter exiccandi, & refrigerandi vim, etiam proprietatem quandam occultam, (quam nos ſpiritualem dicimus) reſiſtendi putredini malignæ, & peſtilenti, in qua vt dixi ob contagium adeſt fortè qualitas quædam occulta, ſeù ſpiritalis vis, cui etiam obſtandum eſt æquali oppoſita virtute, & hanc ſicut in ſiccis terris, & acidis Vegetabilibus ſitam plurimi concedunt, ſic & in Mineralibus adeſſe ſanæ mentis nemo negabit, & vim Alexipharmacam Vitriolo ipſi ineſſe Epiſt. 10. oſtendemus. Vis quædam occulta contra putrediné in acidis.

At dices ſpiritus, ſeù oleum Vitrioli hic ponitur, ob validam ſiccandi vim, putredini contrarium; ſuprà verò in Hectica humectans dictum eſt, quarè manifeſta contradictio eſt. Contradictio in dictis.

Reſp. Breuiter, per ſe ſiccum eſſe hoc oleum dicimus, per accidens humidum, ſcilicet dùm admiſcetur multæ potioni validè humectanti, ſic enim vim ſuam ſiccantem valdè retuſam habet. & ſolum operatur ducendo, & deferendo humectantem materiam per totum corpus, quæ illa eſt, cuius ſubſtantia humectantur ſolida, & nutriuntur, ſed in vehiculo conſiſtit vis. Solutio.

Et hactenùs ſatis apertè, & diffusè, veris rationibus, & probatorum Virorum, Auctorumq. teſtimonijs, probaſſe, immo demonſtraſſe mihi videor vſum liquorum acidorum, tam vegetalium, quàm Mineralium in febribus præcipuè malignis, & peſtilentibus eſſe tutum, & conuenientem, quod etiàm magis patebit in ſequentibus, vbi aduerſariorum argumenta, & obiecta ſoluemus. Concluſio.

PRIMVS INSVLTVS.

Inſurgunt aduerſarij, & nos aggrediuntur.

Dicentes primo. oleum; Vitrioli, vt acidum febribus non conuenit. Nàm acida aſtringunt. (Gal. 2. de Alim. fac. 21. *Acida, ſi Ventrem purum inuenerint, ipſum magis ſiſtunt*) Aſtringentia obſtruunt, (5. de ſimpl. med. fac. 14.) Obſtruentia putredinis ſunt cauſa. 8. de com. med. 2. loc. cap. 7. Putredo febris cauſa eſt, de cauſ. morb. 3. ergo acida poſſunt eſſe putredinis, & febris cauſa. proinde acidorum vſus febrientibus non concedendus. Ab aſtrictione.

Secundo, Leonardus Iacchinus Emporienſis de Acut. morb.

cur. apertè damnat in febribus ipſa acida, quod aſtringentia ſint. Ol. Vit. eſt acidum, ergo aſtringit, quod etiam patet experientia, tum quia dentes adſtringit, & ſtupefacit, vt fructus acerbi; tum etiam quia Ol. Vitrioli aſtringere indicant curationes Hæmorrhagiæ, Vomitus, Diarrhœæ &c.

L. Iacchini.

P. Salij. Tertiò. Petrus Salius de febre peſtil. cap. 25. *Qui conſulunt* (inquit) *, ferculis admiſcendum eſſe ſuccum granatorum, citri, limonum, vuæ immaturæ, & reliqua huiuſce qualitatis, à me non probantur, quia non habent rationem obſtructionum, quæ inter cæteras ſunt potiſſima huius febris cauſæ tum fouentes, tum efficientes. ſicuti autem à me non probantur iſta adſtringentia, ita & damnantur dulcia &c.* Et paulo poſt iterum ſcribit: *Nonnulli ſuccum granatorum, ſuccum berberis, ſuccum vuæ immaturæ aquæ pro potu admiſcent. at iſta admodum adſtringentia ſemper mihi valde ſuſpecta ſunt.* Ergo non ſolum ſpiritus Vitrioli acidus, ſed nec alia acida in febre peſt. probantur.

C. Gori. Quartò. Camillus Gorus in ſuo tract. de Chalcantho. ſic contra vſum olei Vit. in febribus argumentatur. *Quæcunque valentiſſime adſtringunt, ac denſant non conueniunt in febre putrida. ex Galeno 10. 11. & 12. meth. med. ex 1. de diff. feb. cap. 3. & alibi. ſed Chalcanthus valentiſſime adſtringit, ac denſat, ex 9. de ſim. med. fa. & 10. meth. med. initio. Paulò lib. 7. Aetio, Celſo, Oribaſio, & alijs. ergo Chalcanthus non conuenit in febre putrida.*

I. Bapt. Syluatici. Quinto. Io. Bapt. Syluaticus in ſuis controuerſijs, quem ſequitur Gorus in 3. ſuo argumento. ſic ſe opponit oleo Vitrioli. *Galenus lib. 10. meth. cap. 2. & 11. meth. cap. 9. Chalcanthinam aquam in febribus putridis ſuſpectam habuit, quoniam cuti admota adſtrictionem pororum cutis, non modo facere nata ſit, ſed & nimiam corpori impertiat caliditatem.* Si hæc non conuenit, ergo nec oleum Vitrioli.

V. Alſarij. Sexto. Vincentius Alſarius à Cruce lib. de Morb. capitis. *Si oleum Vitrioli* (inquit) *vehementer aſtringit, ex quo aliqui ad alui etiam fluxiones cohibendas, quàm maximè valere aſſeuerant, neſcio quo modo ità promptè, & audacter in quacunque putrida eo aliqui vtantur.* Hoc eſt primum Telum, quod aduerſarij in oleum Vit. acutè vibrant, nimirum aſtrictionem.

PRI-

PRIMA REPERCVSSIO.

Reſpondendum autem hoc modo. Febris aufertur ablata putredine, (ſi ab ea pendeat) Putredo aufertur ablata Obſtructione ipſius cauſa; at obſtructio aufertur ab attenuantibus, incidentibus, & detergentibus, ſi materia obſtruens fuerit craſſa, viſcida, & glutinoſa: Sed Ol. Vitrioli, & alia acida attenuant, incidunt, & detergunt, vndè Obſtructiones tollunt à quibus putredo, quibus prohibitis neceſſariò aufertur febris. ergo Oleum Vitrioli acidum; aliaq. acida neceſſariò tollunt febrem. Contra argumẽtum.

Ita etiam contra argumentari poteſt. ſi Acida detergunt, ſi incidunt; ſi obſtructiones tollunt, non adſtringunt, ſed laxant, & apertè quidem aluum mouent. Exemplo ſunt Aquæ Acetoſorum fontium Romanorum, quæ ſæpe aluum validè citant. (vt notaui lib. de Acidulis) Præterea Galenus differentiam adſtringentium, & acidorum perbellè explicat. 2. de Alim. fac. 21. *Adſtringentia quidem quantum in ipſis eſt, alui deiectiones ſemper cohibent, Acida verò, cum ſuccum craſſum in Ventre inuenerint, ipſum incidunt, ac deorſum ſubducunt, ob idq. deiectiones humectant*. idem fatentur Iſaac de Dietis lib. 1. cap. 13. Alchindus, & alij. Præterea Acida ſunt tenuium partium. Adſtringentia craſſarum. falſum igitur eſt aduerſariorum dictum *Adſtringere acida*. quod cum ſit falſum, nec verùm erit Acida obſtruere, & putredinem cauſare. & ad auctoritatem Galeni dicendum, Acida non verè adſtringere, ſed potiùs denſare corpora, videri autem quaſi adſtringi corpora denſata. Aliud. Acida aluũ mouent.

Sed Hipp. 2. de Dieta. v. 256. videtur hanc litem dirimere. *At verò*(ait)*acida, & acria, & auſtera, & acerba, & ex toto collata, & ſicca, non replent, propterea quod oſcula venarum aperiunt & expurgant, & partim ſiccantia, & partim mordentia, ac adſtringentia, humiditatem carnis horrere, ac conſidere, & in modicam molem contrahi faciunt, atque ita vacuum multum in corpore fit*. Ex his aureis ſummi Magiſtri verbis patet primo Acida Oſcula Venarum aperire, & expurgare; vnde deobſtruentia ſunt veluti acria, cum quibus numerantur: patet ſecundo modus quo acida aperiunt. nam mordicando afferunt carni horrorem, quo pori concidunt, adſtringuntur, (latè ſumpta hac Voce) & in modicã Num. 19.

molem

molem contrahuntur. patet tertio concidentia,& adſtrictione meatuum, & pororum à materia craſſa obſtructorum,humiditatem exprimi ab ipſis meatibus:vnde deobſtructi, & vacui remanent. hinc acida per accidens deobſtruunt. Patet quarto Hipp. vti voce adſtringentia communiter non proprie, pro quacumque meatuum anguſtia excitata.

Reſpondetur. I. Iacchino. Ad ſecundum. Iacchinus confundit Acida cùm acerbis, & auſteris, quæ adſtringentia ſunt, putatque acida ſola non reperiri; ſed ſemper eſſe miſta auſteritati, ob id dicit aciditati ſemper coniunctam eſſe aſtrictionem. ſed huic etiam ipſe Alſarius ſe opponit, qui nunc pro nobis pugnabit ſcribens: *Verè acida, vt Oxalidem, & Oxilapatum in putridis febribus mirùm in modum conuenire, & ratione febris, & ratione putredinis, & ratione obſtructionis. Valent aduerſus febrilem calorem refrigerando, pugnant contra putredinem moderate exiccando, tollunt obſtructiones craſſos incidendo humores.*

V. Alſarius pro nobis citatur.

Quod autem acida, velut acerba Hæmodiam pariant, non eſt aſtrictionis ſignum,nam ipſa mera adſtringentia Hæmodiam non efficiunt. & Capiuacceus diſtinguit ſtuporem, qui eſt ſine ſenſu, à dolore ſtupido, qui hemodia dicitur, à compreſſione, aiens, ſolui continuum. Et Oxalidem, atq. Oxilapathum mere acida dixit Galenus voluitq. eſſe ſine aſtrictione vlla, quæ tamen hæmodiam pariunt. & Capiuacceus in fine curationis feb. peſt. *Extra* (inquit) *probantur frigida, ſed citra adſtrictionem: vnde* ℞. *Aquæ acetoſæ vnc. ij. acidi citri, aceti ana dracm. ij. miſce.* Dicit hæc eſſe ſinè aſtrictione, acidum tamen citri hæmodiam parit. Vnde patet, cum doctis ſentiendum eſſe Hæmodiam non fieri à vi adſtringente, quæ firmatur in partibus craſſis,ſed ab aciditate ob ſummam penetrandi vim ex partium tenuitate ſoluente continuum in interiore dentis parte, & ob vim frigidam ad intima penetratam: *Frigidum* enim ex Hippocrate, *Neruis, dentibus, oſſibus inimicum.* Sicut etiam acidum aliàs Neruis inimicum prædicatur.

Hæmodia non fit ab aſtringentibus.

Cur O. V. fluxum curet. Quum autem dicunt O[illegible] Vitrioli fluxiones ſiſtere, lienterias, diarrhoeas,ſanguinis ſputationem,Vomitum &c. indè colligentes ſummè adſtringens medicamentum eſſe; toto errant Cœ-

lo,

lo, ob logicam ignorantiam neſcientes diſtinguere operationes acidi ab adſtringentium actione, cauſamq. minime capientes ſedationis dictorum affectuum.

Vndè reſpondet his Mindererus lib. ſuo de Chalcantho pag. 91. *Id non tam ratione adſtrictionis fieri, quàm modo correctionis cuiuſdam, quæ corruptos humores in corpore naſci prohibet, quorum occaſione Diarrheæ naſcuntur. Itaq. inteſtinorum leuitas, lienteria, ac Cæliaca affectio ideò ab oleo Vitrioli ſanationē percipit, quod coctio ventriculi, qui cibum priùs corrumpendo deſtruxerat, & alimentū deprauauerat rurſus inſtauretur, ac aſſumpti cibi deſtructio prohibeatur ac bilioſorum, ac acrium humorum Diarrheam cauſantium prouentus, ac pululaſcētia præuertatur, atq. ſic per accidens ſanationem efficit, licet ſimul aſtringat, quæ tamen aſtrictio aperiendi eius vi nihil derogat.* Sed alij Chimici in ſpiritu, & oleo Vitrioli acido concedunt euidentem adſtrictionem, quæ ex ſputo ſanguinis ſedato videtur innoteſcere, & Galenus in crudo Vitriolo adſtrictionem maximam agnouit, & in aquis Vitriolatis. Reſponſio Mindereri. Apud Chimicos Ol. Vit. aſtringens.

Nos autem negamus veram adſtrictionem adeſſe in O. Vit. ſed ſolam denſationem concedimus, qua roborantur partes, & pororum meatus anguſtantur, vndè effectus quandoq. emergunt adſtrictioni non diſſimiles. Porrò diximus in alia Epiſtola ſputum ſanguinis à diuerſis fieri cauſis, & quomodo illi opitulentur acida etiam oſtendimus. Nunc aſſerimus ſanguinem egredientem ſiſti, vel obſtructo vaſe craſſefacientibus, vel ad ſtricto aſtringentibus, vel cruſta inducta eſcaroticis, & igne, vel denſato ſi rarefactio adfuerit, vel roborando, & adunando, ſi laxitas, & imbecillitas partis adfuerit &c. Enim verò medicamenta ex Galeno 5. de ſimpl. med. fac. Si fuerint calida, & craſſæ eſſentiæ, cauſtica erunt, & Eſcarotica. cap. 15. Si frigida cùm craſſa eſſentia, aſtringendi vim habebunt: Frigida verò cum ſubſtantia aquea denſantia vocat. cap. 14. At frigida, & tenuiſſimarum partium (acida dicuntur) partes roborant, & vniunt. Itaq. effectus quandoq. apparere poteſt idem Aſtringentium, Denſantium, & Acidorum, immo etiam cauſticorum &c. ſed re vera diuerſus eſt operandi modus, quod docuit Galenus cap. mox citato. *At eorum* (inquit) *quæ aperientibus* O. Vit. impropriè aſtringens. Differentia Aſtringentium, & denſantiū.

Adſtringentium Natura.

rientibus aduerſantur, ſubſtantia cùm ſit craſſarum partium, & frigida; adſtringentium eſt omnium, quæ quidem admiſtam non habent acrimoniam. Quorum ſanè materiæ abundè multa poſuimus in quarto huius exempla, in quo & eſſentiam huiuſmodi medicaminum, terrenam frigidamq. expoſuimus. Mirum ergo videri non debet, ſi ſola contrahere, occludereq. poſſit aperta præter naturam vaſorum oſcula: ſoli enim huic, quæcumque requirunt ea, quæ contrahi debent, omnia adſunt. Nimirum quæ conſiſtentia craſſitudine foris incumbat, nec paruos meatus penetrare poſſit: tùm frigiditate ſua intro premat, atque vndequaque in ſeſe contacta, vicinaq. corpora cogat, ac contrahat, ac proinde quod deſiccet (eiuſmodi enim eſſe oſtenſum eſt, quicquid eſt adſtringens) humorem depaſcatur, & partem roboret. Itaque ſi hæc omnia conueniant, oſculum claudetur, ceù à manibus foris, ipſis nimirum adſtringentis ſubſtantiæ partibus contractum.

Subſtantiæ terreæ.

Acida non adſtringũt.

Mirabiliter ſanè explicauit adſtringentium naturam, & operandi modum, quæ acidis noſtris conuenire haud poteſt, tenuiſſima enim ſunt, & penetrantiſſima meatus, & pororum omnium, cum adſtringentia ſint craſſiſſima, & poros obſtruant, quia vellent illos ingredi, & craſſitie nequeunt. ſubdit autem Galenus de Denſantibus. *Ea verò medicamenta, quæ frigida quidem ſunt, aut æquè, aut ampliùs; ſed ſubſtantiam ſortita ſunt aqueam. ea, inquam, debiliter, & contrahunt, & conſtringunt, nimirum propter mollitiem: quippe quicquid valenter, tùm conſtipare, tùm conſtringere debet, robur quoddam retinens, & durum habeat oportet: quo cum careant Medicamenta naturæ magis aqueæ, tenues quidem poros in vnoquoque corpore contrahunt, atque condenſant, cæterum inſtrumentum vndequaque totum conſtringere nequeunt. Quamobrem meritò talia condenſantia quidem ſunt, non tamen obſtruentia.* Et exactè quidem Galenus diſtinguit condenſantia ab obſtruentibus, poteſt igitur denſatio adeſſe abſque obſtructione. Acidum neutrum ex his eſt, & diuerſo agit modo; tenuiſſimarum enim eſt partium, & validè penetrantium, & quamuis aliquando adſtringere videatur; non tamen vera adſtrictio eſt, immo potiùs adſtringenti contrarium eſt, tum quia aperitiuum eſt, & obſtructiones tollit, vt dictum eſt, tum etiam quia ex Gal. ſic conſtat, quem audite. 5. de ſimpl. med. fac. 26.

Dēſantium Natura.

Denſantia non obſtruunt.

Ad-

Adſtringens contrahere, conſtringere, denſare, repellere, incraſſare, & ante hæc omnia refrigerare, exiccareq. natum eſt: Acidum verò incidere, extenuare, diuidere, farctuq. liberare perpurgare citra excalfactionem. Sed heus aduerſarij vbi eſtis? qui dicitis Ol. Vitrioli noſtrum calefaciens,& aſtringens: ſi aſtringentia frigida ſunt, implicat contradictionem apud Galenum eſſe adſtringens, & calidum, & nunc agnoſcite acida vocantes adſtringentia turpiter, & pueriliter vos errare, duo enim contraria ſimul confunditis,vnum enim incraſſat,alterum extenuat,vnum obſtruit, alterum deobſtruit, vnum diuidit, alterum coniungit. Vnde talis formari poſſet ſermo. Aſtringentia ſunt craſſarum partium, terrenæque ſubſtantiæ, vt clamat ſæpè ipſe Galenus in lib. de ſimpl. med. fac. ſed acetum ex Dioſcoride, & Galeno aſtringit. ergo acetum eſt craſſarum partium. At conſequentia eſt contra ipſum Galenum, qui acetum ſtatuit tenuiſſimarum partium. quarè ſentiendum, acetum adſtringere in propriè dici, vt & alia acida,& veri nominis defectu: non enim oſcula obſtruunt craſſitie aliqua. Etenim effectus quandoq. ſimilis apparens adſtrictioni decipit ſæpè id minùs attentè cõſiderantes, & Auctores plurimi vulgariter, & impropriè quandoq. loquentes aſtrictionem, & denſationem, pro alio conuenientiori nomine, quod deficit,in acidis ponunt,vt Trincauela, & alij quidam acidum citri adſtringere,nec non plurimi oleum Vitrioli, & ſulphuris adſtringere dixerunt. Hanc autem eſſe impropriam loquutionem colligetis etiam ex Galeno 1. de ſimpl. med. fac. 18. *At acetum* (inquit) *haud perinde, vt cruſtam facientia medicamenta, ſed potiùs vt adſtringentia, & refrigerantia citra cruſtam ſanguinis fluores cohibet*. Hic patet ex Galeno acetum non eſſe verè aſtringens: ſed agere quodammodo, vt adſtringentia,vel refrigerantia, ſcilicet denſantia ergo actio aceti realiter, ſeu eſſentialiter differt ab aſtringente, & denſante. itaq. ſanguinis fluoris cohibitio videtur quidem vulgo adſtrictio, non tamen verè talis actio dicenda aſtrictio: ſed tunc ſolùm, quùm fuerit à ſubſtantia frigida, & craſſa, aſtringente propriè dicta. & patet etiam ex hoc loco fluxum ſanguinis ſedari ab Acidis, quale acetum, à refrigerantibus, ab eſcaroticis,& ab adſtringentibus, itaut hæc quatuor adſtringere videantur, tamen vnum tantum

Adſtringẽtia, & acida contraria.

Error aduerſariorũ.

Argumentum ad abſurdum.

Effectus ſimiles decipiunt.

Impropria vox in acidis.

Aſtrictio quatruplex.

propriè adſtringens eſt dicendum, tria impropriè. Vnde acida adſtringere impropriè dictum volo, effectum tamen quandoq. aſtrictioni ſimilem habere concedo, ſeù per Accidens. hinc adſtringere dicimus acida. quidam propriùs loqui conati denſare pronunciarunt, vt Meſues *Acidum* dixit *denſare*, non adſtringere. quod tamen genuinum non eſt cum denſantia,ſint aquearum partium. Si quæres eſſentiale nomen, non inditum eſſe,dicam. interim improprio erit vtendum nomine denſandi, quod aliquanto magis ad eſſentiale accedit; vel roborans aptè mea ſententia dicetur, robur enim addunt ſolidis partibus dum incidendo auferunt obſtruentia, & poros mediocriter denſando, & anguſtando nimis laxos, partim videntur aperire, partim claudere. Igitur acida agere opinamur, & repercutiendo, (repercutere acida aſſeruit Galenus 5. de ſimpl. m.f. 26.) & mordicando, & vellicando cogere partes ad vnionem, & frigiditate denſando, & ſiccitate roborando (ſiccum robur habere Gal. dixit) adiuta à partium tenuitate; ſic fluores ſiſtere poterunt, contrario ac aſtringentia modo, quæ craſſitie obſtruunt, & nullius obſtructionis metus erit. & in hisactionibus nomina deficere, ſicut etiam aliud eſſe oſcula occludi, aliud poros,diſcere eſt ex Galeno 14. cap. lib. citati: *Sed, quod poros contrahit, condenſans appellitant, ſi quod autem oſculum occludit, haud etiàm proprio deſignant nomine, ſed generalioribus quibuſdam, & contrahens, occludens, conſtringens, atque obſtruens nominant*. Acida autem oſcula non occludunt, immo aperiunt obſtruentia detergendo, ſed poros condenſant, hinc fluxiones ſiſtunt: Nos autem,& communem loquendi modum ſequuti,& alios,(quamuis impropriè vt dixi loquentes) tùm aſtringere, & denſare oleum Vit. diximus, tum etiam acida non eſſe ſine aſtrictione conceſſimus. Sic adſtrictionem hanc, ſeù denſationem, (quæ potius roboratio dicenda eſſet) in acidis non eſſe ad febres peſtilentes ineptam probant plurimi. cùm autem doctiſſimus Rullandus de feb. Vng. cap. 8. quæſt. 67. negat acetoſa adſtringere intelligendus de vera adſtrictione, quæ eſt cum craſſis partibus: nec rectè ſapiunt aduerſarij, qui ex adſtrictione crudi Chalcanthi inferunt adſtrictionem ſpiritus, & olei ab eo extracti; quod apert um mendacium non meretur verboſa confutatione;

Acida roborare dicenda.

Modus agēdi acidorum.

Defectus nominum.

Vulgaris loquendi modus.

ſed ſibilo explodendum cùm ſuis Auctoribus. Hipp. autem 2. de Diæta 19. Acida, ait, propterea quod oſcula venarū aperiunt, & expurgant, & partim ſiccātia, partim mordētia, ac adſtringentia, humiditatem carnis horrere, ac conſidere, ac in modicam molem contrahi faciunt, atque ita vacuum multum in corpore fit.

Quod ſi concedere vellemus adeſſe pauculam adſtrictionem cum Doctiſſimo quodam Viro ſic reſpondere poſſemus: *Oleum Vitrioli legitimum particeps verè eſt vnà cùm propria aciditate leuis cuiuſdam, atque ſuauis auſteritatis; quæ quidem facultas tantum abeſt, vt in oleo Chalcanthi aſtringendi vim habeat, vt potius leuiter partes comprimendo, incidendi, aperiendiq; eius, quam ab aciditate vim habet, efficaciorem reddat, maiorisq. penetrationis, quod & antè nos admonuit Galenus 3. de ſimpl. med. fa. cap. 17. in oleo roſaceo, cùm doceret, illud magis, quàm oleum commune penetrare, ob eam, quam poſſidet aſtringenti facultatem, ea nimirum cæteras olei, non tantum vires: ſed ſubſtantiam etiam intimiùs impellente, quod & nos in lentiſco præſertim, & in Cotoneo malo quotidie experimento probamus, quæ ob eandem rationem, cùm adſtrictione aliqua non careant facile ea impellente corpora altiùs ſubeunt; & diuretica efficiuntur.* Igitur in oleo Vitrioli vel nulla eſt vera adſtrictio, vel ſi quæ eſt, vtilis eſt potiùs ad facilius tollendas obſtructiones. quod etiam video probaſſe clariſſimos aliquot Viros, vt Brudus Luſitanus de Victu febric. lib. 3. cap. 19.

Reſponſio Doctiſſimi Viri C. Clementis.

Adſtrictio intēdit vim Acidi.

Ad tertium. Eſt reſpondendum, n[illegible]um Petro Salio. diſtinguendo primo, nam vel intendit damnare acida ſimpliciter, cenſens hæc adſtringere, vel auſtera, & acerba, quæ mixta poſſunt dici ex acido, & adſtringenti: ſi primum quantùm decipiatur ex mox ſcripta ratiocinatione apparet. ſi ſecundum ſibimet ipſi facile oſtendam contrarium fuiſſe, & neſcientem horum diſtinctionem. eodem enim capite, quo acida refellit, poſt paucos verſus eadem probat. attendite. probat primo *Acetoſam* in cibis deinde. *Qui conſulunt* ait, *ferculis admiſcendum eſſe ſuccum granatorum, citri, limonum, vuæ immaturæ, & reliqua huiuſcè qualitatis à me non probantur.* mox autem coquit cibos in aqua *Acetoſæ*. deinde in maiori putredine pullum coquendum replet *Ceraſis acidis, amarenis dictis, folijs acetoſæ*. & addit

Reſpondetur P. Salio.

Sibi contradicit.

 tertiam

tertiam partem ſucci Citri. quem tamen refellerat. deinde de potu loquens. refellit *ſuccum Granatorum*, *berberis*, *Vuæ immaturæ*. ſed ſtatim ſui oblitus exhibet pro potu decoctum *Ceraſorum acidorum*, & addit. *conſueui ego ordinare iulep roſaceum cum Vino granatorum*. ſi apud te conſuetus eſt vſus Vini granatorum, quare prohibes? ecce quam confuſus, quàm ſibi contradicens eſt. ſed diſtinctiùs videtur egiſſe paulo ante. cap. 23. *In materia calida* (inquit) *conueniens erit ſy. acetoſus ſim. ſy. de ſucco Acetoſæ, ſy. de Acetoſitate citri* (*huiuſcemodi acida medicamenta in conſimili caſu ſemper alijs præferantur*) *ſy. de agreſta, de ſucco granatorum conſulto prætermitto, quoniam exhibiti nimium obſtructiones ob eorum adſtrictionem adaugent*. hic videtur Acetoſitatem citri ſeiungere à ſucco granatorum, ob adſtrictionem. ſed cur ſimul iunxit, & negauit cap. 25? dicimus ergo falſam eſſe obſtructionem, & falsò Vinum granatorum *admodum adſtringens* dici, ſicuti etiam ſuccum limonum, & citri eſſe adſtringentem. conſtat autem ab alijs deobſtruentium loco in vſum venire. vt Capiuac. de feb. peſt. Brud. Luſit. de Victu feb. & alijs.

Laudat acida.

Reſpondetur C. Goro.

Sed ad quartum Gori Argumentum Reſpondentes poſſemus omnia concedere: concludit enim chalcanthum non eſſe dandum in febre putrida, quod nemo vnquam aſſeruit: ſed Oleum chalcanthi exhibemus, contrà quod, argumentum non procedit. aliud enim eſt Vitriolum totum, aliud ipſius ſpiritus, vel Oleum: alia nimirùm vis partis homogeneæ, alia totius hætherogenei, & diuerſimode mixti, ſicut alia vis Theriacæ, alia ſolius Opij, ſolius Euphorbij, ſolius Mellis, ſolius carnis Viperæ, quæ Theriacæ partes ſunt.

Conceditur totum.

Sed vt pateat quàm rectè argumentetur, conſideranda primum maior argumenti propoſitio dixit. *Quæ valenter adſtringunt, ac denſant non conueniunt in febre putrida ex Galeno*. At minimè citatis ab ipſo locis id aſſeruit Galenus, ſed externa adſtringentia, ac denſantia ob cutis obſtructionem febrem excitare dixit. ipſe amplians dicta ad interna transfert. ſed concedamus quæſo (prout vult Gal.) externa adſtringentia &c. Chalcanthus adſtringit &c. ergo chalcanthus, ab extra non conuenit. hæc eſt recta concluſio. & illi totum conceditur. Si

Argumentum Gori quid concludat.

verò

verò Gorus ſubintelligat, Oleum Vitrioli eſſe valentiſſimè adſtringens: omnino falſum. Conſideret quæſo tenuitatem, & incidendi vim. Moderatè autem adſtringentia non modo non damnauit Galenus; ſed ſummè laudauit, vt patet. 11. meth. c. 15. 16. & 17. vultq. omnino Cataplaſmata pro Ventriculo, Iecore, & Liene adſtringentia continere ad roborationem partis ſolidæ. & c. 17. parciùs ad pectus adſtringentibus vtendum ſtatuit, non ea penitus vetans. ibi etiam tradit cibis potiùs, quàm externis adſtringentibus Cor roborandum; non erunt ergo abſque methodo adſtringentia medicamenta intus ſumpta ad roborandas partes internas relaxatas, & clarè id docuit. 11. meth. c. 10. inter reliquas febrium indicationes ponens hanc. *Hoc verò tempore* (inquit) *etiam vires roborare, quo putredinem ſuperantes, ſuccos concoquant, ſtudebimus*. & c. 15. docet adſtringentia roborare partes principes. Aſtringentia roborant.

Sed ad noſtra acida reuertentes dicimus cum Gattinaria, Nicolo, Brudo Luſitano, Trincauela &c. Acidorum adſtringentiam conferre in febribus peſtilẽtibus à principio ad finem: ſemper enim adeſt indicans, ſcilicet cor, ſui roborationẽ per condenſantia, & adſtringentia requirens. Vnde notate Pillulas Ruphi ſummè laudatas à Paulo, Aetio, Oribaſio ad peſtem conſtare ex Aloe, quod euidentiſſimè adſtringit, laudantur etiam Bolus Armena, Terra ſigillata, Margaritæ, Corallia, cornu cerui vſtum, lapis Bezoar &c. quæ quidem frigida, & ſicca ſunt, & potiùs aſtringentia; immo craſſitie ſua interna viſcera obſtruentia, quod aciditati minimè tribui poteſt. Acida aſtringendo probata in febribus.

Et ſi vellemus in oleo Vitrioli cõcedere aliquam veram aſtrictionem, quæ pendeat ab aliquibus admiſtis partibus terrenis, & craſſioribus haud omninò ſeparatis; non ob id timendum oleum Vitrioli; nam partes incidentes, attenuantes, & deobſtruentes ſuperiores longè ſunt. Conſtat enim Rhabarbarum adſtringentem ſubſtantiam multam continere, ſic Aloen, & Mirobalanos: tamen quotidie videmus ab his aluum plurimum ſolui. Poterit igitur oleum Vitrioli maximè incidere, attenuare, & deobſtruere, ac parùm denſare, ac roborare partes principes, & alias: ideò optimum erit remedium febrium putridarum & peſtilentium, quæ ex Galeno à maxima putredine oriun- Adſtrictio iungitur quãdoq. ſolutiuis.

oriuntur, frigida enim, ſicca, & adſtringentia ad putredines conuenire ſcripſit. 7. de ſimpl. m. f. cap. de Plantagine.

Reſpondetur I.B.Syluatico. Ad quintum. Syluatici autem argumentum inualidum eſt, aliud enim eſt Balneum aquæ chalcanthoſæ, aliud vſus olei V. poti. internus, & externus vſus extremè differunt, ideò non valet argumentari ab altero ad alterum, ridiculum enim hoc eſt. In Synocho non conuenit Balneum Aq. frigidæ. ergo nec frigidæ potus. Quarè aduertendum Aloen, ex Meſue, potam venas aperire; extrà impoſitam aſtringere fluentem ſanguinem; ſic Mirrha ſanguinem per menſtrua ducit, ab extra aſtringit; Cœpa verò carni extrà impoſita, ſicut & Allium, eam exulcerat, commeſtam Ventriculum exulceraſſe nondum audiui. & alia ſexcenta afferri poſſent exempla. Sed audite quæsò Virum doctiſſimum, qui huic argumento optimè ſatisfacit: *Non enim ex eo, quod Vitriolatæ aquæ exteriùs admotæ, ob allatas rationes, in febribus curandis Galeno ſuſpectæ ſunt, neceſſariò propterea ſequitur, quod Vitrioli etiam oleum interiùs deſumptum eadem afferre poſſit nocumenta: quoniam ſicuti alia ratio eſt medicamenti extrà appoſiti, alia verò medicamenti, quod intus deſumitur; ita Vitriolatarum aquarum Naturalium vires, & olei, ſiuè ſpiritus Vitrioli facultates longiſſimè inter ſe differunt. Illæ ſcilicet Thermales aquæ ob craſſam, crudam, ac terream Chalcanthi ſubſtantiam, qua referta ſunt, extrà ad lauacrum in febribus admota corpora, ac meatus omnes aſtringendo, obſtructiones ſanè augerent, & febres ipſas non ſolùm fouerent; ſed maiores procul dubio redderent. At Vitrioli oleum vi caloris defæcatum, ac attenuatum, ſi ex arte, hoc eſt, ſi parcè, ac debito modo, contrarioq. morbo, adiuncto vehiculo, & tùm ætatis, temperamenti, ac ægrotantis virium, tùm cœli ſtatus, ac ægritudinis temporum habita ratione exhibeatur, tantùm abeſt, quod prædicta afferre valeat nocumenta, vt potiùs incidendo, detergendo, attenuando, aperiendo, refrigerando, ac exiccando, obſtructiones reſerare, & futuram putredinem inhibere, præſentem corrigere, viſcera expedire, ac roborare, & deniq. extraneum omnem calorem, hoc eſt febrem ipſam, citò, vt dici ſolet, tutò, ac iucunde extinguere mirifice valeat.*

Interna, & externa pharmaca oppoſita.

Solutio C. Clementis.

Verus vſus olei Vitrioli.

Reſpondetur V.Alfario. Ad ſextum ſcilicet V. Alfarium. Si neſcit cur audacter in putredine oleo Vitrioli vtamur, diſcere poterit ex his, quæ paulò

ante

ante retulimus, quia nimirum acidum eſt, nec vehementer adſtringit, etiam ſi fluxiones cohibeat, vt diximus.

Ecce primum aduerſariorum Telum obtuſum, & refractum. Validiùs emittant opus eſt, ſi pugnæ victores fieri cupiunt.

SECVNDVS INSVLTVS.

Secundo argumentãtur aduerſarij alia via. Nàm timentes ab aciditate ſpiritus, & olei Vitrioli ſe conuinci, conſilium iniere eam omninò (quamuis contra ſenſum) negandi: ob id dicunt O.Vit. nequaquam acidum eſſe; (nè cogantur frigidum fateri) ſed ſummè acre, & calidum. Aduerſarij negant Aciditatem.

Primo. Syluaticus ſic loquitur. *Vitriolum* ex Dioſ. & Galeno. 9. de ſim. m.f. *Erodentis, & ſepticæ facultatis eſt particeps.* ergo in calidiſſimo, & periculoſiſſimo morbo, qualis eſt febris maligna non exibendum. I.B. Syluaticus.

Secundo. Caliditatem febrilem auget teſte Actuario: *Ob Acrimoniam non vulgarem*, quam Vitriolum habet. ergo.

Tertio. Gorus hæc affert: *In febre putrida indigemus refrigeratione ex lib. 11. meth. med. cap. 8. ſed Chalcanthus non ſolùm non refrigerat, ſed plurimum calefacit, ex Gal. 9. de ſimp. m. fa. ex Dioſc. Auic. Paulo, & alijs ſupra citatis. ergo Chalcanthus non conuenit in febre putrida.* C. Gorus.

Quarto. Riolanus ſic ſe opponit. Oleum Vitrioli nequit tutò dari febrientibus ob vim cauſticam, qua etiam Vitrum, in quo aſſeruatur exedit. Cauſtica verò his adeò non conueniunt, vt nè vinum quidem quamuis dilutum. Riolanus.

Quinto. Vinc. Alſarius ità inſurgit multiplici argumenti facie, primo Vitrioli oleum acre eſſe exclamat, quia Rubeus, Cardanus, & Cordus ipſum acre vocarunt. V. Alſarius

Secundo. Quia Mercatus, Amatus, & Riolanus Cauſticum dixerunt.

Tertio. Quia Cardanus calidiſſimum vocauit.

Quarto. Quia Rubeus canicularibus diebus eo abſtinendum conſuluit.

Quinto. Quia Amatus, Claudinus, & alij, immo Quercetanus, ſemper admiſcent refrigerantia, vt illius feruorem contemperent, quo conſtat calidiſſimum iudicaſſe.

Sexto. Quia Coſtæus aſſerit. Aquas acetoſorum fontium

ſaporem

ſaporem habere, vel ab alumine, vel ab ære, quæ ſunt acria; & calida. ſic etiam infert aquas Thermales acidas omnes calefacere, non refrigerare.

Septimò. Denique ſimul cum C. Goro, ait, Eadem ferè eſt Chalcanthi natura, quæ ſulphuris ex Quercetano, ſed ſulphur ex Auic. eſt calidum, & ſiccum in 4. ergo.

SECVNDA PERCVSSIO.

Aduerſarij 4. tantum ſẽſibus prę diti.

Reſpondemus aduerſarios valdè decipi, nec ipſum errorem, tàm in ignorantia, quàm in malitia fundari pro certò habendum. vndè iure Mindererus contra hos inſurgit. pag. 91. & inter alia ſcribit, huiuſmodi homines quatuor ſolum modò ſenſibus eſſe præditos, vt qui guſtum, præter intelligentiam amiſerint. Nos autem pro ſapore huius olei acido pluribus, & ad faſtidium vſq. decertauimus, tùm initio huius tractatus, tùm etiam in dubitationibus ad Mindererum, & in alijs huius Decadis Epiſtolis. Itaque aciditatem in ſpiritu, & quodam Vitrioli oleo negare, eſt contra ſenſum pugnare. cùm dicant cæteri eſſentiam Vitrioli fundari in aciditate. Adeò vt dicat D. Mylius cum Parac. O. V. eſſe rem acetoſam, omnem acetoſitatem ita ſuperantem, vt nulla acetoſior ſit. Sed ad particularia eſt deſcendendum.

Reſpondetur Syluatico.

Ad primum Syluatici. dicimus nos, (cui quidem optimè, quamuis aliter reſponſum dedere Rullandus, Kernerus, & alij) dicimus inquam. Vera concludere, nimirùm Vitriolum ipſum non eſſe exhibendum. Nàm ſi crudum tantum Vitriolum nouerunt Antiqui citati, de ipſo tãtùm crudo loquuti ſunt. ex quo concludit Argumentum, ergo Crudum Vitriolum non eſt exhibendum. quod conceditur, ſed non valet tacita illatio. ***Non conuenit Vitriolum, ergo neque eius oleum.*** Nam idem eſſet, ac dicere in febre non conuenit Hordeum crudum, ergo nequè Ptiſana bene præparata, alia enim vis Vitrioli, alia ipſius olei, vt ſæpè diximus; itaque fallax, & ignauum argumentum.

Ad actuarium.

Ad ſecundum. Actuarius loquitur de Vitriolo crudo, & craſſæ heterogeneæq; ſubſtantiæ. Eius autem oleum non nouit à craſſa, terrea, acriuè ſubſtantia ſeparatum, atque acidum, & frigidum, contra quod non inuehitur Actuarius.

Ad tertium Gori. Reſpondeo me nunquam laudaſſe pro febrientibus

brientibus Chalcanthum, nec ab alio vnquam fortè requiſitum audiui; vnde miror Doctiſſimum Virum tantum ſuſcepiſſe onus probandi chalcanthum non conuenire febrientibus. Quæſtio autem eſt de ſpiritu, & Oleo acido, quod ad febres propino, & commendari ab infinitis doctiſſimis viris quotidie lego. Galenus autem. Dioſc. Auic. Paulus, quos citat Gorus de Chalcantho loquuti ſunt, non de eius ſpiritu, & Oleo extracto, quod ne ſomniarunt quidem. ergo falſos teſtes, pro caſu noſtro. Nec valet, vt mox etiam dixi, *Chalcanthus* (quæ vox Maſcula à Goro ficta, dicitur ab alijs neutro Genere Chalcanthũ, & τὸ χάλκανθον) *non conuenit. ergo nec eius oleum*. ac ſi pars, & totum; Acetum, & Vinum: Caſeus, & lac; aqua ardens è roſis elicita, & ipſæ roſæ: Baſſica, & ipſius ius &c. eſſent eadem, & eiuſdem Virtutis.

Reſpondetur C. Goro.

Calcanthũ dicitur nõ Chalcanthus.

Ad quartum Riolani vertenda nunc noſtra eſt Oratio, qui non Vitriolum; ſed ipſius Oleum impugnare conatur ob vim Cauſticam. Contra quem multorum doctiſſimorum extant ſententiæ. Crato enim, quem ſupra citauimus, ſcribit. *Quod verò aiunt oleum Vitrioli eſſe corroſiuum medicamentum, id, vt falſum conuincit experientia*. Libauius autem lib. 8. ſyntag. cap. 26. Kernerus in ſua Tetrade, & alij mendacium dicunt eſſe aſſerentium in optimè parato Vitrioli ſpiritu adeſſe vim corroſiuam: quos interpretor interna corrodendi. Ego enim expertus ſæpè ſum vim cauſticam in vlceribus oris, & partium genitalium ſpiritus, ſeu olei acidi Vitrioli. necnon aciditatis ſulphureæ. cauſamq. attulimus extremam ſiccitatem in Dubit. ad Minder. concedit eam etiam Minder. Vnde vim hanc negandam contra ſenſum non autumo. Interna autẽ corrodere hos liquores aqua refractos, & conueniente vſu, tempore, morbo &c. adhibitos negandum omnino eſt. Exempla habemus in aceto, & ſucco limonum, quæ pura bibita, & ſæpè, aptiſſima ad nocendum, Amatus hoc ſucco ſæpe epoto aliquot peſſimè affectos teſtatur. Aceto verò, nos numerare poſſemus aliquot nimis vſos ad intrà, & plurimum læſos. immo ſi mixtum acetum lædit, quid efficiet purum? Audito Hippocratem. 3. acut. 32. *Oximel inteſtina humectiora, atque in ijs ramenta, & abradendo vlcera efficit*, idem Galenus. 11. meth. c. 11. *Oximel ſi vn na*

Reſpondetur Riolano.

Vis corroſiua Vitrioli non negãda.

Oximel erodit inteſtina.

dicè vtare, & inteſtina radit, & tuſſim excitat, & neruoſa ladit. Alia inſuper ſunt infinita, (Acria tamen) quæ externè exulcerant, non autem internè, vt Cæpa, Allium, Scylla, Dracunculus, Arum, Sinapi, Eruca, Caryophilli, Piper, Pirettrum, Euphorbium, Lepidium, Raphanus ruſticanus &c. Nec fugere volo ad oleum dulce, & ſubdulce, vt aliqui. nàm aciditatem ego requiro; quia dulcedo ab acredine, & aciditate non parùm differt; ſi enim ſapores qualitatum ſunt indices Galeno; diuerſi ſapores, ergo diuerſa temperamenta. accedit quod Paracelſus. tom. 7. cap. de Vitriolo agens de acetoſiſſimo oleo illi conceſſit corroſionem: *Deindè* (inquit) *naturam etiam corroſiuam continet, qua de cauſa opus eſt, vt prouidè, & caute vſurpetur: nimirùm non per ſe, ſed in bona concordantia, & idonea mixtura reſpiciente id, contra quod adhibetur. Exemplo rem docebimus. Tyrus eſt ſerpens venenoſiſſimus, ſolus ergo nullum vſum præſtat. Sed in compoſitione vſus præſtantiſſimi eſt, vt ex quo paretur Theriaca. idem de hoc quoque oleo dicendum eſt, quod ſolitarium ſumendum non eſt, ſed in compoſitione.* Concedimus ergo liquores mineralium acidos (ſed meraces) eſſe corroſiuos, cauſticos, & eſcaroticos. Annè ſuccus limonum, citri, berberorum, & acetum Margaritas, ac Corallia mineralium aciditatum inſtar corrodunt? ob id abigẽda nè vegetalia illa? Quid! Acetum Metalla ipſa corrodit, vt patet in plumbo in ceruſſam conuerſo, & in ære in æruginem viridem toto commutato ab aceti ſolo vapore; non tamen eius quotidiano vſu corpora noſtra (niſi modum excedat) corroduntur, & corrumpuntur. Nec valet conſequentia. Acetum Metalla corrodit, ergo etiam corpora humana, nam caro, piſces, poma & huiuſmodi aceto imputria, & incorroſa ſeruantur vltra annum. ideò nunquam inferendum, quod vnum corrumpit, aliud etiam corrumpet. Vitriolum verò conſeruare non corrumpere carnes Gal. teſtatum reliquit.

[Margin: Refugium al quorum.]
[Margin: Paracelſus concedit O. V. acidum corroſiuum.]
[Margin: O. V. purũ corroſiuũ, non dilutum.]
[Margin: Acetum metalla corrodit.]

Præterea negamus vim acidorum cauſticam, & corroſiuam à caliditate pendere; nam acida omnia cùm Galeno frigida eſſe ſentimus; eſcaras autem gigni à ſumma ſiccitate cum partium tenuitate in noſtris dubitationib. ad Mind. clariſſimè probauimus. Itaque concedimus Riolano cauſtica calida non conce-

[Margin: Acida cauſtica à frigiditate.]

denda

denda eſſe febrientibus. ideò oleum Vitrioli Acre, quod calidiſſimum fatemur in potu vetamus omnibus; Nec tamen cauſtica frigida, prout talia, concedimus, ſcilicet pura, & immiſta, & actu cauſtica eſſe potanda, quod eſſet dementia. Sed acida quidem cauſtica adeò refracta, & eorum ſiccitate ità humectata, ac vnitate diuiſa potanda prebemus; vt actu cauſtica nullo modo eſſe poſſint, ſed in remotiſſima potentia, vt acetum dilutum. Atque negamus Riolano O. Vit. Acidum eſſe cauſticum calidum, quod ſi dicat pro illo aliquis, Galenum non meminiſſe niſi cauſticorum calidorum, quid ad nos? fortè cauſticam vim acidorum non nouit, vti nec noſtrum oleum; nonnè facile eſt inuentis addere? ità ſciuit omnia Galenus, vt nihil noui inueſtigandum reliquerit? Homo erat, vita breuis, ars longa, non potuit vnus homo omnia ſcire. fortaſsè id voluit 1. de ſim. med. fac. 37. cum ait: *Acidum mordicare & rodere ſine caliditate*. Ergo ex Galeno acidum erodit; ſi erodit ſinè caliditate, ergo erodet cum frigiditate. ſi ſic ergo apud Galenum datur cauſticum, & erodens frigidum, & tale eſt acidum. Sed adeſt Thomas Muffettus loquatur ipſe nunc pauliſper vobiſcum. ex Dialogo Apologet. med. chim. Ph. *Cùm Ol. Vitrioli etiam à Geſnero toties laudatum ſcutellam ſtanneam exedit, quis ſimile periculum in ſtomacho noſtro membranaceo non verebitur?* Reſpondet. *Ch. Si O. Vitrioli propter ſtamnum ab eo exeſum humano corpore exulabit, quid vino ſublimato, aceti melliſq. ſpiritu, quid ſale, & limonum citrorumq. ſucco fiet? nam eorum vnumquodq. ſtamnum abſumere, vel ſemeſtris medicus agnoſcit. Ph. At non tam paruo temporis curriculo, atque Spiritus ille Vitriolatus. Ch. Immò ſane minori, ſi cùm noſtro illius exhibendi modo conferatur ratio. Nollem enim te aliquem chemiſtam, tàm ſtupido ingenio praditum exiſtimare, vt Ol. Vitrioli nullis alijs mixtum liquoribus propinare auſus ſit; ſed potiùs ad aqua roſacea, vel alterius liquoris libram Ol. Vit. guttas totidem adijcere, quod ad aciditatem comparandam ſatis eſſe queant, cui liquori oleo Vitrioli aceſcenti, ſi tantum ſtanni immerſeris, quantum aceto: nullum non inueco ſupplicium, niſi ſtamnum multo magis corroſum repertatur.*

An Galenus meminerit cauſticorum frigidorũ.

Acidum erodit ex Galeno.

Thomas Muffettus.

Ore ſumantur multa magis erodentia, quã O.V.

Sed redeamus ad verba Riolani. *Ol. Vit.* ſcribit *nequit tutè dari febrientib. ob vim cauſticam.* Oleum Vitrioli purum con-

 cedo.

Exactior Verborum Riolani cõſideratio. cedo. Sed quis vnquam dedit potandum? eius verò Oxicratum, ſeù aliter dilutum, quia non ampliùs cauſticum (vt prima Epiſt. ſcripſi) tutò,& tutiſſimè dari poterit. cum dixit: *Vitrum continens corrodere*, ſciat experimento nullum aliud acerrimum, Cur O. V. Vitra corrodat. & calidiſſimum oleum vitra diſrumpere: Vndè id referendum tenuitati partium acidæ ſubſtantiæ: an ignorauit frigiditatem magis inimicam Vitro, quam caliditatem, ideò in æſtate vitra ex ſe minùs ſcinduntur, quam hyeme frigida: condenſatum enim frigore facilius finditur, quam calore rarefactum. At reſpondebis. O. V. corrodit linteola, & Papyrum. Papyrus,& linteolum,vaſa,quibus continetur, occludentia, ab illo aliquando comburuntur, & velut in cinerem rediguntur:quandoq. demum idem præſtat ſolus ſpiritalis eiuſdem olei vapor, quid ſimile in corpore timendum. ℞. hæc operari purum oleum, non dilutum, pari etiam ratione,ſal aliquo temporis ſpatio Papyro, vel linteolo contentum, ipſa corrodet. non tamen inteſtina rodit.

Reſpondetur Alſario. Ad quintum V. Alſarij oppoſitum nunc nos vertemus, vndè ad primum ipſius dicimus. Quum Rubeus, & aliquot alij oleum Vitrioli acre vocant, intelligunt illud poſtremum, quod nos quoq. pluries acre eſſe cõceſſimus. Si verò,quod nos acidum vocamus, & quo vtimur,ipſi acre dicere maluerunt reſpondemus, vel illos non rectè conſideraſſe hos ſapores, vel de officinarum improbo oleo loquutos, vel fuiſſe abuſos hac voce, vti Galenus Abuſus vocis acris. fecit 2:de Alim. fac. 37. Vbi. *Partem citri (inquit) Acidam ſæpe in acetum imbecille conÿciunt, quo ipſum reddant acriùs*. Ecce Galenus abutitur voce *Acriùs* prò *Mordaciùs*, ſeù *acidiùs*. Aciditas enim ex ipſomet frigida ſemper eſt,iniecta in Acetum, quomodo poteſt illud reddere acre? reddere calidum? ſi acria omnia ſunt calida ex aduerſarijs.

Ad ſecundũ Alſarij. Ad ſecundum patet Reſponſio ex his quæ contra Riolanum mox mox allata ſunt. cauſticum quidem eſt, ſed frigidum, & ſiccum, non calidum, aquæ autem conuenienti admiſtum non ampliùs cauſticum.

Ad tertium Alſarij. Ad tertium. Quod Cardanus lib. 5. de ſubtili. oleum Vitrioli calidiſſimum dixerit, paruam vim facit, nam de acerrimo oleo ſermonem habet, non de acido, & fortè ignorauit Cardanus à Vitriolo extrahi tot ſpecies liquorum. vndè ſi parùm illi con-

ſtitit

ſtitit totalis Chalcanthi natura, iudicet ipſe Alſarius, quantum ſit credendum viro de re ſibi ignota loquenti. Huic tamen, ſi Auctoritate pugnandum, omiſſis plurimis doctiſſimis viris, opponam clariſſimum Cratonem non ſolum, quia trium Imperatorum fuerit Medicus, ſed etiam quia ſuis ſcriptis, & medendi peritia, toti orbi illuſtrem ſe reddiderit: *Hoc tamen moneo* (inquit) *quod ſine vehementi calefactione exiccet vehementer*. Dicimus autem, quod, ſi quid calefacit vſuale O. Vit. illi accidit ob partes acres admiſtas; eſt igitur neceſſe optimè ſeparare partes acidas ab acribus, & purum colligere acidum liquorem, ſic minimè calefaciet. aliter quæſtio erit inanis, & diſputatio de re mixta ex duabus ſubſtantijs contrarijs, duobus contrarijs ſaporibus, & ex oppoſitis duabus qualitatibus: Vna enim ſubſtantia non habet niſi vnicum ſimplicemq. ſaporem. Si in oleo Vit. eſt ſapor duplex. erit ergo duplex etiam ſubſtantia, & eſſentia. At Spagyrica ars, quæ ſeparatoria eſt, debet conari has diſiungere. ſi negabunt poſſe ſeparari, cùm alia difficiliora ſeiungantur, dicemus ipſos fateri ignorantiam Hermeticæ, ſi conceſſerint poſſe ſeparari, ecce nos loquimur de ambabus ſubſtantijs ſeparatis, ſeparatim. Vnde mirabilis in operibus ſuis Vitriolum, de quo admiratur Galenus. 9. de ſimp. m. f. Cauſa autem admirationis fuit, quia vehementiſſimæ adſtrictioni admiſta eſt caliditas non inſtrenua. ſi ergo miratus eſt Galenus, non aliud certè reſpexit, quam admiſtionem calidarum partium acrium, cum acidis, & aſtringentibus, quæ omnia ſenſu ipſo agnouerat frigida, vt fatetur. 4. de ſ. med. f. 7. nec ſeparandi modum imaginari poterat. Atque hanc diuerſarum partium mixtionem peritus Hermeticus ſeparat, & colligit hinc calida, hinc frigida; hinc acria, hinc acida, hinc dulcia &c. Quandoquidem autem confeſſus eſt Galenus Vitriolum eſſe corpus mixtum ex Heterogeneis ſubſtantijs. Ars verò illa, quæ Hæterogenea ſeparare profitetur, poterit omninò & illas diuerſas ſeparare ſubſtantias contrarijs qualitatibus præditas, ſaporibus, odoribus, coloribus, viribus &c. diuerſis, oppoſitis. Non erit igitur mirùm ſi ſpiritus, phlegma, & oleum acidum dicentur frigida, ſal verò, oleum acre &c. calida. Nam per Alchimiam fit exacta ſeparatio calidorum à frigidis. Quod ſi non eſt facta exquiſita diſgregatio

Crato opponitur Cardano.

Spagyrica ars ſeparatoria.

Vitriolum Heterogeneum.

ineptè diſputatur, & iudicatur de qualitatibus extracti, ſiuè liquidum, ſiuè ſolidum fuerit, ſed à prædominio tantum notandum. Sed vtinam Galenus viuere potuiſſet vſque ad Hermeticorum tempora, ò quantùm lætatus fuiſſet: deſiderabat (vt patet 1. de ſim. med. fa. 17.) modum ſeparandi diuerſas aceti ſubſtantias, nec obtinere potuit, nunc facile à velſcmeſtri ſpagyrico didiciſſet, ò fœlicitas noſtri æui, in quo vtimur arte antiquis denegata.

Ad H Rubeum. Ad quartum. Auctoritatem Rubei prohibentis oleum Vit. canicularibus diebus minimi facio, alibi enim eum repuli, ſed eſto putaſſe hoc oleum calidiſſimum, turpiter deceptus eſt, cùm frigidum ſiccumq. reuerà ſit, (intelligo acidum) vt clariſſimè oſtendi toties. Accedit, plurimos oculatiſſimos doctiſſimoſq; Viros copiosè id exhibere quolibet tempore, & æſtiuo magis, tunc enim magis vigent ardores, & calores febriles, ſitis inextinguibilis, & internæ plurimæ inflammationes, quibus omnibus affectibus in miraculum vſque proſunt aciditates minerales debito modo, & menſura adhibitæ. Sed vnum modo in mentem venit, cum Rubeus vnius tantum Olei è Virriolo meminerit, conſtare admodum ſimplicem fuiſſe chimicum. ignorauit enim phlegma, ſpiritum acidum, oleum acidum, ſubdulce &c. & vnum tantum elicuit liquorem ex pluribus diuerſis mixtum, multum autem continentem acris olei, quod vltimò exit & nos in potu reijcimus. non mirum igitur, ſi errauit.

Rubeus ignorauit veram naturam Vitrioli.

Ad Alfarij coniecturam. Ad quintum. Coniectura autem illa, qua putat Alſarius Ol. Vitr. eſſe calidum, nimirùm, quia Auctores huic Oleo admiſcent refrigerantia fallax nimis eſt; non enim ſemper taliter agunt; ſed in affectibus calidis, frigida miſcent: in frigidis, calida vnde in febribus rectè Quercetanus, & alij illud miſcent aquæ refrigeranti, vel conſeruæ cicorij, ptiſanæ &c. Mindererus autem, Dorneus, Zappata, Libauius, & alij, morbis frigidis exhibendo, calida admiſcent, vt Aquam Vitæ, cinnamomi, ſy. de Menta, de Abſintio, ſcordij, florum Hyperici, cardui benedicti, Camomillæ, cũ aqua Ononidis &c. quæ omnia calida ſunt. Crollius exhibet cùm aqua mentæ criſpæ, Ononidis, artemiſiæ, centaureæ, lauendulæ, lilij conuallij, chelidoniæ, cum Vino, & cum Theriaca, quæ omnia calida item ſunt: inepta

O. Vit. miſcentur tã calida, quã frigida.

igitur

igitur coniectura, quæ non amplectitur niſi partem tantum vſus Olei Vitrioli.

Ad ſextum. Coſtæi opinio alibi à nobis eſt examinata. nunc verò dicemus. Aliam eſſe facultatem aquæ continentis metallum, vel minerale aliquod crudum; aliam verò particulæ ab illo minerali arte extractæ. Deinde dicimus falſum eſſe experimento, fontes omnes acidos eſſe calida facultate præditos, cùm contrarium manifeſtè appareat. vt tradunt Auctores de acidulis loquentes. nec valet Argumentum. *Aciditatem ſumunt ab Alumine, vel ære, quæ ſunt calida, ergo ipſa quoque calida erunt.* ſcimus enim ex ære Vitriolum conficere, ex hoc poſtea acidum elicere ſpiritum, ſicut etiam ex Alumine, & ſale: &, vti ſæpè diximus, talis aciditas vires totius parentis minimè retinebit, immò potiùs còntrarias Vitriolo, æri, Alumini, ſali, ſulphuri &c. ſed de mineralium aquarum acidarum ſapore nos alibi. Acetum ex Galeno frigidum eſt, tamen fit ex Vino calido.

Ad Coſtæi.

De acidularum temperamẽto.

Ad ſeptimum. Similitudo ſulphuris, & Vitrioli, quam proponunt Aduerſarij minimè ad rem eſt. Eſtò, concedamus Vitriolum eſſe calidum vti ſulphur; quid ad eius extractum Acidum? annè ſpagyricè diuiſo ſulphure aciditas crudo inflammabiliq. ſulphuri contraria (vt alias diximus) elicitur? concedamus ergo iterum Vitriolum, & ſulphur eſſe ſimilia; nam ab vtriſq. aciditas ſimilis virtutis extrahitur: ob id quid concludunt? non niſi Acidum ſulphuris, & acidum Vitrioli ſimiles habere inter ſe vires, nimirùm frigidas.

Sulphur & Vitriolum ſimilia conceditur.

Atque rationes omnes ſuas repulſas præuidens Alſarius ad ſenſum confugit, ſed ibi maximam anguillam captat. ſic loquitur: *Liquor Vitrioli copioſæ Aquæ dilutus ſenſum guſtus non adeò acriter punget, & acidiuſculum iudicabitur aqua tamen illa impenſæ calefaciet, & exiccabit.*

Octaua Alſarij ratio.

Reſponſum dedi equidem alias, nunc aio. hunc confugere ad ſenſum, & negare ſenſum. Si ſenſus, & guſtus acidum iudicant, vt ipſemet fatetur, cur ſenſum negat, & aciditatem? an cenſet purum liquorem acrem? decipitur: nàm in puro liquore adeò exacta eſt, & ſtrenua mordacitas, vt ſenſus ipſe difficillimè iudicare queat mordax nè acidum, an acre ſit. ſi ergo decipitur

Reſponſio.

guſtus

Nullum acre efficit dilutum acidum. guſtus à puro liquore, certè à diluto non ita decipietur. Senſus præterea nullibi oſtendit rem acrem aquæ mixtura apparere acidam. doceat quæſo exemplo. non Euphorbium, non Piper &c. ergo merum figmentum eſt. Præterea, aquam illam impensè calefacere, ſcribens, vana loquitur, & experientiæ contraria, & hoc erat probandum.

9. Alſarij oppoſitio. Denique nullas rationes, nullas auctoritates, nulla exempla militare contra vſum olei Vitrioli, & ſpiritus acidi in febribus animaduertens Alſarius inſurgit, propria auctoritate, & vt alter ipſe Iupiter prorupit ferè in illa verba, *ſic volo ſic iubeo &c.* ſic alloquens: *Quod ipſi acidum prædicant, nos contrà acre vocamus, & vt illud frigidum, ita hoc impensè calidum, & ferè igneum eſt.*

Reſponſio. Reſpondeo. Si quod chimici acidum vocant, immo omnes communiter, ipſe mauult acre appellare, rogo, quomodo appellabit illud alterum. quod nos acre vocamus? an acidum, commutato nomine, ipſe dicet, vel potiùs ſalſum, amarum, aut dulce? vt nomen acidi omnino deleat: ſed oleum, quod chimici dulce, & aliud ſubdulce nuncupant, quo nomine ipſe vocabit? apud chimicos enim (vt toties dixi) aliud eſt oleum Vitrioli acidum, aliud acre, aliud dulce, ſubdulce &c. & diuerſas quibuſlibet tribunt ipſi vires. Alſarius autem vnum tantum olei genus à Vitriolo extrahi cenſens, ſe eam artem ignorare demonſtrat, quam imperitus iniuſtè arguit. Quare de colore cum Cæco altercari abſurdum. alibi autem dixi Acrimoniam pro Mordacitate ſæpè ſumi, confundiq. nomina inuicem. Et docemur mordacitatem communem eſſe acri, & acido à Galeno 4. de ſimpl. m. f. cap. 5. *Quod proprie* (inquit) *in ſaporibus appellatur acidum à ſola lingua percipi poteſt, ſicut & acre: cæterùm, quod vtriq; commune eſt nempe mordacitas etiam à tactu ſentitur.* Ergo acria, ſiuè mordacia, erunt non modo propriè dicta acria, verum etiam ipſa acida: ſenſus tamen periti iudicis vtriuſq. mordacitatem diſtinguere poteſt; quandoquidem alterum ſenſum guſtus afficiat cum frigore mordente; alterum verò cùm calore mordaci; quod ſi aduerſarij neſciunt; nequeuntuè hos diſtinguere ſapores ob vehemẽtem mordicationem, docebo illos ego. Aduertant igitur mordicationem ab acidis pauco breuiq. tempore in ore perdurare, nec calefactionem vllam ſentiri. indicauit

Marginal notes: Ad abſurdum deuenit. — Mordacitas communis acri, & acido. — Quomodo diſtinguatur mordax acidi, ab acri.

uit id Auicen. lib. 2. tr: 1. cap. 3. *Acetoſum mordicat linguam mediocriter* (ſi mediocre eſt, validè, ſi validum) *abſque calefactione.* Contrà mordicatio ab acribus, vt Pipere, Naſturtio, Capſico, Allio, Euphorbio, Maro Cortuſij, Coſto dulci officinarũ dicto &c. diù in ore, lingua, & palato perdurat, cùm euidenti etiam caloris ſenſu. ita nos deguſtauimus ſæpè Vitrioli liquores varios, & guſtu agnouimus alios acidos, alios acres, dulces, ſubdulces, inſipidos &c. hinc iudicauimus alios calidos, alios frigidos &c. magis, minus &c. ſed eſt etiam notandum. Acida frigida fateri Alſarium, ergo ſi aliquando deguſtaret tale Ol. Vit. futurum puto iudicaturum ipſummet frigidum. Oportet deguſtare varios Vitrioli liquores, qui cupit rectè iudicare.

TERTIVS INSVLTVS.

Aduerſariorum Telum, quo confodere Ol. Vit. conantur, ſiccitas eſt. ſicca febrientibus minimè offerenda rati. 3. Obiectio à ſiccitate.

Primo. Alſarius: *Si inſigniter exiccat* (inquit) *aſtiment alij, an hic ſpiritus ita euidenter valeat ad febres ardentes, ad ſtomachum bile æſtuantem, ad ſitim extinguendam.* V. Alſarius

Secundò. Valide exiccare dixerunt Crato, Cardanus, & alij, & per me ipſum dicent ſicciſſimum adeo eſſe, vt pre ſiccitate eſcharas gignat. at febris ſicca affectio eſt indicans humectantia. nullo igitur pacto febrientibus concedendum.

Tertio. Hipp. 1. Aph. 16. Victus humidus febricitantibus conuenit &c. Ol. Vitrioli non eſt humidum, ergo febricitantibus iuxta doctrinam Hipp. non conuenit. Ex Hippocrate.

TERTIA REPERCVSSIO.

Reſp. aliud eſſe loqui de puro oleo, aliud verò de mixto, & refracto, ac correcto. Fatendum eſt ingenuè vſum puri ſpiritus, ſeù olei Vitrioli, vel ſulphuris acidi non conuenire; non ſolum febrientibus; ſed nullo modo in potu ob vehementiam agendi; refractum verò optimum remedium iterùm dicimus. Etenim copioſæ aquæ admixtum ſummam mordacitatem ammittendo, ammittit etiam ſummam, & intenſam ſiccitatem, & ſua valida penetrandi vi ducit, & compellit aquam per totum corpus, cuius humiditas vbiq. penetrata corpus humectiùs reddit, ſitimq. tollit melius, quam ſi ſimplex aqua fuiſſet. ita Hipp. 2. de Diæta ſupracitato. quamuis acida colliquare carnes, proinde ſiccare, dixerit, tamen de vinis acidis loquens: *Humectant* (inquit) Oleum V. purum non conuenit. Vires acidi.

per aquam vna cum vino ingredientem. Sua præterea aciditate ventriculum roborans, abſtergens etiam ſuperflua, bilem ibi repertam expellit: ſed ſi cùm iuribus pinguibus, & alijs valde humectantibus exhibebimus hecticis, mirè humectabit. Contrà verò ſi cùm Electuarijs, & dulcibus ſyrupis liquores acidos minerales præbuerimus exiccabunt quidem, ſed magis,& minus pro admixtorum ratione, temperamento, doſi &c. Notum autem eſt ſucco limonum corallia, & margaritas ſolui, ac vaſa etiam ſtamnea erodi: immo nec minus ſuccus iſte ſolus exhibitus, quam Vitrioli oleum, ventriculo noceret. Conditus tamen ſaccharo febrium ardentium putredinem, peſtilentiumq. malignitatem cohibet aciditate ſuaui: quod præſtare etiam ſine ventriculi læſione oleum Vitrioli, non quidem per ſe; ſed conuenientibus rebus commixtum infiniti Medici quotidie experiuntur.

Succus limonum erodens.

Med. ſiccantia ad feb. putridas.

Quod autem exiccantia putridis febribus conueniant ratione putredinis, certè aduerſarij negare non poterunt, & patet rationibus ſupra à nobis allatis; patet auctoritate clariſſimorum Medicorum, vt Trincauellij de feb. peſt. Matthiæ Vntzeri nuper de Balſamo ſulphuris ſcribentis, & aliorum: patet exemplo in vſu enim ſunt Bolus Armenia, Terra Lemnia, Corallia, Margaritæ, Cornu cerui vſtum, lapis Bezoar, Cornu rinocerontis, Vnicornu, Zedoaria, Mirrha, Aloe, ſal Abſintij, baccæ iuniperi, Balſamum ſulphuris, ipſius flores ſublimati, & ipſum etiam crudum, & huiuſmodi alia procul dubio exiccantia: ſed particularia ſoluamus.

Ratione probatur. Auctoritate. Exemplo.

Ad Alſariũ

Ad Alſarium reſpondemus. Si de puro, & meraco oleo loquitur benè. Si de conuenienter mixto cum aqua, ſic conuertimus ipſius verba: *Experientia quotidiana hic ſpiritus euidenter valet ad febres ardentes, ad ſtomachum bile æſtuantem, ad ſitim extinguendam: vnde an inſigniter exſiccet æſtiment alij.* Certè non niſi refrigerare, & humectare iudicabunt.

Ad ſecundum ſimiliter dicimus purum eſſe validiſſimum, ſiccans. nec in febribus concedendum, dilutum verò, pro ratione dilutionis, & mixtionis ita refrangi ſiccitatem poſſe, vt valde humectans reddatur.

Ad tertium ex Hipp. ℞. in febribus tres primas indicationes

ſumendas eſſe à Morbo, à Cauſa, à Virtute, hæc indicat conſeruationem, illa ambo ablationem. hæc ſibi ſimile, illa contrarium. male ergo aduerſarij ſimul confundunt. Nam Hipp. loquitur de Victu, qui indicatur à virtute, & debet eſſe ſimilis. & ſolida humidum requirunt, præcipuè in pueris, qui natura humidiores. cauſa autem, quæ eſt putredo ab humido genita non poteſt ſimile expoſcere, ſed contrarium, ergo exiccans, non cibum, ſed Medicamentum; (niſi velimus vtrumq. miſcere, & efficere cibum medicamentoſum, tunc opus erit eligere Victum minus humectantem) Præterea cum Hippocrates loquatur de victu non de medicamẽtis, conſtat ſermonẽ habere de actu, non de potentia. vnde dummodo victus ſit actu humidus, etiam ſi potentia ſiccans ſatisfacit. Nàm facilitatem ſumentis, & concoquentis conſiderauit, quod confirmauit alibi dicens: *Faciliùs eſt impleri potu, quam cibo*. Ideò victum humidum ſeu liquidum non humectantem voluit, eo quod potabilis ſit. Et 2. de Morb. Mul. initio. *Diæta conſtituatur, ſiquidem ſine febre fuerint ex cibis, ſi verò febricitauerint ex ſorbitionibus*. Malè autem agunt interpretes illi, qui humectantem potentia victum exponunt, non actu humidum. tum ob cauſas dictas, tum etiam quia Hippocrates ipſe id videtur explanare per verba: *Maxime autem pueris, & alijs, qui tali victui aſſueuerunt.* Quis quæſo victus pueris familiaris eſt, non nè actu humidus? panis cum iure humectus, cum vino, lac, & alia actu humida, cum enim vel nondum dentes habeant, vel paucos, ſiccis edulijs nòn vtuntur. vbi traditum eſt nutrices habere delectum ciborum potentia humidorum? quærunt tantum molles, actuq. humidos, vt facilius poſſint à pueris confici. Quod ſi aliquis ætate grandis victui ſe aſſueuerit humectanti potentia, vt Athletæ, cenſes ne victum humectantem potentia concedendum? ſi fortè ex nimia illius humectatione putredo (quæ ab humido procedit) fuerit progenita? verius ergo dicendum, ſi quis potabili alimento ſe aſſuefecerit in febre illi concedendum omnino. ſi dices Galenum interpretaſſe potentia humidum. quid ad me? non habeo ego libertatem conſiderandi verba Hippocratis, non placet illius explanatio, non mihi videtur ad mentem Hippocratis. ob dictas rationes. & cum Hippocratis ſcripta reuoluo, lego ſæpiſſi-

Hipp. aph. 16. p. ſectionis explicatur.

2. aph. 11.

Qualis victus puerorum.

Galeni interpretatio.

mè ipſum vſum actualibus qualitatibus, rariùs potentialibus. Quod autem victus humidus, ideſt potabilis intelligatur patet, quia conuenit, conuenit autem, quia cum ob calorem ingentem ſubſtantia corporis continuò copioſè reſoluatur, & magis in pueris, opus eſt ob id facili, & celeri alimento, (quod à virtute non à febre indicatur) ideo Hipp. lib. de alimento propè finem. *Qui cita indigent adiectione, ijs humidum ad recuperandas vires remedium optimum eſt, vbi autem adhuc citiùs per odoratum.* Actu humidum ob citam penetrationem, quod autem velit alimentum tale, eſt notum. in ſumma, *Virtus debilis* indicat alimentum, facile, & citum, ideò actù humidum. *Febris.* Medicamentum frigidum. *Putredo* remedium exiccans. Ol. Vit. non indicatur à virtute, quia non nutrit, ſed forte vt adiuuans, eo quod tenuitate alimentum citò deferat, & ideò ſubindicatum Vitale erit, à febre verò vt frigidum, & à putredine vt exiccans potentia requiretur, ita ſolum (conuenienti tamen doſi, & mixtura) omnes febriles indicationes explere poterit.

Oleum Vitrioli explet omnes indicationes febris.

QVARTVS INSVLTVS.

A Vitrioli Anatome.

Quartum contra Vitrioli oleum Telum emittunt aduerſarij à Vitrioli anatome deſumptum, & ex partibus calidis totum conſtans rimati non niſi aliquid calidi elici poſſe ſtatuunt. quo concludunt ſpiritum, & oleum, quomuis ſapore ſint debere neceſſario eſſe calida.

Alſarius ex Cordo.

Primo. Alſarius auctoritate Valerij Cordi vſus ſic loquitur. Duplex Vitrioli eſt oleum auſterum, & dulce, & auſterum quidem duplici conſtat mixtura, videlicet multo alumine, & pauco ſulphure. & ſubiungit. Quarè cùm ex auſtero oleo dulce extrahitur, nihil aliud fit, quã quod ſulphur ab alumine ſegregatur: eſt itaque dulce Vitrioli oleum nihil aliud, quàm oleum ſulphuris, aut ipſum ſulphur in liquidam ſubſtantiam redactum, atq. vtrumq. oleum calidiſſimum ex Cordo aſſerit.

Secunda ratiocinatio Alſarij.

Secundo ſcribit. *Quid obſecro aliud eſt huiuſmodi oleum, quàm ſubſtantia quædam ex Vitriolo per artem extracta? Vitriolum verò ipſum è quo fit, triplici conſtat mixtura, multo alumine, modica ærugine, & pauco ſulphure. in deſtillando concedimus aſcendere tantùm vaporem aluminoſum, & ſulphureum; æruginoſam verò qualitatem maiori ex parte in fundo retortæ relinqui, vnde*

oleum

oleum aluminis, & ſulphuris, non item æruginis ſaporem præſefert. An ergo refrigerandi facultatem habebit; etiam ſi vis omnis æruginis ab hoc liquore ſegregetur; ſiuè auſterus fiat, ſiuè dulcis? iudicent omnes, qui aluminis, & ſulphuris qualitates perſpectas habent.

QVARTA REPERCVSSIO.

Reſpondemus noſtrum aduerſarium non valde ſibi conſtare; ille, qui omnem Vitrioli liquorem acerrimum probare conatur, quomodo obſecro extruere poteſt, niſi fragile edificium ſuper dulce, & auſterum oleum. hi ſapores non ſunt acerrimi. Deinde talis Vitrioli compoſitio non ſolum Alſario, (qui eam re non vidit, nec manibus artificioue ſuo inueſtigare conatus eſt) ſed nec Cordo concedenda. nec alij chimici eam recipiunt. Mindererus enim lib. de Chalcantho: *Vitriolum vulgare* (inquit) *nil aliud eſt. quam aqua congelata, & glacies quadam æroſa.* Cardanus libro de ſubtil. Chalcanthum ſuccum vocat, & Alumen continere dicit. Inconſtantia Alſarij. Anatome Vit. varia.

Angelus Sala, qui exactè Vitrioli Anatomē rimatus eſt, ſcribit lib. 1. Aphoriſ. Chim. n. 45. *Vitriolum cōpoſitum quiddam eſt, quod in imis terræ viſceribus accidētaliter ex fortuito cohæſu trium ſubſtantiarum, ſpiritus nimirùm ſulphuris mineralis, aqua communis, & ferri ſiuè cupri, cum ſuperfluitate ex illorum minera.* Paracelſus autem Vitriolum inter genera ſalium enumerat. lib. 4. philoſ. cap. 6. & lib. 2. de morb. min. tr. 3. cap. 1. & lib. de rebus Nat. cap. 8. quem multi chimici ſequuntur, diſcrepat tamen & ab hoc, & à ſuperiorib. Sala loc. cit. *In illo* (inquiens) *non eſt, vel ſulphur, vel alumē actuale, quod oculariter demonſtrari poſſit. ſed neque ſal eſt, neque rectè in ſalibus numeratur Vitriolum.* Nos hanc litem nunc dirimere nolumùs, plura conſiderantur in Epiſtola ad Matthiam Vntzerum, in noſtra decade 2. Aduertimus tamen vulgaria Vitriola, ſæpè mixta habere ſecum alia mineralia, & metalla quoq. quarè antequam oleum extrahatur debent depurari. (vt agemus in noſtro Chalcanthi Triumpho) continent enim *Sulphur* cuius odor ſentitur in deflagratione; & aliquando in ſpiritu. continent *Alumen*, cuius ſeparandi modum docet Libau. Alch. lib. 2. tra. 1. cap. 45. continent, *ſalſam, & terream facem*, quæ ſeparatur, quum aqua diluĩtur, & ſal tartari Vitriolum antequam deſtilletur depurandum.

tari additur.continent *Ferrum* nam dum præparatur neceſſariò additur alioqui non coagulat : continent *Aes*, quia eius progeniem eſſe nomē ipſum indicat, & optimum Vitriolum cultro affrictum eum rubeſacere debet, nam Mars venerem incluſam ad ſe allicit, qua tingitur. continent *Aurum*. Quercetanus tetrad. cap. 30. V. optimum Romanum Vitriolicam ocram, quæ ſemen auri in ſe concluſum habet, retinere ſcribit. multa igitur Vitriolo vulgari Hæterogenea inſunt,quæ partes eſſentiales non ſunt. Præterea notandum Vitriolum cyprium cœruleum ex Venere eſſe;nam teſte Dioſcor. in ærarijs fodinis reperitur. Romanum autem Viride Martiale eſſe,ex terra enim illa,in qua abundat Vitriolum in oppido dicto *Nepe*, admoto Magnete attraximus multas ferri micas, indicium certum ferreæ mineræ. & id nouit etiam Fallopius apud Euonim. in deſtill. Vitrioli. Sed de hac re alibi, nunc ad particularia deſcendamus, & quot Verba, tot errores notare poſſemus..

Vitriolum Cyprium æreum. V. Rom. ferreum.

Ad primū Alſarij. Verba Alſarij notātur.

Ad primum. Eccè aduerſarius nobis concedit duplex dari oleum Vitrioli auſterum, & dulce. & vbi ſuum acre reliquit? Auſterum (talem ſaporem frigidum ſiccumq. dicit Galenus) conſtat multo alumine, & pauco ſulphure. merum ſomnium; hoc erat probandum Alſarie, aliter, quis credet non experto? deinde dicis: *Cum ex auſtero Ol. dulce extrahitur &c.* Oſtendis nullibi te legiſſe huius extrahendi modū,non enim deſtillatione extrahitur. ſed infuſione ferri in oleum auſterum, & tunc fit pugna ſpirituum Martis cum acidis, qui calefacti reſoluuntur, & pereunt remanetq. liquor dulcificatus. itaque ſi conceſſero *ſulphur ſegregari*. remanebit alumen, non oleum ſulphuris, vt cenſuit aduerſarius. Sed Cord. deſtillat cum aq. ardente ò craſſum errorem! non agnouit pinguedinem illam innatantem eſſe aq. ardentis non Vitrioli. certe ſi ſulphur Paracelſi tertium principium eſt omne pingue. id erit ſulphur vini ardentis, ſed non Vitrioli. Sed quid audio? *Oleum Vitrioli dulce nil aliud eſt quam O. ſulphuris*! At oleum ſulphuris acidum ſentio. Nec deſunt, qui ſulphuris olei aciditatem Vitriolo tribuant, alij aliter vt Epiſt. ad Vntzerum dicam. Nunc autē iudex non ſum conſtitutus iſtorum. Quercetanum autem credo in dulcificatione acidi olei dicturum fuiſſe, ſeparari ſpiritus acidos ſalis, prout

Dulcificatio O. Vitrioli.

de

de aciditate aceti, & aquæ ardentis vi loquutus eſt in Alexicaco. cap. 6. ſed perge Alſarie: *Aut ipſum ſulphur in liquidam ſubſtantiam redactum*. Heus diſcite chimici, qui quæritis ſulphuris oleum, aut ipſum in liquidam ſubſtantiam redactum: diſcite, inquam, & ſumite pro illo Cordi oleum Vitrioli dulce. ſed video vos ridentes, audioq. ſibilantes, an fortè colorem ſulphuris non inuenitis, non odorem, non vſtibilitatem? Sed ad ſeria oleum Vitrioli acidum non conſtare ex alumine, & ſulphure (niſi forte illorum ſpiritus) fateri oportet, ſi reſpexerimus illud oleum, quod extractum fuerit ex Vitriolo Veneris, vel Martis nec enim videtur poſſe dici alumen, & ſulphur actuale extitiſſe in ferro, vel ære antequam in Vitriolum verterentur. ſic ſequeretur ferrum, & æs conſtare ex alumine, & ſulphure vulgari. Denique ſubdit Alſarius. *Vtrumq. oleum calidiſſimum eſſe*. Hic ſectam Galenicam manifeſto abrenuntiat, quæ ſapores dulces, & auſteros, ſiuè acidos minimè calidiſſimos facit. O. V. non conſtat. Alumine, & ſulphure.

Ad ſecundum Anatome Vitrioli falſa eſt: ſi enim ex ijs conſtamus in quibus reſoluimur. Si Vitriolum conſtaret ex triplici mixtura, in eadem reſolui deberet, ſed dicat obſecro Alſarius an tentauerit vnquam huiuſmodi reſolutionē, an ab alio factam viderit, de puro Vitriolo loquor, ait, *Multo alumine, modica æruginе, & pauco ſulphure*. Vitriolum veneris id falſum omnino conuincit, ſicut & cyprium eiuſdem coloris. confecimus enim pulcherrimum Vitriolum ex ſola ærugine æris, quam Romæ *Verderame* vocant. vnde apparet conſtare ex ſola ærugine. Sic Vitriolum Martis ex ferro calcinato, ſeù eius rubigine fit. an ferrum, & æs conſtant ex alumine, ſulphure, & ærugine dicat ipſe Alſarius. Deinde concedit: *Tantum aſcendere vaporem aluminoſum, & ſulphureum*. Hæc gratis aſſeruntur. dicas, ſi habes, cur æruginoſa qualitas non aſcendet? quomodo id ſciuiſti? non experientia; nam nulli vnquam chimicæ operationi manus admouiſti. an ratione. hæc erat afferenda. fortè ab aliquo chimico auctore? à Cordo. ſi hoc vni, vel alteri credis, cur non credis omnibus ſimul conſentientibus Ol. Vitrioli eſſe Acidum, & refrigerans? Denique in dubium ponit Vitrioli liquorem ſiuè auſterum ſiue dulcem refrigerare. his ſe opponens toti Galenicæ ſectæ, & ſubdit ex alumine, ſulphure, & alijs calidis, liquorem

Ad ſecundum Alſarij de Anatome Vit.

Alſarius multa ſcribit: nihil probat.

rem

rem frigidum extrahi non poſſe. cui reſpondemus non ſolum à calidis frigida, ſed etiam contra à frigidis calida medicamenta peritum chymicum extrahere, vt patet in ſpiritu ardente roſarum, ceraſorum, fragarum &c. Itaque etiam ſi concederetur compoſito illa ex alumine, Aerugine, & ſulphure, & ſi concederetur aſcendere tantum partes aluminoſas, & ſulphureas: non tamen inde ſequeretur liquorem extractum qualitates habere ſuorum parentum: ſapor enim diuerſus diuerſam indicat facultatem, & in alumine partem frigidam contineri dicimus, quæ ſapore eſt acida, ſicut in ſulphure. Itaque iudicamus olea acida mineraliũ (communiter loquẽdo) omnia frigida, ſi rectè præparata ſint, quamuis à parẽtibus calidis fuerint orta. Audito Paracelſum, tom. 7. de reb. Nat. cap. 8. *Virtutes enim alias habet crudum, alias in aquam ſolutum, alias calcinatum, alias in oleum viride, aut rubrum, aut album clarum mutatum. Eius conditio hæc eſt, vt quoties in aliam formam, & eſſentiam reducatur, toties peculiare arcanum fiat.* Exemplo etiam erit hidrargirum, quod ſua ſub forma tactu frigidiſſimum, & effectus frigidiſſimos parit: mutata forma, præcipitati, ſublimati &c. calidiſſimum, corrodens, acerrimum &c. ſentitur, & iterum facili negotio in priſtinam formam rediens frigidum ſe oſtendit.

A calidis frigida, & à frigidis calida extrahuntur.

Paracelſus.

Sed demus nunc (non verè concedendo) Alſario Vitriolum eſſe totum Alumen, quid inde. apud Auctores lego alumen ſciſſile multi vſus in potu. Paul. lib. 3. cap. 45. mictui ſang. aluminis ſciſſi. drac. 1. & Aetio. ſer. 11. cap. 27. ad ſang. grumos in veſica ex Archigene, & ex Aſclepiade. & ſer. 9. cap. 48. dyſentericis dat ibi etiam alumen liquidum tritum cum vino abſorbendum. & rurſus, aq. calida dilutum bibendum, & admiraberis, ſubdit. & alibi etiam.

Actuar. 5. meth. 5. componit Paſtillos ex Corallio, cum alumine ſciſſili quos laudat, ad cæliacos, ſanguinem expuẽtes, cibum faſtidientes, & inteſtinorum difficultate laborantes. & cap. 6. aliud paſtillum, ad reijcientes ſang. cum vrina è veſſica, parat cum alumine ſciſſili.

Et in Antidoto ex vnionib. ad vehementem cordis palpitationem, falſas imaginationes &c. miſcet aluminis drac. 4.

Nicolaus Mirepſius. Miſcet alumen pluribus Antidotis. &

cap.

cap.36. Antid. Experto ad Ilij dolorem. cap.181. in eo qui vocatur Climax Hermaicus cap. 237. Confectioni Puſcæ calidæ. cap.247. Eſdrę Hiſpalẽſi.898. Theriacę Alexandrinę.cap. 944. Trociſ. Theodoſij imperatoris & alij plurimi Auctores Alum. potandum prebent,quos afferre tædet.quamuis Dioſ.intro vſus non ſit.& Matt.in com.Dioſ.aſſimilat quodammodo alumen, & Chalcanthum inter ſe. & certum eſt, aquam aluminis deſtillatam, non multum differre à ſpiritu Vitrioli, quoad Metalla corrodenda, & carnem exedendam.

Scribonius cap.77. dat globulos ex alumine ſiſſo, & opio ad ſuſpirioſos, hæmoptoicos, ad veterem tuſſim, ad Phthiſicos, & Empicos.

Cap. 149. ad mictum ſanguinis. Alumen ſiſſum & tragacantham cum paſſo.

Auic.lib.3.f.10.tr.3.cap.6.de ſputo ſang.Ex illis,quæ iuuant iſtum, eſt vt detur in potu ex alumine Iameni, quoniam eſt vltimum, & propriè in Vitellis ouorum tepefactis.

Paul. lib. 3. c. 48. Hydropi Vrinam optimè prouocat, quod recipit aluminis liquidi circa Fabæ magnitudinem,vbi aq.diſſolueris, linteoq. percolaueris ad tres dies propinato, vel vno interpoſito. Alexander dat in ſputo ſang. alumen ſciſſile.

Similiter Aeruginem ipſam, quæ re vera parum à Vitriolo diſtat potandam debere antiqui,nihil intentatum relinquentes.vt prout apud Actuarium. 5. meth. cap. 6. in Antidoto ad vrinæ difficultatem, quod conſtat ærugine raſa, & apud alios ſæpe legimus.

Sulphur apiros autem frequentiſſimo in vſu fuit Hipp. & antiquis, & noſtris nunc ſunt ipſius flores ſublimati.

Si ergo Vitriolum conſtat ex Alſario.Alumine,ærugine,& ſulphure, quæ medicamenta ſunt Vſitata, non erit ipſum improbandum.

QVINTVS INSVLTVS.

Eccè alterum Vibrare Telum parant aduerſarij contrà oleum Vitrioli ab extractione, & operatione ſpagyrica deſumptum. Ab extractione.

1. Gorus *ſupponendum* (inquit) *in oleo extracto ex Chalcantho inexiſtere eaſdem qualitates, non ſolum ſpecificè, ſed etiam numericè, & in gradu, perfectioriq. modo.* Poſtea id ſic pro- C. Gorus.

O bare

bare conatur argumento mirabili, huiuſcemodi.

2 *Extractum ipſum Chalcanthi nihil aliud eſt, niſi ipſa ſubſtantia Chalcanthi poſita in ſtatu perfectiori longè à partibus craſſioribus, & terreſtrioribus: ſed iſta maior perfectio ſubſtantiæ Chalcanthi, non poteſt referri in ſubſtantiam ipſam, vt ſubſtantia eſt, ergo referri debet ad qualitates ipſius ſubſtantiæ Chalcanthi, ergo extractum illud, nil aliud erit, niſi ſubſtantia Chalcanthi cùm ſuis qualitatibus magis perfectis, intenſis, ac liberis.* poſtea ſubdit. *Sed Vitriolum valentiſſime aſtringit, calefacit, denſat, humiditatem reſiccat, ſeptica eſt facultatis, ergo eius extractum oleum magis intenſas habebit has qualitates, ergo ſi ex ſupradictis Vitriolum non conuenit in feb. putrida multo minus conueniet eius oleum.*

QVINTA REPERCVSSIO.

Contrarietas inter Alſarium, & Gorum.

Mira certè, & à Chymicis adhuc inaudita hic lego. ille (vt mox ſcripſi obiectione quarta) voluit Vit. oleum eſſe eius partem aluminoſam, vel ſulphuream tantum ſine ærugine. iſte verò Vitriolum defœcatum tantum, & perfectionatum: alter Armoniacum ſalem dixit. Kernerus verò ſic ait in Tetrade ſua ſect. 5. *Hic ſpiritus quibuſdam peritis chymicis videtur non eſſe verus Vitrioli ſpiritus, ſed potius ſalium mineralium Vitriolo adhærentium, & commiſtorum. Etenim vt loquitur Rogerius Bacco, nemo arbitretur ſpiritum, qui ex Vitriolo crudo, & non antea rectificato elicitur, vt & oleum eius acre, eſſe verum Vitrioli ſpiritum, & verum eius oleum, ſed ſpiritus ſalinus prodiens ex commiſta vnione ſalium in Vitriolo. Nam in tota intima ſubſtantia & natura Vitrioli, nulla neque aciditas, neque acredo deprehenditur, & reperitur: ſed ſumma dulcedo coniuncta cùm ſuauiſſimo odore.* In tanta perplexitate quo me vergam, cui accedam, non video.

Negatur Gori ſuppoſitum.

Quare ad Gorum dicimus ipſius ſuppoſitum eſſe omnino negandum vt falſiſſimum. Experientia enim docet in multis liquoribus extractis nullam reperiri qualitatem ſenſibilem ſubſtantiæ maternæ. Vnde oleum acidum ſulphuris contrarium potius eſt ipſi ſulphuri: aciditas enim oleo ineſt, nequaquam ſulphuri, & vires diuerſæ, ſulphur vritur, eius verò oleum aduſtioni opponitur: alibi enim diximus Tormentarium puluerem oleo ſulphuris aſperſum nullo pacto ignem ampliùs concipere

poſſe

poſſe. Oleum autem Vitrioli acidum præter ſaporem diuerſum tinctura quoq. diuerſam habet. Vitriolum enim conciliat nigrum colorem, vt notū eſt. non ita eius oleum, immo huius inunctione litteræ atramentoſæ delētur, & panni nigri rubeſcūt ammiſſa nigredine, quo conſtat inimicitia, & odium acidi olei Vitrioli cum ipſo proprio parente Vitriolo. Præterea Vitriolum vomitus mouet, ſedat è contra ipſius oleum. Sic etiam Antimoniū aſtringere dixerunt veteres, nos autem experimur eius flores ſublimatione extractos validiſſimè purgare per aluum, & vomitum. pariter quoque Hydrargirum crudum minimè corroſiuum eſt, ſublimatione verò elicitur pars valde corroſiua, & purgatrix. Præterea à frigidis roſis, violis, fragis, ceraſijs acidis, fructibus ſambuci, mandragoræ &c. deſtillatur aqua ardens acris, & calidiſſima. an hæc extracta dicet Gorus parentum retinere qualitates? an aquam ardentem frigidam ſtatuet? Oleum Vitrioli eſt contrariū Vitriolo.

Sed quæſo quid ſit *Extractum* apud chimicos conſideremus. Dupliciter hæc vox ſumitur. latè prò quacunq. ſegregatione eſſentiæ à ſuo corpore, vt ſumit Libauius alchimiæ. lib. 1. cap. 37. & lib. 2. tr. 2. cap. 1. & lib. 4. com. 1. & continet deſtillationem, ſublimationem, expreſſionem, macerationem, coctionem, ſolutionem &c. & ſic deſcribit: *Extractum eſt, quod è corporea concretione, relicta craſſitie elementari extrahitur*. Strictè verò, & ſpecialiter vox extracti ſumitur pro particulari extrahendi modo, quod ſic Bornetus deſcripſit: *Extractio eſt eſſentiæ ex corpore per menſtruum ſeparatio*. Ita conſentit Quercetanus, & alij communiter. Gorus autem hanc vocem ſumpſit lato modo pro deſtillatione. In vniuerſum autem dicere extracta omnia lato modo habere eaſdem qualitates ſuæ primogeneæ materiæ, falſum exemplis demonſtrabimus. *Solutione* quidem extrahitur Ol. Tartari à fœcibus. an oleum Tartari, & Tartarum eiuſdem facultatis? *Coctione, & aſſatione* extrahitur ſuccus è carnibus diuerſi odoris, & ſaporis à cruda carne. *Maceratione* extrahuntur ſæpiſſimè diuerſa, vt ius caulium, infuſio rabarbari, roſarum, mirobalanorum poſſunt parari cùm ſola vi ſolutiua, quorum matrices cùm vi ſolutiua etiam adſtringentem habent. *Expreſſione* ſuccus venenatus colligitur à ſubſtātia innocua, vt Porri, Hyiucæ ſuccus. *Sublimatione* Mercurium corroſiuum à cru- Quid ſit extractum. Bornetus.

do non corroſiuo elicitur. *Deſtillatione* extrahitur aq. vitæ ardens è roſis, floribus, fructibus, tritico &c. ſpiritus acidus à rebus non acidis ſulphure, Vitriolo, ſale; lignis quibuſdam &c. oleum acre à melle, manna, ſacchαro dulciſſimis. Aquas aſtringentes à roſis, & quibuſdam ſolutiuis: immo, ſi non impoſſibile, ſaltem difficillimum eſt vim chatarticam deſtillatione extrahere. Itaque ſi extracta per deſtillationem non retinent vim purgantem ſuarum matricum: imo ſæpè mutant odorem, (vt narciſſis deſtillatis &c.) colorem, & ſaporem; neſcio qua ratione Gorus aſſerere audeat huiuſmodi extracta retinere omnes, & numericè priores qualitates, atque etiam perfectiores. forte videns eundum in oleo colorem, qui erat in Vitriolo?

Extracta non vim primogeniorum.

Ad Argumentum Gori.

Nunc ad argumentum dicimus. Extractum deſtillatione oleum Chalcanthi, nil aliud eſſe, niſi particulam ſubſtantiæ Chalcanthi, cuius ſubſtantiæ (cùm hæterogenea ſit) facta tantum ſit vnius homogeneæ particulæ extractio, & ſeparatio: itaque ſegregata illa pars acida, & tenuis à reliquis craſſis, & terreſtribus conceditur perfectiorem acquiſiuiſſe ſtatum. dico illam particulam acidam extractam non totam hæterogeneam maſſam Vitrioli. Perficitur autem vnione ſimilis ſubſtantiæ abſq. eo, quod ſubſtantia ſuſcipiat magis, vel minùs, vt ſomniat aduerſarius. Qualitates etiam perficiuntur per accidens, non quod aliquid illis adueniat ab extra; ſed quia ſeparatæ à contrarijs qualitatibus, & in ſeſe vnitæ ad actionem validiores, & aptiores redduntur. Dicimus enim in deſtillatione nihil de nouo generari; ſed ſeparari tantum particulas hæterogeneas. vnde concluſio Gori: *Ergo extractum illud &c.* Non habebit ſenſum niſi hunc. Ergo extractum illud acidum nil aliud erit, niſi ſubſtantia chalcanthi acida cum ſuis qualitatibus &c. at ſubdit: *Vitriolum valentiſſimè aſtringit &c.* conceditur: *Ergo eius extractum oleum magis intenſas habebit has qualitates*. Negatur. nam non eſt facta totalis, & ab omnibus hæterogeneis Vitrioli ſubſtantijs extractio, & ſeparatio, ſed tantum particulæ acidæ: ideò ſi non eſt facta in acido oleo, vel ſpiritu extractio ſubſtantiæ Vitrioli aſtringentis, ſubſtantiæ acris, & calefacientis; ſubſtantiæ ſepticæ: neque ipſum oleum acidum extractum eſſe poterit aſtringens, acre, ſepticum &c. In altero vero oleo

Quid concluſio Gori.

acri,

acri, cum facta ſit ſeparatio ſubſtantiæ acris, & calidæ, caliditatem concedimus. Tandem vltima etiam eius concluſio explodenda, quia ſi nòn conuenit Vitriolum crudum, non ideò eſt repellendum eius oleum, quod diuerſæ, & contrariæ eſt ab eo facultatis. an quia non conuenit caro cruda, nec cocta edenda. Abſurditas argumenti Gori.

SEXTVS INSVLTVS.

Alia ratione denuo inſurgunt aduerſarij, dicuntq. calidiſſimum neceſſario eſſe ol. Vitrioli, quia cum fiat plurimo igne, vt quandoq. trium, vel quatuor dierum ſpatio continuo perduret, dum deſtillatur, ob id neceſſariò cenſent in eo relinqui magnum calorem, & Empireuma. Sexta obiectio à calore acquiſito.

Primo Syluaticus. *Oleum terreſtribus partibus ablatis plus incendij acquirit deſtillatione ipſo chalcantho.* Syluaticus.

Secundo Gorus. *Quiſque porrò fatebitur, quod aqua vita calidior ſit ipſo vino, ergo etiam fateri debet oleum ipſum chalcanthi calidius eſſe ipſo chalcantho.* Gorus.

Tertio Alſarius. Primo ſupponit ex Gal. huiuſmodi Mineralia vſtione minùs acria reddi. deinde ait: *Quæ vruntur acria, ideò minùs calida, & mitiora euadunt, quod ab igne calidiores eorum partes abſumuntur, dum eas videlicet à craſſiori materia, cui inhærent, ſeparat, diſgregat, & in halitum reſoluit. Sed in chalcanthi ſublimatione, aluminis, & ſulphuris, ſi non item æruginis ſales volatiles partes ſunt, nemine diſcrepante, tenuiores, & præcalidæ eiuſdem chalcanthi, quæ vi ignis à corpore illius abſtractæ, & in ſublime, dico ad ſummitatem alembici, expirantes, non inde euolant, aut ad nihilum rediguntur, ſed in liquidiorem ſubſtantiam in illo vaſe conuerſa ad vſum recipiuntur.* Ex quo concludit calidiſſimum eſſe Vitrioli oleum. Alſarius.

SEXTA REPVLSIO.

Iſtæ meræ nugæ ſunt, & nos dub. 4. ad Minder. & in quæſtion. Chimic. oſtendimus nullum Empireuma, nullum calorem relinqui in rebus ab igne calefactis, & vſtis; diximus etiam ſal illud fixum, quod in cineribus reperitur præextitiſſe, nec ab igne genitum, occaſionem tamen errandi dedit pluribus, vt cenſerent calorem, & acrimoniam in vſtis relinqui ab igne. nè igitur faſtidiosè nimis de eadem re agamus, ad dictos noſtros tracta- Sexta ſolutio. Negatur Empireuma.

tus

tus lectores ablegabimus. Itaque calor in deſtillatione tantummodo agit rarefaciendo, ſic ſeparat diuerſas in mixto ſubſtantias, quarum leuior primo aſcendit, & hanc ſequitur alia paulo grauior, & ſic deinceps. ità ex vino aſcendit ſpiritus præexiſtens,& ſicut de nouo non gignitùr, ita de nouo aliquam acquirere qualitatem non eſt dicendum. à Vitriolo etiam extrahitur, & ſeparatur ſpiritus acidus nòn gignitur. vndè cùm chimica ars dicatur ſeparatoria, & aduerſarius etiam concedat.pag.19. Extractionem O. Vit. non eſſe veram generationem, ſed ſeparationem à rebus craſſioribus. ob id neutiquam imaginandum calorem aliquem acquiri. ſed eſſe ſimplicem ſeparationem diuerſarum ſubſtantiarum cum ſuis prioribus qualitatibus ab igne nil immutatis.qui plura de hac re requirit legat dubitat. noſtras 2.3. & 4. ad Mind. legat ipſum Mindererum de Chalcant. cap. 10. Rulland. de feb. vng. cap. 8. quæſt. 26. Kernerum ſect. 5. ſuæ Tetradis &c.nec trium dierum ſpatio ſed 8.ad ſummum decem horarum ſpatio nos perficimus.

Actio caloris.

Ad Syluaticum dicimus. falſum eſſe ſuppoſitum, tum ex Paracelſo. qui ait: *Oleum ex Colcothare deſtillatum naturam habere terream*. Tum re ipſa. nam ſi fæculentæ partes remanent, illæ ipſe remanēt, quæ Vitriolum crudum acre reddebant,quod patet, quia ablato ſpiritu acido Vitriolum vſtum, quod remanet,multò acrius eſt crudo. contrarium certè dixit, vt alibi notaui, Galenus: ſed parùm, demonſtrat,ſe exercitatum in mineralibus vrendis. quarè chimicis maior in hoc fides habenda,qui ſemper in vrendis metallicis, & mineralibus ſe exercent. Quare ſic aio. acidum O.Vitrioli terreſtribus partibus acribus, & calidis ablatis, non modo incendium non acquirit deſtillatione, ſed frigidiſſimum redditur nullius partis calidæ mixturam habens.

Reſpondetur Syluatico.

Chimicis magis credendum de Metallis loquentibus.

Ad Gorum. Concedimus aquam vitæ calidiorem eſſe ipſo vino; nam eſt illa tantum pars calida, quæ vinum calefaciebat, & qua ablata vinum redditur frigidum, quaq. reſoluta acetum fit. vt alibi dixi. non tamen omnis liquor deſtillatione à vino extractus calidior vino eſt. phlegma enim inſipidum, quod deſtillatione vini poſt ſpiritus ardentis ſeparationem aſcendit, nemo ſanè mentis calidius vino dicet. ſic non omnis è Vitriolo

Reſpondetur Goro.

triolo liquor calidior ipſo Vitriolo, ſed ille ſolus acris, qui vltimo aſcendit, poſt acidum oleum, vt toties dixi. At Montanus conſ.33. de feb. omnes (inquit) aq. deſtillatæ etiam ex herbis calidis ſunt frigidæ &c. conſiderate abſurditatem.

Ad Alſarium. Reſpondeo negando ipſius ſuppoſitum. nec in hac re Galeno, vel Dioſcoridi credendum cenſeo, ſed ipſimet experientiæ. falſum enim eſt Vitriolum vſtione reddi mitiùs, eo modo, quo Dioſ. & Galenus chalcitidem vrunt. de qua re ego etiam dubit. 3. & 4. ad Mind. dicimus autem chymicorum, & expertorum omnium conſenſu Vitriolum vſtione acriùs fieri, & adeò vt Mindererus dicat eſſe venenum, & Draconem vocet: non autem crudum. ſed extrema tandem vſtione, vt notaui dub. mea 3. comperimus etiam totam acredinem cogi ad ſeparationem, quod paucis notum, nam plurium dierum vſtione fieri debet, non Dioſcoridis modo, quo non niſi flegma ſeparatur. Nos autem ſic argumentamur. Si Chalcanthum vſtum (ex Mind.) acrius eſt crudo; ita redditum eſt vel priuatione obtundentis, vel acquiſitione acuentis. non ſecundum quia Galenus vſtum minus acre dicit. vnde in ſententia Galeni non ſolum non acquiſiuit vſtione calorem, ſed perdidit acredinem. cum autem Galeni ſententia ſit falſa. de mediocriter vſto intellecta. reſpondemus nos id non poſſe dici ab igne acquiſiuiſſe; nã ſicut mediocriter vſtum, crudo eſt acrius, ita extremè vſtum extremè acre redderetur, quod cum experientia nobis falſum demonſtret. dicemus primo deperditione flegmatis acriùs aliquanto reddi, deliteſcente aciditate in interioribus. ſeparata autem aciditate colchothar relinqui acerrimum. quod ſi vlteriore igne etiam acredo ſeparetur (quod aſſequi non poteſt ſimplici pauca vſtione) remanet caput mortuum dictum ſinè vlla acredine, ſed tantum cum pauco ſale fixo, quod lotione extrahi poteſt. Itaq. in extractione olei acidi ſeparantur tantum partes acidæ, & frigidæ &c.

Reſpondetur Alſario

Colchotar eſt Draco.

Argumentum noſtrum.

SEPTIMVS INSVLTVS.

Hæc obiectio coincidit cum dubitatione noſtra. *6.* & *11.* à nocumentis abuſus aciditatum, deſumunt exilium olei Vitrioli.

7. Obiectio.

Primo. Riolanus contra Quercet. & Turquetum. Acida neruis,

nervis, & partibus neruoſis ſunt infeſta. Ol. Vit. Acidum dicitur. ergo neruis erit infeſtum, proinde, omittendum.

Secundo. Idem noſtra dubitatione. 11. dubitando propoſuimus.

Tertio. Acetum vtero aduerſatur (vt dub. 6. diximus) ergo ſimiliter agens Ol. V. omittendam.

SEPTIMA REPERCVSSIO.

7. Solutio. Vt reſpondeam huic obiectioni, opere prætium eſt, vt dictas à me allatas contra Mindererum dubitationes ſoluam. quod cum ab ipſo Doctiſſimo Minderero, ob immaturam mortem, non ſit præſtitum: nunc ſoluere ego ipſe aggrediar.

Solutio noſtræ dubitationis 6. ad Mindererum, in qua dubitatur an O. Vit. Morbis vteri proſit.

Hippocratis ſententia. 3. Acut. non refellenda, ſed explicanda, immo probanda venit eſt autem: *Mulieribus autem longè magis, quam viris, aduerſatur acetum, nam vterum dolore afficit.*

An acetum aduerſetur vtero. Quærendum hic an verum ſit, & qua de cauſa, aduerſari dixit comparatiuè mulieribus, & cauſam ſubiunxiſſe videtur, quia ὑστεραλγής. an omnibus mulieribus? minimè quidem. nam cùm dixiſſet acetum Picrocholis magis, quam Melācolicis prodeſſe: (his aduerſiſſimum, illis vtile expoſuit Galenus) ſequenti textu dicendum eſt ſermonem inſinuari. aduerſari acetum mulieribus melancholicis longè magis, quam viris, ob vterum inſuper male affectum. Etenim ſicut non poteſt copulari ſermo ita, vt aduerſatio aceti includat omnes viros etiam picrocolos

Melancolicis tantum mulieribus nocuum acetum. (nam his prodeſſe ex Gal. dixit) ita nec dicendum omnes includere fœminas etiam bilioſas: ſed tantum melancholicas ob dictas ab Hipp. cauſas. immo pituitoſi tùm viri, tùm mulieres, videntur excepti, quamuis de his Hipp. mentionem non faciat. pituitam enim ab aceto diſſolui, diſſecari, & attenuari notiſſimum eſt.

Obiectio. At dices omnem vterum dolore afficit, ergo Hipp. omnes mulieres intelligit.

Reſponſio. Reſp. negando antecedens. dicimus autem melancolicis tantum mulieribus natura frigidis, & vtero potiſſimum frigido, ſicco, & excarni præditis aduerſari. vt autem hoc pateat ſic argumentor. Si omnibus mulieribus aduerſiſſimum, & vteri dolorem

rem afferens eſſet Acetum, ſemper mulieres tanquam Veneno deberent eo abſtineri, & nullum haberet remedij locum in morbis vteri. Sed eſt in frequenti Mulieribus vſu, & in delicijs innocuè. & Hippocrates ipſe ſæpiſſimè eo eſt vſus ad morbos vteri. vt de ſuperfœtatione num. 24. Puerperæ recens enixæ vbi vterus ipſi prociderit, acida, & acerba offerenda ſunt, tum poranda, tum foris adhibenda, ergo non cenſuit Hipp. Acetum ſemper aduerſum vtero, ſemper eidem dolorem inferens.

Minor probatur etiam ex Hipp. de Nat. Mulierum. initio. ſeù æditionis Cornarij Venetijs. ann. 1546. pag. 283. ad Hydropem: *Per triduum aceto infuſo colluatur*. Deinde p. 285. Si complicatum os vteri. & p. 286. & 368. Vtero inflammato. & p. 287. ſi vterus ad medium lumborum proceſſerit, & alio etiam morbo. inde p. 288. & 325. Si acetabula pituita plena fuerint. item ad præcordia vtero allapſo. p. 341. præterea 348. & 377. ad fluxum Mul. & 363. ſi vteri prominentes iam inflentur. 370. ſi ventus in vtero fiat, & etiam ad Molam. quibus omnibus caſibus, & locis, collutionibus ex Aceto vtitur, interdum ex eo fomenta adhibet, vt pag. 295. 344. 349. 373. 376. aliquando Cataplaſmatibus admiſcuit, vt p. 289. & 325. ſi puerperæ vteri inflammati. Si ergo toties vſus eſt Hipp. in affectibus Mulierum puro aceto in ipſo vtero immiſſo, quem ſequuti ſunt Dioſcorides, & Plinius lib. 23. cap. 1. ſcribentes acetum reprimere procidentia vuluæ. non cenſendum eſt adeo vtero inimicum; nec formidandus eius vſus internus, moderatus, & humore diluti.

[Margin: Hipp. acetum vtero infundit.]

[Margin: Acetum in fomētis & cataplaſmatibus vteri.]

At ſuſurrat auris, audireq. apparet te cum Valeſio hunc locum explanante reſpondentem: *Non tamen, quia acetum interiùs acceptum aduerſum eſt Melancolicis ſit etiam exteriùs admotum. Quin potiùs melancholici hypocondriaci, & lienoſi fotu aceti acerrimi iuuantur, & lienoſis medicamentis admiſceri debet ſemper acetum: neque ſane ſolum prodeſt, vt quod penetrare faciat, vt quidam putant, ſed etiam quod per ſe illis affectionibus medeatur. Nàm quæ penetrationis gratia ſolum admouentur, nunquam debent admoueri ſola, ſed admiſta alijs, quæ deduci debeant, at verò hypocondriaci iuuantur ſolo aceto acerrimo, quia exteriùs admotum non penetrat ea copia, qua poſſit per venas cùm melancholia deduci,*

[Margin: Obiectio ex Valeſio.]

& eam fermentare, ſed qua poſſit ſiccando reſoluere, & refrigerando, ardorem atræ bilis extinguere, & adſtringendo partes roborare. Hinc dicere poſſes vtero etiam intus ſumptum obeſſe, extra verò prodeſſe.

Reſpondetur Valeſio. Reſp. negando paritatem, nàm ratio quam Valeſius affert in noſtro caſu admitti nequit: dicit enim extra admotum lieni non poſſe penetrare ea copia, qua nocere poſſit. at dum applicamus vtero, non imponitur ventri, vt intercedat cutis, ſed ipſi vtero infunditur, ipſum aceto repletur, & ita magis vtero appropinquatur, quàm ſi potatus fuiſſet: accedit quod Hipp. colluit vterum ſæpe, & puro aceto, non igitur præſenti caſui Valeſij dictum applicari poteſt. Verùm contra prædicta magis etiam facit, quia conſtat Hippocratem vteri morbis acetum potandum dediſſe.

Hipp. dat potandum acetum.

Ad vomitum. Primo. Ad vomitum excitandum cum melle & aqua lentium vt p. 284. & 344. & 362. & 363. & 393.

In cibis. Secundo. In cibis vtitur aceto, p. 224. ſi ex partu vteri doluerint, dat ſorbitionem cum aceto, & lenticulam acidam. 347. ad flux. mul. permittit, vt cibos in acetum intingant. 359. bis obſonia in aceto coquit.

Cum medicamentis. Tertio. In medicamentis, vt p. 370. ad Molam. Timbram in aceto, & aqua bibat. & 353. ad ſuffocationem. pennam aceto tingito, & naribus immittito. 392. cum alijs medicamentis ad abortum propinat.

Purum acetum potatur. Quarto. Denique, purum acetum potandum dediſſe chyati menſura conſtat, vt p. 300. ſi ad cor progreſſi vteri ſuffocent. &, ſi ex partu rigor corripit. &, ſi vteri inflati. & 353. auxiliatur aceti albi cyathus potatus. & 376. ſi verò ſtrangularint vteri, & ſtrangulatio cor contigerit, & os concluſum fuerit, acetum calidum ſorbendum dato. Aetius quoq. ſerm. 61. c. 64. ad nimios menſes poſcam tepidam propinat, & eadem poſca locos perfundit. dat etiam panis micas è poſca, & alios cibos. præterea multa medicamenta cum poſca exhibet, alijs etiam vteri morbis.

Acetum per accidens vtero contrariũ. Ex his claret acetum, & acida non natura, ſed accidenti aduerſari humano corpori, nàm non ſemper, & quodcunq. ſed ſola melancholica corpora lædunt, & inter hæc cenſendum magis

magis aduerſum mulieribus, quam viris, ratione vteri. dicimus enim ſicut non omnibus maſculis, videlicet nec bilioſis, ne pituitoſis, ſed ſolis melancholicis nocet, ità nec omnibus mulieribus, ſed ſolis melancholicis, & extenuatis obeſſe. in his enim præter nocumenta viris communia etiam vterum afficit, dolorem in ipſo excitans. quia frigidum, & mordax, ex Valeſio: frigida autem vtero ſunt inimica ex Hipp. 5. aph. 22. neruoſum enim eſt, & exangue, & neruis frigidum eſt inimicum. 5. aph. 19. ſed intellexit Hipp. de frigiditate actuali, qualis niuis, glaciei, vt explicat aph. 24. quamuis Neoterici ad potentialem transferant. nec vtero ſolum, ſed omnibus neruoſis partibus nocere poteſt.

Frigidum actu neruis inimicum.

Sed aliter reſpondeo, quia Hipp. alia ratione nouit acetum obeſſe mulieribus, nimirũ ob odorem, vt lib. de hum. vſu verſ. 91. ſcripſit loquens tunc de vſu aceti externo: *Mollit autem* (inquit) *& corpus, & multos alios locos; ſi non odor offenderet, & maxime mulieres*. Ecce vt nocet vtero. Notum autem eſt odorata plurimis mulieribus obeſſe, & hiſtericam paſſionem afferre, vt moſchus, Ambra &c. quamuis aliàs iuuent: ſic in aph. dixit aromata muliebria ducere, & plurimum conferre, niſi facerent capitis grauitatem, ſcilicet mulieribus, quæ lædũtur odoratis: ſic acetum copioſe adhibitum mulieres poteſt odore ſuo lædere, etiam extra approximatum, immo magis externus vſus lædet ob odorem, quam internus, quod experientia oſtendit acidis, & acetatis magis oblectari mulieres, quam viros.

Quod autem acida in vniuerſum vtero inimica non ſint, patet; quia ſæpiſſimè ob vterum, vel aliter, fœminæ tam vtero gerentes, quam virgines acida, acerba, & auſtera appetunt, mirùm in modum ijs delectatæ, quod non accideret, ſi acida ſimpliciter vtero eſſent inimica, haud enim tam auidè inimica appeterent. Vnde minimè aſſentiendum volo Doctiſſimo Valeſio huius textus contrarîa ſcribenti: *Mulieres omnes ſciunt ſe aceto plurimum lædi*. Percontatus enim ſum infinitas non melancholicas, an ab aceto lædi ſe agnoſcerent, quæ tamen aceto, & acidis delectari, & manifeſtè iuuari faſſæ ſunt. & experientia noui ſæpiùs mulieres quaſdam læſas vino mappa affecto, non autem aceſcente. & Romæ fructus aceto conditos vidi læſiſſe

Fœminæ delectãtur aceto.

aliquot viros, nullas autem fœminas, quæ tamen acetatis ſæpiſſimè vtuntur. His poſitis ad quæſtionem noſtram reuerſi dicimus cùm Libauio lib. 8. ſyntag. cap. 26. Si ideò nocet O. Vit. quia acidum, cum longè crebriùs, & familiariùs vtamur aceto, ſucco berberorum, limoniorum &c. qui etiam corrodunt, calcinantq. ſaxa, cur non hæc noxia pronunciantur, & quatiuntur foras? Fatemur igitur oleum Vitrioli melancholicis mulieribus magis quam viris aduerſum, ſi copioſè adhibitum fuerit, moderato tamen vſu, & conuenientibus rebus admixtum, & refractum vtile reddi etiam ijſdem poterit ad facilitandam penetrationem aliorum medicamẽtorum, veluti cum cantarides veſicæ infeſtas, vrinarijs medicinis miſcemus, ſed deſerere experimenta, & adhærere rationi dubiæ medico indignum eſt, habemus teſtes expertos O. & ſpiritũ Vitrioli vtilia in morbis mulierum. nam Hiſtericis propinant Paracelſus, P. Seuerinus, Crollius, Bornettus, Zappata, Roſſellus, Mindererus cum aqua Matricariæ, Pulegij, Meliſſæ, Oſtrutij, Calamenti, Panacis Heraclei, Artemiſiæ, eiuſdem ſyrupo, vel ſy. Bettonicæ, vel Melle Mercuriali. Scribit autem Libauius: *Cùm curandam haberemus iuuenculam matricis paſſionibus, & inflationi ventris, cachexiæq. obnoxiam, quæ omne medicamentum reſpuebat, Deo bene dicente, ſolo ſpiritu Vitrioli ex vino dato eam reſtituimus*. Eccè experimentum vtile. Præterea vtile eſt ad cienda menſtrua ad vterum deferendo medicamenta aperientia, ob id Bornettus, & Zappata ipſum laudant admiſcentes ſpiritui vini, vel aquis Cinnamomi, vel Artemiſiæ, vel Sabinæ: vel etiam cùm puluere Diptamni Cretici, Ariſtolochiæ longæ, aut antidoto Hæmagogo &c. Contrarium quandoq. operatur contraria facultate præditis medicamentis mixtum, menſtrua nimirùm ſiſtit: ideò L. Hofman, & D. Bornettus ipſum exhibent, cùm aqua plantaginis, Pimpinellæ, Equiſeti, cum ſy. Mirtino, Cidoniorum, vel conſerua florum Granatorum. Mullerus laudauit ad Nauſeam prægnantium, alij dederè ad alba vteri profluuia.

Ol.V. innocuum.

V.O. Hiſtericis idoneum.

O.V. Menſtrua ciet.

Menſtrua ſiſtit.

Et his ſatis videtur reſponſum ad dubitationem noſtram ad Mindererum miſſam. præterea patet reſponſum ad præſentem obiectionem, non ſolum enim non valet. Vtero (dicere) aduerſatur. ergo viris febrientibus non dandum, cum ſit ridiculum

argu-

argumentum. Sed neque cōcedimus dicendum. Vtero aduerſatur, ergo mulieribus febrientibus non dandū, nam non omni vtero aduerſatur: ſed ſolo frigido, ſicco, & excarni. & huic tamē concedi aliquādo poteſt, nimirùm dum febrit mulier, tunc enim vterus mutauit complexionem frigidam, in calidam, & vt reducatur ad ſuam naturalem temperiem indicat frigidum medicamētum quale O. Vitrioli: ſed nunc alia dubitatio noſtra ſoluenda. Mulieri febrienti aptum O. V.

Solutio noſtræ dubitationis 11. *ad Minder. qua dubitatur an Ol. Vitrioli neruis competat.*

Acetum, & acida neruis inimica ſæpe docuit Galenus, ſed præcipuè com. 39. Acut. lib. 3. quia ſummè tenuium eſt partium, & in eorum mergitur profundum, atque in omnes ita penetrat partes; vt ne minimum quidem ex eis illæſum maneat; præterea nerui ſunt exangues, & exquiſiti ſenſus, ob id læduntur à mordacitate acida, quæ pungit, & vellicat, & colliquat, vt ex Hipp. ſuprà eſt relatum. eiuſdem cum ſit facultatis acidus Vitrioli liquor eadem habere nocumenta eſt concedendum. præterea addunt quidam ob frigiditatem acetum neruis inimicum. nam ſcilicet aph. 18. *Frigidum inimicum oſſibus, dentibus neruis, cèrebro, ſpinali medullæ: calidum autem vtile.* Sed apud me clarū eſt Hippocratem actualem tātum frigiditatem, & caliditatem intellexiſſe, frigidum enim actuale ea afficere valet, quæ aph. 17. 20. 21. 23. & 24. ac 25. non autem frigidum potentiale, quarè potentialem aceti frigiditatem nil timeo, ſed quæ dixi. an ob id omnino interdicendus aceti vſus? nequaquam. Primo acetum vtile eſſe poteſt, quibus neruoſum genus robuſtum eſt, & non facilè afficitur: Secundo, ſi neruoſæ partes inciſione, & attenuatione agent, ijs denegandum non eſt acetum. Tertio ad penetrationem, & ad medicamenti ductionem vſque ad neruum affectum tam intro, quam extra vſus eſt aceto Galenus ſæpiſſimè; Quarto quamuis ex Hipp. ramenta in inteſtinis faciat, & alia dicta inferat nocumenta, tamen eo vti voluit Hipp. in acutis pectoris morbis, quia agnouit maius eſſe iuuamentum, quam nocumentum. nihil autem inuenire eſt, quod cum vtili nil etiam inutilis contineat; Quinto debet ex arte adhiberi, modicè, & non nimis ſæpe. vnde Hipp. tantum aceti concedit, vt duntaxat ſentiri poſſit. 3. acut. 37. *Sic enim*

An O. Vit. inimicum neruis.

Frigidum actu neruoſis inimicum.

Acetum quādo neruis vtile.

(inquit)

(inquit) *& iuuabit, & lædens minimum lædet, & ea, quæ oportet, præſtabit*. Sexto denique non videtur adeò formidandum acetum, quia quotidie videmus omnibus hominibus, & mulieribus ſanis eſſe in vſu acetum in prandio, & in cæna, à quo tamen ſe lædi non agnoſcunt, niſi immodicè ipſo vſi fuerint. Concludimus tandem. Acetum quamuis ob abuſum neruis reddatur inimicum, conuenienti tamen vſu neruis vtile, & ſaluberrimum eſſe poſſe. quid quæſo corpori humano, & omnibus ipſius partibus infenſius, & magis lædens medicamentis chartarticis? horum tamen conuenienter adhibitorum vſus ſaluberrimus eſt. non mirum igitur ſi doctus Mindererus ſcribit Vitrioli aciditates, quæ aceto viribus conueniunt: *Paraliticis prodeſſe cum aqua florum primulæ veris, vel chamepytyos*. Cui aſſentiuntur Paracelſus tom. 2. de contract. cap. 5. Neander, Zappata, Roſſellus, Euonimus, Dorneus, Bornettus, & L. Hofman. præbentes cum aquis Mentaſtri, Saluiæ, Hiſſopi, Eupatorij &c. qui ijdem auctores etiam valere dicunt ad conuulſiones, ad capitis tremores, & ad alios neruorũ affectus. cõuenientibus, & idoneis aquis admiſcendo. & ex his claret ſolutio Riolanæ obiectionis.

Abuſus aceti nocuus.

O. V. neruis cõfert.

Paraliticis

Conuulſioni.

Tremori.

OCTAVVS INSVLTVS.

8. Obiectio

Doctiſſimi viri Eraſtus, Riolanus, Syluaticus, Gorus, atque Alſarius, prædictis inſultibus non ſatisfacti aliter etiam aggrediuntur Vitrioli ſpiritum, atque acidum oleum.

Primo. Tutiora habentur remedia, ergo liquor Vitrioli dimittendus.

Secundo. Vitriolum ex Dioſ. eſt vomitorium, ergo dimittendum.

Tertio. Sudorifica non ſemper conueniunt in febribus. Ol. Vitrioli eſt tale. ergo.

Quarto. Eſt Medicamẽtum nimis vehemens, ideò non tutum.

Quinto. Eſt venenum, vt alia mineralia, ergo fugiendum.

OCTAVA REPERCVSSIO.

8 Reſpõſio

O. V. tutũ.

Hæc puerilia obiecta verboſam repulſionem non merentur, tamen breuiter dicimus ad primum Tutiora negantes haberi remedia, & æquè valida. afferant in medium aduerſarij, ſi habent, vtiliùs medicamentum. at quid intelligunt tutum? non nè illud, quod multum iuuaminis, & pauciſſimum detrimenti

menti afferre poteſt? tutum etiam illud eſt, quod nocere non poteſt niſi ſummo abuſu. aliàs quid tutum erit in hoc mundo? quantum Vitriolati liquores proſint in febribus centum auctores abundè teſtati ſunt. quantum noceant 4. vel 5. Aduerſarij hactenus oſtendere nequiuere.

Ad ſecundum. Concedimus nũc Vitriolum dimittendum Vomitorium (aliàs de V. crudo verba facturi) ita enim concludit obiectum. nam oleum vomitorium eſſe, falſiſſimum eſt. O. V. non eſt vomitorium.

Ad tertium. Ad obſtructiones tollendas O.V. damus, & ad refrigerandum, ſudorem autem non excitat, niſi iuuando naturam, non ni educit ergo. Ad tertiũ.

Ad quartum. Quamuis ſimplex vehementiſſimũ ſit. ita tamen refrangi poteſt, vt imbecillimum deueniat, vt aliàs diximus. Ad quartum.

Ad quintum. Patet reſponſio in alia Epiſtola, ſcilicet decima in ordine. Ad quintũ.

Acida eſſe à proprietate contraria oſſibus patet. nam ſi ſola frigiditate acetum oſſibus eſſet nocuum, vt ait Hipp. quia frigidi eſt denſare, & ob id indurare, oſſa aceto immerſa dureſcerent valdè. ſed hoc eſt falſum emolliuntur enim mirum in modum aceto infuſa, ita in corpore viuente eius vapore ſcirri emolliuntur. ergo non frigida vi, ſed alia. Aues depilatæ, & aceto maceratæ reperiuntur oſſibus teneris, & eſui aptis. quæritur nunc cauſa, & an id in corpore viuente effici poſſit, vt oſſa nimirum ab aceto, & alijs acidis tenereſcant, illæſa carne, & ſeruata. Vltima obiectio.

Reſp. Oſſa plus continere partis terreſtris, ſeù ſalis, quo Mercurij, aut ſulphuris, ideò cum acida ſint inimica ſalſis, & cum illis ineant pugnam, ideò acidorum cum oſſibus contrarietas eſt talis, vt compago, & vnio elementorum in oſſe adeò afficiatur ab acido ſpiritu, vt ſoluatur, & ſpiritus fermentans oſſis poros ingreſſus, attenuat, dilatat rarefacitq. illam compactam denſitatẽ, hic rarior moles effecta, tenera, & mollis ſenſibus apparet. Solutio.

Os viuens poſſet etiam mirè emolliri, ſed copia deberet adeſſe aciditatis, & multum noceret, & partem antequam id compleret emortuã redderet. mediocris acidi vſus tale opus non eſt idoneus perficere. dentes certe acidorũ vſu cito læduntur; nã tenuis ſubſtãtia penetrat per ipſos totos, vſq. ad neruulũ internum.

Et hæc ſatis. data Romæ Kal. Septemb. 1623.

Per-

Perilluſtri, & Excellentiſſimo D. D. Franciſco de Curtis Medico Neapolitano clariſſimo.

Petrus Caſtellus S. D.

EPISTOLA QVARTA.

Agitur de Acido ſpiritu.

MEMINI te ex me dum Neapoli eſſem quæſiuiſſe ſolutionem dubitationis meę ſecundæ ad Mindererum, at facile reſpondere poſſem, te ad illum mittendo, cui dubitationes illas ſoluendas propoſueram, vel ad Ioannem Fabrum cui Mindererus, vt tueretur ſua dicta, librum ipſum dedicauit. Sed fortè obijceres, illos non tibi reſponſuros, quum nec mihi reſponderint.

Quæſtionis introductio.

Ego quid verè ſentiam paucis propalabo. Dixit autem Doctiſſimus Mindererus (vt ibi ego notaui) de oleo Vitrioli acido: *Infrigidat cùm frigidis, calefacit cum calidis.* Quo loci παράδοξον hunc communi Peripateticorum, nec non Galenicorum more exagitauimus, & conuolutum reliquimus. Nam vni cauſæ vnus debetur effectus per ſe. Et vnum vnicam tantum habet Naturam, verùm ſimplex ſimplicem, compoſitum compoſitam, vt docet Gal. 9. meth. 12. non tamen inficias ibo vnam contrariorum poſſe eſſe cauſam, vt Ariſt. 5. metha. cap. 2. ſcripſit, ſed cùm Auerroe ibi com. 2. dicam. illam cauſam non eodem modo, ſed diuerſis debere eſſe diſpoſitam. ſuam verò aſſertionem forte deſumpſit Mindererus à magno illo Cæſareo

Crato de Ol. Vit.

Medico Cratone, vt legitur apud Scholzium conſilio. 75. *Vituperant autem multi illud,* (ſcilicet oleum Vitrioli) *quia verum ipſius vſum ignorant, qui verò eo vti ſciunt fæliciter in magnis morbis, non tamen omnibus adhibent, eadem enim vi, qua Camphora, propter partium tenuitatem præditum eſt, & cùm refrigerantibus datum refrigerat, cum calefacientibus eorum calorem auget, atque vniuerſi corporis ſubſtantiam minori noxa, quàm*

Cam-

Camphora, quæ humido radicali inimica eſt, permeat. Idem repetit tractatu de peſte. Conabor ego oſtendere idem Vitrioli oleum calefacere, & frigefacere, variato tantum ſocio: quam actionem per ſe, & vnica virtute, non duplici, nec per accidens ſortiri, imaginor; idque probare intendam (quamuis Paracelſiſtarum fortè inuentum) Ariſtotelicis, Galenicisq. principijs hoc enim Galenicorum Germanorum dictum contra cæteros ſeſe opponentes Galenicos, nunc tuendum, explicandumq. ſuſcipio.

Intentio Auctoris.

Itaque ex omnibus qualitatibus (vt ingenuè ſentẽtiam meam fatear) nulla vnquam maiorem mihi attulit admirationem, quam ipſa aciditas. ſicut enim inter primas dictas qualitates, cæteras ſuperat calor ipſe ſummæ actiuitatis ſe oſtentans: ita inter ſapores aciditas (dicant quid velint alij de acrimonia) in agendo cæteris anteit, velocitate, penetratione, vehementia, & varietate agendi. Quarè cùm Galenus præcipuas corporis noſtri actiones, atque paſſiones calori tribuerit. deinde alijs tribus primis qualitatibus. Hippocrates verò (vt patet lib. de vet. med.) idem ſaporibus ipſis tribuere viſus ſit. Denique Paracelſus elementares ſapores, & qualitates refellens præcipuas actiones ſpiritibus innatis impoſuerit. Mihi omnia hæc amplectenda, & coniungenda videntur in quolibet mixto; cuiuſq. tamen ſpectari poſſunt ſeparatim actiones, quandoq. autem coniunctim ſeſe mutuo adiuuantibus calore, aciditate, & ſpiritu, dicendumq. cenſeo non ſolum in Microcoſmo; ſed in toto terreno globo ab his tribus omnia perfici, & actuari, generationes præſertim, & coctiones ciborum, quas calor ipſe in animalibus, & vegetalibus (vt non mente tantum aſſequi, ſed viſu etiam, ac tactu videor ipſe mihi) ſine aciditate actuare nequiret. Cum enim non ſufficiat ad actionem agens validum, & bene diſpoſitum; ſed requiratur paſſibilitas ſubiecti, eiuſque præparatio, diſpoſitio, & aptitudo ad recipiendam actionem: ob id requiritur aciditas, vt ſubiecti præparatoria, & veluti ignis quidam naturæ occultus eiuſq. inſtrumentum penetrans, commutans, & comburens ſæpe obiecta citiùs, & validiùs, quàm actualis ignis: vt videmus ſæpè in Margaritis citiùs ab oleo Vitrioli diſſolutis quàm ab igne. Nec aquæ fortes, Stygiæ, Regiæ &c.

Aciditas eſt qualitas mirabilis.

Calor, acidum, & ſpiritus omnia actuãt.

Aq. fortes Acidæ. ſua acredine quicquam in Metalla agerent, ni adeſſet aciditas Vitriolica, ſaligna, ſulfurea, arſenicalis &c. Nec aciditatem hæc adeò admiranda præſtare audio qualitatibus elementaribus, vt Galenicus aliquis diceret, ſed ſpiritu quodam non elementari, non corporeo; ſed ſubtilioris, & excellentioris gradus, cuius eſſentiam Hermeticis magis, quàm Peripateticis notam video: non tamen omninò ignotàm veteribus cenſeo, ſiquidem ſpiritus hic eſt illud *diuinum*, quod in morbis agnouit Hippocrates, illud *calidum innatum*, quod cuncta in nobis perficit. (vt Petrus Seuerinus etiam optimè notat in ſua Idea medica. cap. 2.) eſt etiam hic ſpiritus natura illa Ariſtotelis non ignea, & elementalis; ſed cæleſtis, ſolàris, & elemento ſtellarum (ideſt quo conſtant ſtellæ) proportione reſpondens. eſt etiam Theophraſti Græci in lib. de cau. plant. τὸ ἔμβιον τῆς φύσεως. Vitale principium in natura, cuius virtute viuunt, vigentq. omnia. Nouit eundem etiam Galenus, nec negare poſſunt ſui aſſeclæ, proprietatem ſubſtantiæ, formæ, & occultam nominans. Et in hoc ſpiritu inueſtigando Fernelius, & alij quidàm Galenici non paruam operam impenderunt: veri autem Hermetici plurimum pro eo inſudarunt. Hunc mirabilem ſpiritum, vel cælitùs infuſum ab initio mundi elementis, vel mixtione illa ſpiritus dicti diuini, cap. 1. Geneſis) qui initio ferebatur ſuper aquas, cenſemus ibi enim legitur: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Cum eſſet igitur Terra priùs inanis, & vacua mixtione iſtius ſpiritus facta fuit repleta, & prægnans. & tunc fortè facta eſt mixto, quum dixit Deus. *Germinet Terra herbam virentem &c.* Erant itaque elementa priùs, ſcilicet Terra, & aqua, ſed ſeparata à ſpiritu viuificante; ideò nihil viuificum producebant. Nec Soli, ſideribuſuè à Chriſtianis tribui poteſt vis hæc, quæ in plantis eſt, quia priùs hæc à Deo productæ fuere, nimirùm die 2. Sol autem, & Luna poſteriùs ſcilicet die 3. Sed plura de hoc ſpiritu agemus alibi, cum de veritate principiorum Hermeticorũ erit ſermo. præterea diffusè probamus in noſtro Chalcanthi Triumpho. Paracelſus autem de prima elementorum creatione ſic refert in Meteoris. cap. 2. *Quatuor elementorum corpora ex nihilo creata à Deo ſunt per verbum fiat, & hoc ipſum*

Quid ſit ſpiritus apud antiquos.

Principiũ ſpiritus.

corpus

corpus elementorum quatuor, in tres ſpecies diuiſum eſt, ſic vt verbum fiat, corpus triplex factum ſit, hoc eſt in triplicia corpora triplicitèr dixtinctum; hac ratione Terra tres partes erant &c. Iſta tria prima principia vocat Sal, ſulphur, Mercurium. aliquando dicit ignem, Sal, Balſamum. nonnunquam Sal, Balſamum, Mercurium, ſed de his alibi agemus, per Verbum autem *fiat* quatuor elementa facta nos cenſemus ſecundum vocis litteras, nimirum. F. Flatum, ideſt aerem, I. Ignem, A. Aquam, T. Terram. Modo ad acida redeamus.

Dicimus in oleo, & ſpiritu Vitrioli acido adeſſe ſpiritum quendam, qui in acido reſidet corpore; vnde corpus ſpirituoſum, & ſpiritus corporeus dici poteſt, (nec enim ſine corpore in corpus agere poſſet) hic eſt ignis naturæ ab Hermeticis aliquot decantatus, hic fermentator eſt, & fermentationum omnium cauſa, qui nobis in pluribus fermentationibus à Natura factis innoteſcit, quamuis in omnibus aſſiſtere fortaſſe debet. qui quidem ſpiritus non agit per calorem, vel frigus, cùm non ſit corpus elementare; (quamuis ſit in corpore) ſed per ſuum influxum ſpiritalem, cæleſtem, diuinum, à tota ſubſtantia, ſpecificum, & à proprietate occulta, vel quomodocunq. appellare libuerit, agit. ideò cum calidis calidum, cùm frigidis frigidum diximus eſſe acidum corpus. Sed (quod mirum) quamuis non calidum corpus tamen aliud cui miſcetur calidius reddit, & quamuis non frigidum itidem frigidiùs reddit. Huius facti reddenda nobis eſt cauſa; ſiquidem ſuppoſitum negari non poteſt, tùm quia Galenicochimicis citatis id aſſerentibus fides eſt præſtanda, & Paracelſiſtis multis, qui falſitatis, & mendacij, re non benè perſpecta, arguendi non ſunt. tùm etiam quia experientia ipſa, ſicut hoc ipſum me docuit, ita etiam alios docere poteſt, atquè conuincere. Sumatur ergo Vas recipiens in quo fuerit deſtillatum oleum Vitrioli, vacuum tamen, vel aliud vas, vbi fuerit hoc idem oleum; ſed illo tunc priuatum: in eo ſi infuderis aquam ſimplicem, frigidiorem ſtatim ipſam ad tactum reddi ſenties: ſi verò vinum infuderis, tactu experieris vinum, & vas calidius redditum; ita ego experientia noui Vitrioli oleum cum frigidis refrigerare, cum calidis calefacere, ſeù potiùs calefieri. ſed alicui forte videbitur contrarium ſenſiſſe Paracelſus

In acido corpore ſpiritus eſt.

Actio ſpiritalis qualis.

Experiẽtia.

Paracelſus in contrarium citatus. de Balneis tract. 1. cap. 3. cum ait: *Aquæ fortes frigidæ cùm ſint, ſimul atque confunduntur incaleſcunt, & non ſine magno feruore ebulliunt, cuius operationis cauſa ſunt contrariorum commixtiones. Certiſſimo nobis etiam conſtat Vitrioli ſpiritum, qui actu eſt frigidus, infuſum in frigidam aquam, efficere eam feruentem.*

Explicatio. Ob id aduertendum loqui Theophraſtum de infuſione ſpiritus Vitrioli in frigidam aquam fortem, de qua loquebatur, non de ſimplici aqua.

Atque huiuſmodi actionem partium tenuitati videtur Crato adſcripſiſſe; quæ partium tenuitas in acidis, & præcipuè in hoc oleo, de quo ſermo eſt, negari neutiquam poteſt: At ipſi haud propriè tribui poteſt dicta actio, ſi quidem & plurima exiſtunt alia ſummè tenuium partium, vt aqua ardens, olea deſtillata, & alia chimica, quæ tamen hoc idem operari nequeunt. Cratonis ratio non recipitur. Ideò neque Quercetanus in peſtis Alexicaco lib. 2. cap. 3. Cratonis aſſentitur tenuitati; ſed refert huiuſmodi vires ad integram acidi ſubſtantiam, vel ad ſpiritus acidos, & fermentatiuos, cui nos quoque aſſentimur, quandoquidem hæc operatio non poſſit effici, & actuari niſi à ſpiritu acido; hic enim eſt ſemper mobilis: hic eſt illud *impetum faciens* de quo Hippocrates loquutus eſt pro tertio conſtituente noſtrum corpus; hic agitat omnia miſta: hic omnia fermentat, & commouet, quam proprietatem optimè nouere Philoſophi antiqui Plato, Ariſt. Theoph. Fermentatio eſt de eſſentia acidi. atque Galenus; ideò in acidi definitionibus poſuere vim fermentandi, quæ propria eſt aciditatis, cui ſoli, vni, & ſemper conuenit, qua quidem ablata fermentatione, & ebullitione tollitur omnis generatio, omnis cibi in Ventriculo concoctio, omnis deniquè naturæ actio. In caſu autem noſtro hic fermentator, inquietuſq. ſpiritus vino mixtus ſua inquietudine alios vini ſpiritus excitat, & commouet; qui cùm ſint calidi, & in corpore potentia calido; motione illa ad actum reducti, corpus illud actu calidum reddunt: motus enim non ſolum calorem, ſed ipſum etiam ignem ſæpè gignit. E contrà verò idem acidus ſpiritus puræ aquæ mixtus illius ſpiritus ſimili modo commouet, qui frigidi natura exiſtentes, & in frigido ſubiecto, motu illo magis refrigerantur, (nec enim ſemper motus excitat calorem) vt patet etiam Nitro in aqua commoto, aere flabellato, & vino

ſuper niuem ducto. Nec mihi abſurdum videtur ab eodem vnoq. motu contraria gigni; nàm variatur actio ſecundum diuerſitatem ſubiecti. Diceret tamen Galenicus aliquis, vel Peripateticus ex huiuſmodi motu gigni omnino, ſeù intendi calorem, corpuſq. illud motu rareſieri, non tamen hanc qualitatem tali in ſubiecto augeri poſſe, & conſiſtere: ſed rareſactione illa magis euolare, & reſolui calorem, quo deperdito, corpus illud frigidius ſentiri, & ita argueret de motu frigeſaciente. At mihi dicendum videtur non ſolius calidi eſſe rareſacere (ni dixerimus inter primas qualitates) obuia quæquè: ſed etiam acidi (inter ſapores) ab hoc enim ſua fermentatione videmus multa rareſieri, & ab aere permeabilia reddi, quod præſtare ignis ipſe maximo ſuo calore nequiuiſſet. Exemplo ſit panis, redditur enim aciditate fermentante ita ſpongioſus, rarus, & permeabilis, vt talem ignis neutiquam efficere potuiſſet ſuo maximo calore, quod experientia docet. Itaque mirabilis eſt hic ſpiritus acidus in operibus ſuis, nec ſemper eget caloris adiunctis: ſi tamen ſimul coniungantur, vtriuſq. actio adeò augetur, & efferatur, vt nihil terreſtre ipſis reſiſtere queat: patet hoc in diſſolutione, & præcipitatione Mercurij, auri &c. quę ſolius ignis vires irrident, & vanas reddunt: ab Aqua forti facile ſuperātur, ſi fuerit caleſacta citiùs. Spiritus autem aquarum diſſoluentium fortium, Regiarũ &c. caueat quilibet nè dicat ſimpliciter acres; ſed cùm acrimonia aciditatem iunctam ſciat. ſalium enim ſpiritus acidi chimicè extrahuntur, nec non aluminis, ac Vitrioli, qui præcipui dictas aquas conſtituunt. atque aquas fortes conſtare ex ſpiritibus nitroſis, acidis, & Vitriolatis faſſus eſt Quercetanus 9. cap. ſuæ Tetradis. adde Ammoniacum ſalem ſine quo Regia non conſtituitur, ex Libau. 8. Syntag. cap. 3. & Quercetano fundamentum eſſe acidi ſaporis, qui in Vitriolo, ſulphure, & fumis tam animalium, quàm vegetalium, item aceto, tartaroq. & horum cryſtallis, deprehenditur.

Motus refrigerans.

Spiritus aquæ fortis cum acrimonia acidi.

Sed vt obtuſioribus ingenio hæc doctrina pateat, explicandum primo erit, quid ſit aciditas veterum Philoſophorum decreto, eiuſq. vis quanta, qualiſq. ſit, ex quibus colligemus, an quod quærimus præſtare, & quomodo poſſit. Omnium autem optimè nouit Plato hanc fermentandi ſpirituoſam vim in acido ſapore

Ordo ſeruandus.

Plato de acido. ſapore, ideò in Timæo ſcripſit: *Hac eadem ex putredine attenuata anguſtas venas ingrediuntur, coguntq. partes interiores, tàm terrenas, quam quodammodo aereas iactatas inuicem commiſceri, permiſtaſq. circumlabi alias, & alias ingredi; ingreſſuq. ſuo penetratas concauas, tenſaſq. efficere, vbi concauus, & ampulloſus humor aeri circumfunditur, iſque humor alias terreus quoquo modo eſt, alias purus, fitq. ex aqua concaua vaſculum aeris humidum, atque clarum, ſed quod ex pura naſcitur aqua perlucet vndique, ampullaque vocatur, quod autem ex lutulento magis humore ſimul agitato quidem, elatoq. & circumtenſo conficitur, ebullitio, bulla, fermentumq. dicitur. harum omnium paſſionum cauſa acida qualitas appellatur*. Ex hac Platonis docta, ſubtiliuè ſermocinatione clarè patet, & quaſi oculis cernitur noſter ſpiritus in acido corpore exiſtens, fermentationum, bullarum, & ampullarum cauſa ſuo motu, ingreſſu, penetratione, tenuitate, atque mixtione, & iactatione internarum partium, tàm terrenarum, quàm aerearum: hacq. ratione ſubiectum rarum, permeabile, & ſpongioſum reddere apertiſſimè videmus. cui omnino aſſentitur Theophraſtus Græcus 6. de cau. plant.

Theoph. de acido. cap. 1. *Acida* (inquit) *quæ putredine attenuata iam fuerint, venaſq. ſubeant anguſtas, & agitent, fermentent, ſpumam excitent, atq. attrahere poſſint*. Nos autem ſicut non omnia acida à putredine ortum ducere opinamur, ſic etiam & illa quæ ſunt imputria ſub eadem deſcriptione comprehendimus, eaſdemq. vires tribuimus. itaq. dicimus acidum plenum ſpiritu, & cauſam eſſe ferè omnium fermentationum naturalium ob ſpiritum

Spiritus fermentator eſt in acido. motiuum eo in ſubiecto locatum, & reſidentem: elegit autem hic ſpiritus fermentator acidum ſubiectum, & corpus, quia tale non impedit ipſius actiones; immo potiùs adiuuat: habet enim partes elementales tenues, frigidas, & ſiccas. Nec apta erat ſubſtantia craſſarum partium; nàm ſpirituum iſtorum velocem motiuam vim retardauiſſet, & agilem penetrationem impediuiſſet. Subiectum verò calidum erat quoq. ineptum: Nàm huiuſmodi ſpiritus in calido ſubiecto diù permanere nequit, vt potè ob raritatem facile euolans; erat igitur opus ſubiecto frigido, denſante ſpiritus ipſos, & validè vnitos continente, nè commouerentur, niſi data occaſione. Acidum præterea

rea

rea facultate ſiccans eſt, nec aptum pro horum ſpirituum receptione iudicaretur, ſi humectans fuiſſet, etenim ob coniunctam humidam vim grauior, & minùs agilis fuiſſet redditus ſpiritus ille: requiritur tamen in fermentatione ipſa actualis humiditas. Ratione præterea, & experimento cernimus acida omnia fermentationem,& ebullitionem in omnibus excitare, quibus miſcentur: quod aliter fieri non poteſt, niſi quia ſpiritus hic natura ſua inquietus mouet alios omnes contrariæ naturæ ad pugnam,& elationem, excitatq. illos ſopitos, & quaſi dormientes, qui ſi in calido ſubiecto, & calidi caleſcunt magis, igniuntur, & tactu vrunt. vt vinum infuſum Vaſi vbi prius fuerit aciditas Vitriolata, vt dixi: immò acidum ſulphuris oleum dictum cùm ſale Tartari diſſoluto, quod oleum Tartari dicunt, ita efferatur, & igneſcit, vt ex eo nobile cauſterium docet Libauius Epiſt. 37. lib. 3. credidit autem iſtas res dum ſe penetrant mutuo minimis particulis, depugnantq. attritu vicario, ſpiritibus attenuatione factis prorumpentibus, craſſiora efferueſcere, licet, & ipſi ſpiritus exeuntes admodum caleant: quod idem ſpectaculum, & eandem ebullitionem cernere etiam licet in plurimis alijs, vt aceto vini, & oleo Tartari; in Vitrioli ſpiritu cum oleo Tartari: Videtur autem ſpiritus acidus præcipuè pugnare cùm ſalium ſpiritibus. idem accidit cum aquis cauſticis ferro, plumbo, ſtibio, corallijs, Margaritis,& conculis marinis affuſis: idem quoque aceto, & atra bile in terram ſparſis. Ex Turnero calx Solis cum oleo Caphuræ efferueſcit, ſimiliter ex Crollio aqua regia aurita ex Ol. Tartari ebullit. ex Libauio Mercurius Saturni, vel Martis cum realgare mixtus, immo duæ aquæ fortes ſimul miſtæ caleſcunt, & feruent: videlicet altera extracta ex ſtibio, & Hydrargirio ſublimato, altera verò ex halonitro, alumine, Chalcantho, ærugine, & ſulphure, & huius generis eſt ſpuma illa Venenata duorum Draconum ſimul coniunctorum, & agitatorum de qua loquutus eſt Quercetanus in ſua Pharm. Dogm. nomine Bezoardici mineralis pro ſua Theriaca Cæleſti. Credidit Paracelſus aquas thermales ebullire tranſitu calcium inextinctarum. huiuſmodi autem ebullitionum cauſam cenſemus nos eſſe ſpiritum acidum ſemper mobilem, agitantem ſpiritus calidos ſalſos. qui caleſcunt quidem ſed ardere nequeunt. quod

Ratione, & experimento patet acida eſſe fermētantia.

Cauterium ex acido & ſale.

Quæ ebullient mixtione.

Ebullitionum cauſę.

quod ſi ſpiritus agitati eſſent ſulphurei flammam ſtatim elicerent, & ignem excitarent: verum ſpiritus acidus ignem extinguit, quod multiplici conſtat experimento; vndè conſtat ſpiritus ſulphureos non commouere, ſed ſopire. At ſalſos commouet, & Mercuriales. dum ſalſos commouet calorem in illis latentem excitat. dum Mercuriales excitat frigiditatem occultam detegit. Ita igitur acidus ſpiritus agens in Mercuriales ſpiritus frigidos corpus ſubiectum frigefacere magis videtur dum cogit eos in actum deducere propriam frigiditatem, vt patuit nobis infundentibus aquam magno recipienti in quo ſpiritus Vitrioli extractus fuerat. quo etiam mihi patuit ſpiritus hos fermentatores acidos nullam tribuere qualitatẽ mixtis elementarem; ſed tantum motum, & excitationem, ſeù principium motus, reliqua ex ſe ipſis perficientibus illis pro ſubiectorum varietate varijs. & motu illo violento, quo caleſcunt, ſæpe etiam acidi ipſi euolant ſpiritus.

Spiritus & principiũ motus.

Sed Hipp. quoque optime nouiſſe apparet fermentationem acidi, quam docuit. 3. acut. 38. cum ait; *Vt autem in ſumma dicatur, quæ ab aceto eſt aciditas* ὀξύτητες *picrocolis magis, quam melancholicis, prodeſt. Amara ſiquidem diſſoluuntur, & in pituitam tranſeunt, cum ab aceto in ſublime attolluntur. Nigra autem fermentantur, attolluntur, & multiplicantur.* Itaque bilis fermentatur, & attollitur ab aciditate aceti, & tãta vis eſt talis fermentationis, vt amara bilis tranſeat in dulcem, vel inſipidam pituitam ex Hipp. quod paradoxum chimico experimento eſt explicandum. (quamuis Galenicus diceret non ipſam bilem mutari, ſed naturam bilioſam, & bilis genitricem in pituitoſam.) chimicus ergo cum Tartarum Vitriolatum parat, explicat Hipp. verba. ſiquidem ſali Tartari acerrimo, ſolido, vel humido quum infunditur, & aſpergitur acidus Vitrioli ſpiritus, ſalſedo illa fermentatur, attollitur, & multiplicatur, ideſt maiorem locum, ob ebullitionẽ occupat. hinc quia ob fermentationẽ acres ſpiritus reſoluuntur, & deperduntur, ac euolant, remanet materia frigidior. quod autem amara, & ſalſa ſint congenera, amaritudo ſalſi Maris indicat. bilis ſiquidem amara, aduſtione ſang. ſaporem huiuſmodi ſortitur, & nimia ſalis copia. at fermentatione ab aceto, ſpiritus acres ipſius bilis diſſoluuntur, & euolant; hinc

priuata

priuata reliqua materia calidis ſpiritibus, in pituitam, vel acidā vel ſalſam: ſi pauca fuerit facta fermentatio, vel in inſipidam: ſi multa, in quam etiam ſæpe conuenienti mixtura degenerat.

Vt autem magis hæc acidi ſpiritus vis innoteſcat, Acidorum aliæ operationes conſiderandæ ſunt circa fermentationem. Occurrit autem primo, & maximè Panis fermentum, quod eſt pars acida facta à Natura, quod deinde, quum libet, farinæ, & aquæ commixtum ſuis ſpiritibus inquietis commouet ſpiritus deliteſcentes in illa materia, qui commoti eleuantur, & inſurgunt ad pugnam huc, & illuc diſcurrentes à ſua materia craſſa quaſi ſeparati, exitumq. quærentes: ideò illam ſpongioſam, & hinc, & inde inanem reddentes, aere inſuper externo conuocato replentes vndequaque poroſam, & permeabilem reddunt. Quod ſi relinquantur hi ſpiritus ſimul pugnantes vſq; ad finem pugnæ, ita vt acidus vincat contrarium, tunc expulſo proprio ſpiritu Salineo, vel conuerſo in acidum, tota illa maſſa fit acida, acidæ virtutis, fermentatrix, & acido ſpiritu plena, quod continuò videmus. Si verò in medio pugnæ extremus ab extra calor, vt igniti furni, acceſſerit: tunc ſpiritus pugnantes acidi rarefactione valida expelluntur, ſunt enim in ſubiecto ſuperficialiter, & veluti peregrini, & aduenæ, ſubſtantiæ etiam tenuiſſimæ. remanetq. panis coctus ſpongioſus quidem, & fermentatus, ſed abſque vlla aciditate: & calor non ex pane ſolum; ſed etiam ex aqua acetoſa fontali expellit aciditatem, & ex alijs quibuſdam. Notum præterea eſt vel mulierculis, ſine aciditate nullo modo panem fermentari, ideò frumentacei vulgaris fermenti defectu alia affert Didimus fermenti genera apud Dionyſium Vticenſem Agricult. lib. 2. cap. 30. à quo deſumpſit Porta ſuæ Magiæ lib. 4. c. 16. & fortè multa alia acida panem etiam fermentare poſſent. Panis fermentum.

In Ceruiſia, & Medone potionis generibus fermento opus eſt: alterum quidem tritici, vel hordei decoctum eſt cum lupulis &c. alterum verò mellea potio: his addunt fermentum, vel è pane, vel quod ipſorummet veluti fœx eſt, (ni fallor) quo addito ſpiritus incluſus efferatur, & ſpirituoſæ validæq. fiunt potiones illæ, alioquin imbecilles, & putredini ſubiectæ, ſpiritu autem acido ebulliunt, & depurantur ab excrementis. Fermētum Ceruiſiæ.

Vinum, ſeu Muſtum, & fructuum ſucci à fœcum acido ſpiritu ebulliunt, ſpuma enim acida omnino eſt, vt ſentitur odore, & ex ea Culices vinarij naſcuntur. vt libro de inſectis ſecundo diximus. Certum autem eſt Vini ſpiritus à fœcum ſpiritu acido (Tartarum etiam Vini fœx acida eſt) commotos ebullire, fermentari, & caleſcere ob motum in ſubſtantia calida, depurari etiam hoc modo ſeparatione heterogenearum, craſſarumq. partium. Indè depurata materia ob Homogeneitatem, vnionem, & puritatem, ac proprio calore, vitaliq. ſpiritu vnito (prout in Vino dici poteſt) validior reddita, calore illo actuali cogit euaneſcere acidos ſpiritus contrarios, quod ſi nequeat, & illi præualuerint, aceſcit tota. Nec tamen in optimo vino dici poteſt omnem aciditatem euanuiſſe, quamuis non ſentiatur, latet enim in fœce, quia ſemper aliquid fœcis, & tartari, quæ acida ſunt reperire eſt. Etenim ſi temporis proceſſu, aliquo caſu proprij vini ſpiritus calidi, & eſſentiales reſoluantur, & pereant, tunc acidi ſpiritus deliteſcentes efferantur, & conturbata tota materia acidam inducunt qualitatem: aceſcentia autem Vina priùs perturbantur, deinde acida effecta clareſcunt. Noſcitur autem reſolutio, & mors calidorum Vini ſpirituum; (vnde Acetum appellauit Gal. *Vinum Mortuum*) quia ex Aceto non poteſt deſtillari, & extrahi ſpiritus ardens, vt ex Vino, quia euolauit, vel perijt. & ſi artifex diligẽs, eum quærit, paucũ quiddam extrahit.

Fermentatio Vini.

Notum eſt præterea omnia, quæ putreſcunt, & fermentantur, ab hoc acido ſpiritu commoueri, hinc chimici ad fermentanda, & putrefacienda vegetabilia, ſæpè acidum fermentum miſcent, vt validior fiat fermentatio: nec modò Hieronymo Rubeo reſpondere poſſum ſe opponenti chimicorum in vegetabilibus fermentationi præuiæ ad deſtillationem, alibi dabitur diſputandi locus. Aromatarij præterea quidam pro clarificandis ſuccis, portione ſucci limonum, aceti, ſpiritus Vitrioli, ſulphuriſuè vtuntur, vt citiùs, & meliùs ferueant, & depurentur ſucci à partibus craſſioribus, & fœculentis.

Putreſcentia fermẽtantur ab acido.

Acidũ clarificat ſuccos.

Sciendum eſt etiam fieri ebullitionem, & fermentationem, cùm ſpiritus acidus agit in contrarium: nàm cùm ſolus eſt quieſcit, quia in ſe ipſum non agit, nec motus occaſionem nanciſcitur, ſic Muſtum ebullit, & depuratur, ac feruore illo ſpiritus

acidi,

acidi,qui erant in motu,euaneſcunt. Vinum non feruet,niſi cor- Feruor vini.
rumpatur, neq; alteri vino infuſum, quia non ibi aduerſarium ad pugnam paratum inuenit: ſi verò corrumpitur & totum redditur acidum, Acetũq; fiat,neq; ſolum ebullit amplius;quia ſine contrario. in proxima tamen eſt potentia data occaſione.

Sed obijcies non ſine cauſa. Quercetanus pro extraenda Aqua vitæ,& ſpiritu ardenti ex Roſis,herbis, fructibus, ſeminibus,tritico,& alijs vegetabilibus; non ſolum addidit ad faciliorem putrefactionem tantillum fermenti; ſed expectat donec materia fermentata aceſcat, vinumq. aceſcens redoleat: aliter experientia oſtendit,& ego vſu ipſo reperi,neque antè,neque valdè poſt hoc ſignum, extrahi poſſe ſpiritum ardentem ab illis rebus. Si ergo ſpiritus ardens extrahi nequit, niſi materia fermẽtata aceſcat, qui fit, vt vinum aceſcens ſpiritum ardentem non reddat deſtillatum? Fermẽtatio pro deſtillatione aquæ ardẽtis.

Reſponderem. Aceſcentem materiam,vt eſt in fieri,& motu habere ſpiritus copioſos,& ob pugnam,& motũ calidos, ardentes, & à ſubiecto facile ſeparabiles, (primi enim deſtillatione aſcendunt) iam Acidam verò prout eſt in facto,ſine motu, ſine pugna,& ſine cõtrario,nõ habere niſi proprios ſpiritus frigidos, ſiccos, mercuriales, ſalineos, ideo non ardentes;& quamuis tenuiſſimi,quia tamen in homogeneo corpore,vel paulo minùs fixi quieſcunt,non ſunt facile ſeparabiles: in deſtillatione autem Aceti ex Libauio (quamuis alij aliter dicant) ante phlegma acidi ſpiritus aſcendunt nequaquam ardentes. Modo ad obiecta dicimus, aliud eſſe aceſcentia deſtillare, aliud verò iam acida,ſi quidem aliud eſt fermentari,& ebullire,aliud verò fermẽtatum eſſe,& ebulliuiſſe: alterum enim eſt in motu, alterum quieſcit. Vegetabilia quum non dum feruent non reddunt ardentes ſpiritus,quia quieſcunt, nec apti ad ſeparationem ſunt; dum autem feruent, & ſunt in motu facile ſeparantur,& ardentes conſpiciuntur,ob motum enim ſulphurea pars tenuis aſcendit,quæ vigens, & motu illo calefacta, (nam potentia calida eſt) & validior effecta in ſuam naturam attenuatione nõ parum aliorum ſpirituum, & materiæ commutat. Cum autem definit motus,& fermẽtatio,refrigeratur materia,& acida fit. nam calidi ſpiritus euanuère, remanentibus Acidis ſuperioribus: quod

Acidum, vel in fieri, vel in facto eſſe.

Reſpondetur obiectioni.

euenit in Aceto,& dictis vegetabilibus poſt multam fermentationem. Quandoquidem ſi in roſis fermentatis, vel ceraſijs, & huiuſmodi,poſt illud ſignum (ſcilicet acidum odorem) deſtillationem per aliquot dies retardauerimus, nullum amplius extrahemus ardentem liquorem:(quod pluries accidiſſe ſcio quibuſdam amicis meis)quia materia tota acida reddita eſt,& ſpiritus calidi,& ſulphurei poſt feruorem euanuere. Tempus igitur deſtillandi eſt, cùm fermentatio eſt in ſummo vigore, qui vigor noſcitur ex odore aceſcente, qui odor non prodit ex ſubſtantia ipſa; ſed ex parte fœculenta,& ſpumoſa,vt in Muſti ebullitione ſentitur quidem aceſcens odor, ſed re benè perſpecta, ſpuma expulſa ita olet,non vinum ipſum. Sic in Muſto tempus deſtillandi eſt,dum feruet,vnde etiam ſine igne Lullius,Rupeſciſſa, Vlſtadius,& ex his Porta, alijq. tunc ſpiritum ardentem extrahunt. Amici tamen quidam flegma tantum ex deſtillato muſto collegerunt, non ſpiritum ardentem, in fundo remanente ſapa. vnde falſa retuliſſe dictos auctores arguebant. ſed non igne vrgere Muſtum debebant, ſed feruentem tantum à ſpiritibus internis commotis vaporem colligere debebant. vt dicti Auctores præcipiunt. At mihi nec ſucceſſit talis deſtillatio impoſito pileo ad dolium muſti per aliquos dies, ſed verum eſt cũ odorarem poſtea pileum,odorem validum ſenſiſſe. Si verò poſt fermentationem remanſerint calidi ſpiritus, vtpotè, qui validiores exiſtentes,acidos fermentantes expulerint,ſequè à fœce acida depurarint, tunc quolibet tempore ſi deſtillauerimus extrahemus ardentes ſpiritus. Eſt tamen notandum,vt plurimum in ſuccis liquidis poſt fermentationem acidos ſpiritus expelli, quod tribuendum fœcum copiæ, & paucitati. depurati enim ſulphurei ſpiritus à Mercurialibus,& ſalſis,& vniti,cum ſint potentia calidi, facile ad actum reducuntur.Ita vinum ſi non depuretur à fœcibus bis,vel ter,vt ſolet,diù ſeruari nequit, quin aceſcat. ideò fermentata diù quælibet materia cum copia ſuarum fœcum omnino aceſcat neceſſum eſt: bene autem depuratum vinum,vel coctura etiam magis defœcatum,& à Mercurialibus partibus ſeparatum, diù incorruptum ſeruari poteſt. hæc ſatis.

Spiritus ardentes poſt fermentationem pereunt.

Aqua ardẽs deſtillata ſine igne.

Pergamus modo enucleationem acidi effectus in reliquis miſtis, ſcilicet mirabiles quoſdam feruores, quales in calce ſæpè

intuemur, quæ aqua affuſa efferueſcit, & copioſè fumat. quod accidere ſuſpicamur; quia ſalis ſpiritus acidus vitriolatus, vel ſulphureus, qui in calce deliteſcebat accipit occaſionem motus, & inſurgendi in alios Calcis ſalium; vel Nitri ſpiritus, quod priùs agere non poterat, ob defectum humiditatis, ſinè qua fermentari nihil videmus: ſpiritus enim ſtatim euaneſcerent, qui tenues, & ſicci per ſe iam ſunt; craſſeſcit autem materia illa, & veluti viſcoſa, & tenax reddita eleuatur in bullas hinc indè à ſpiritibus ſimul pugnantibus, qui quoniam calidi ſubiectum calefaciunt: cum igitur ſpirituum hic ſit motus vehementiſſimus, vehementiſſimus etiam in calce ſentitur calor, vt manus tangentis vrat: ſed ardere nequit calx, quia ſpiritus ſulphurei aqua obruuntur, ſed ob maximam pugnam ſolum validè calefcit. Quod ſi calci recenti non fuerit infuſa aqua paulatim illi ſpiritus acidi, cùm ſint tenuiſſimi, euolant: vndè poſtea accidit, vt veteri calci aqua affuſa nec calorem, nec feruorem efficiat: ſpiritus autem ſalis, quamuis non ſint reſoluti, ab aqua tamen non excitantur, nec commouentur, ideò neq; caleſcit ſubiectum, ſiquidem ſpiritus ſpiritum commouet, non aqua ſpiritum. Præterea neque calci in nimia copia infundenda eſt aqua, adeò vt ſpiritus ſuffocet omnes; ſed paulatim, alioqui non fit fermentatio, & calx non diſſoluitur, ſed dura permanet in aqua, vt optimè norunt omnes ædificatores. *Calcis feruor ab Aqua infuſa.*

Dixi generationes, & concoctiones ciborum ab acido perfici, quod negare nemo poterit, qui nouerit ad has perficiendas fermentatione opus eſſe, & ſine hac nil gigni, nec cibum in ventriculo concoqui, non enim calor ipſe ſufficiens eſt; ſed præcipuus agens eſt ſpiritus, non qualitas vlla elementaris. Hip. hęc optimè docuit libello de Natura pueri, verum aciditatem reticuit, flatum nominauit; ſed apud nos certum eſt nullam qualitatem flatus excitare, niſi acidam. Quamuis enim aqua in ebullitione ad ignem ferueat, ſpumam, & bullas excitet, & caloris non aciditatis in humido ſit effectus, & Oui albuminis cõmotio ſimiliter ſpumam excitet, hoc tamen non ipſi calori, ſed motui tribuo. Nec negari poteſt à calore aquam in flatus verti, quod Chimico experimento conſtat: ſi ſumatur pila ænea intus vacua, & bonæ capacitatis, ſed ſolida nè rumpatur, vno tan- *Generationes & concoctiones ab acido fiunt.* *Ebullitio à motu.*

Chimicum experimentũ, de quo Cardanus ex Vitruui. lib. 13. de varietate c.63.

tùm paruiſſimo prædita foramine, impleatur paulatim aqua, quod, quamuis difficillimè, aſſequi tamen poſſumus calefacta prius pila: ſic aqua frigida repleta calefiat ab extrà igne, tunc aqua rarefacta, & in aerem degenerans exit per foramen magno impetu, & follis inſtar, eiusq. vicè vtimur in igne accendẽdo, flabellandouè, diù durat, & vehementiſſimæ eſt actionis, periculum tantum eſt, nè vi flatus rarefacti diſrumpatur pila, & aſſiſtentes lædat. Ità dicimus poſſe quidem à calore flatus excitari, ſed inualidos, ſimplices, & non per ſe mobiles, ab acido verò nobiliores excitari, & procreari. Ideo in generationibus calidum, & acidum mixta ſunt apta agentia, alterum, vt materiam copioſiorem ſuppeditans, alterum verò vt mouẽs, & diſponens. Sed audiamus Hipp. loc. cit. de ſeminib. loquentem: *Semen vbi deiectum fuerit in terram, humiditate quadam ab ipſa impletur: habet enim in ſe terra omnigenum humorem, vt naſcentia nutrire poſſit: impletum autem humore ſemen, inflatur, & intumeſcit, & vis, quæ in ſemine lauiſſima eſt, ab humore condenſari cogitur, condenſata autèm à ſpiritu vis, & humore folia producente, ſemen rumpit, & primum folia foràs emergunt.* Eſt igitur in ſemimine quod facit, vt fœcundum ſit, non vis, & qualitas elementaris, vt etiam optimè docuit Ariſt. ſed *δύναμις, vis, & potentia ſpiritus*, feruet autem ſemen humore prægnans, & in fermentatione bullæ excitatæ ſpiritum continent, qui non eſt niſi acidus, cæleſtem cenſuit Peripateticorum Princeps.

Semen naſcitur ob ſpiritũ acidum.

Inſecta orientur ab aciditate fermentante.

Inſecta verò, quæ putredine oriri etiam vulgus clamat, adeò mihi notum eſt, fermentatione aceſcente oriri, vt nihil magis: diffuſiſſimè enim de hoc egi in meo de inſectis tractatu. Vidi equidem ſæpiſſimè terram, & alias ſubſtantias putreſcẽtes ebullire, & bullas excitare, in quibus concluſus ſpiritus animalia breui producebat.

Pulli ortus in ouo.

Et de pulli ortu Hipp. loc. cit. ſic loquitur. *Incubante matre ouum caleſcit, & quod in ouo ineſt à matre mouetur; caleſcens autem id, quod in ouo ineſt, ſpiritum habet, & alterum frigidum ab aere per ouum attrahit.* Calefactum ouum (ſic explico) incipit putreſcere, & ebullire, fit fermentatio, & bulla: ità ſpiritus concipitur, qui pulli corpus diſponit.

Semen humanum, & animalium perfectorum in corpore, & vtero

vtero feruet (teſtè Hipp.) quod non,niſi aceſcat,fieri poteſt, he- Semen ani
terogeneum cùm ſit, acidas quaſdam partes habere opus eſt, matum in
quæ exurgentes fermentant,commouent, & exagitāt illam ſub- vtero fermentatur.
ſtantiam,indè commoti ſpiritus in corpore illo Naturales,Vitales, & Animales, & quaſi expergefacti. Primo materiam ſubiectam fermentatione à partibus craſſioribus depurant, deinde diſponunt; organizantq; paulatim materiam illam; continuo additione facta nouarum materierum; ſed ſemper excitati ad actionem acidi ſpiritus inſultu.

In corpore humano acidus humor ſuo ſpiritu fermentationē Cibi in vē-
in ventriculo parat, ſinè qua cibi coctio proba fieri nequit. nec triculo fer
ſolius caloris opus cibi coctionem dicimus,alioqui,& in olla ta- mentantur
lis fieri poſſet: ſed fermentatione opus eſt,qua cibi in ventricu- ab acido.
lo ſubleuentur, bulleſcant,& permeabiles, ſpongiæq. inſtar reddantur,vt ſic melius à caloro vincantur; diſponantur, & permiſceantur. dixit Hipp.de veteri med. *Fit concoctio ex permixtione, & temperatura mutua, & quaſi coctura*. Solus calor non miſcet,ſed contrarium potius operatur; ſi quidem ex Ariſt. heterogenea ſeparat,& homogenea congregat; & hoc pacto agēs eſſet corruptionum,non generationum;ſed acidus ſpiritus calori vinctus,quod calor ſegregat,ipſe iterùm miſcet,ſic aliud generatur variata mixtura,& corrupta vna mixtione fit ſtatim alia: ſimul enim adſunt duo agentia requiſita:calor ſeparans præcedentem mixtionem,& aciditas miſcens in aliam mixturam. Mi-
xtionem autem, quæ ab acido ſpiritu fit clariſſimè declarauit Acidum mi
Plato in Timeo: loco à nobis ſupra citato. *Partes enim terrenas,* ſcet.
& aereas iactatas inuicem commiſceri cogit: ſic fit noua miſtio, & noua generatio,& ventriculus ille,in quo deficit acidus ſpiritus,ciborum coctiones perficere nequit; cùm enim ibi non fermententur, nihil à calore poſſunt immutari; ideò deijciuntur, quales ſunt ingeſti. quod nouit Hipp. non Galenus cum ſcrip-
ſit 6.aphor.1. *In longis lauitatibus inteſtinorum ſi ructus acidus* Cibi putre
fiat, qui prius non erat, ſignum bonum. neque enim alia de cau- ſcunt in vē
ſa *cibi imputridi,* vt lib.de affectionib. habet Hipp. deijciuntur, triculo.
niſi quia fermentari non potuerunt ab acido. cum verò denuò in ventriculo moderata aciditas coaceruatur;tunc coctiones ciborum fieri incipiunt; eſt igitur ob id ructus acidus in coctione

priuatis ſignum bonum. & 2. epid. ſect. 2. addit. Velut Demenetæ contingit fortaſſe autem licet etiam arte parare, nam turbationes eiuſmodi alterant, fortaſſe autem, & ructus acidi inteſtinorum leuitatem ſoluunt. Paracelſ. de morb. tart. c. 16. vocauit acetoſitatem Eſurinam, & ait. *Homo autem qui ea caret, arte ſtomachus eius adiuuandus eſt, vt omnia, quæ aliàs à natura, & proprijs viribus nunquam conſumere poſſet, facilè digerat; & conſumat*. dixit etiam *Eſurinum acetoſum medicina eſt, quæ à natura ſua ſtomachum ità intendit, & appetentem reddit, vt etiam non edenda edere cupiat, & non digerenda aliàs facile digerat*. Sed de hac ipſa ciborum in ventriculo coctione, & lienis vſu, ſententiam à Galenicis diuerſam alia epiſtola afferemus. nunc receptui canamus. Quare viſis quibuſdam mirandis acidi ſpiritus viribus non elementaribus, ſed proprijs, ſpecificis, balſamicis, &c.

Concluſio. Concludamus, non mirum, ſi oleum vitrioli acidum intendit vires tàm calidorum, quam frigidorum, vt dici poſſit calidum cum calidis, & frigidum cum frigidis, ſubſtantia quidem ſua, quæ acidi ſpiritus ſubiect. eſt, frigida, ſicca, & tenuiſſimarũ partium elementalium eſt, vt diximus Dubit. noſtr. 2. & epiſt. 3. ſpiritualitas verò nullius qualitatis eſt: Subſtantia quidem frigida mixta calidis non fit (quamuis frigida non ſentiatur) calida: ſed caleſcit motu contrariorum mixtorum pugnantium, ſic calida ſentitur actu. Elementares quoque contrariæ particulæ inuicem agunt, & quæ vicerit prædominatur. In ijs verò, quæ potentia agunt, & corpus noſtrum calfaciunt, vel refrigerant, de quibus intellexerunt Auctores Germani dicentes calidum cum calidis, & frigidum cum frigidis: ob penetrandi vim calida magis attenuando, & per corpus deferendo, ſi quidem *Acidum* (ex Gal. 5. de ſim. m. f. 26.) *incidit, extenuat, diuidit, farctuq. liberat*. ità calidorum medicamentorum actiones adiuuando, augendo, deferendo, calidum cùm calidis, dici meretur. ſed fridum cùm frigidis dicetur, tum Natura ſua, tùm etiam prædicta cauſa. tandem aduertendum nos vno ore, & calidum, & frigidum ſpiritum expirare: non mirùm igitur ſi ab vno vitrioli oleo duo contrarij effectus quandoq. prodeant, & ex his iàm notum credo, quo pacto tueri poſſit, non ſolùm potentia, prout Crato cenſuit, ol. v. calidum cum calidis, & frigidum cum frigidis eſſe;

ſed

ſed etiam actu calida calefacere,& frigida refrigerare, vt experientia demonſtrauit.

His addam corollarij loco, iam patere ſpiritibus tribuendas eſſe multas actiones, quas vulgus Peripateticorum ſubſtantijs tribuit, vt v. g. ignem eſſe ſubſtantiam ſe augentem credunt, cum id aliter ſit. ignis enim noſter non eſt niſi accenſio ſpirituum ſulphureorum ob nimiam ipſorum rarefactionem, & accidens non ſubſtantia. Pro qua re dicimus ignis actum huiuſmodi eſſe. Scintilla ignis habet vim (vt acidum) alios ſpiritus fermentandi,& commouendi, quæ,vbi adhæſerit ſubiecto ſpiritibus ſulphureis repleto,eos commouendo (acidi inſtar) ad pugnam,& motum excitat,& in ſui naturam conuertit: agit autem occulta vi alios ſpiritus commouendo, qui commoti maximo impetu,& violentia calorem excitant; motus enim cauſa caloris, maximus motus, maximi caloris. Motus autem ſolus eſt cauſa caloris, quies frigoris, vnde ignis, eſt extremus motus ſpirituum. Nix,Glacis &c. extrema eorum quies,ita nil immobile calet, nil ſemper mobile friget. corpus viuens,quia ſemper intus mouetur,calidũ ſemper. igitur calor in igne non eſt niſi ob maximum motum internorum ſpirituum ligni Mercurialium, & ſulphureorum,qui inuicem opponuntur,vſtio vero fit à ſumma ſiccitate ob motum enim validiſſimum Mercurialis pars euaporat, carni ſalſa pars,& pars ſulphurea adhęrentes magis ob ſicci tatem eſcharam pariunt. Flamma non eſt niſi ſpiritus ſulphuris rarefactus, & à ſubiecto ſeparatus ob motum vehementiſſimum internorum ſpirituum, & ſimul cum illo ratione pugnæ reſoluitur etiam Mercurialis ſpiritus. vnde ſal, & caput mortuum ſola reſtant, ſulphure,& Mercurio cum ſuis ſpiritibus euolatis. Lucet flamma, quia cùm illi ſpiritus ſint extremè rarefacti, adeò vt magis non poſſint, ſuſcipiunt formam diaphanam, & vndequaque ſparguntur, ſic lucem aeri communicant, ſua tenuitate ipſum rarefaciendo. ſic ſol ſpiritus ſuos motu ſuo calefactos vndequaq. ſpargit, à quibus rariſſimis,& diaphanis aer illuſtratur.

Spiritus ignei actio.

Flamma quid.

Lux quid.

Igitur cùm aliquid vritur nil gignitur eſſentiale; ſed materiæ ſolum ſeparantur, accedit tantùm forma accidentalis ignis,fumi,vaporis, &c. quæ cito deſinit, & aqua in aquam, oleum in oleum citiſſimè denſantur; cum ſuis prioribus odoribus, colo-

Ignis vſtione nil gignitur, nil corrumpitur eſſentiale.

S ribus

ribus,ſaporibus,viribus,&c. nam ſi ſubſtantia ignis eſſet aliqua, quæ in vſtis eſſet introducta;quomodo materia vſta ad priorem formam,& vires rediret? quomodo tam cito talis forma generaretur? quomodo tam citò periret? à quo contrario potentiori expelleretur tam cito?

Idem de ſpiritu veneni,& peſtis eſt dicendũ, qui corporis ſpiritus cõmouentes,& ſæpè in ſui naturam mutantes facillimè penetrant, ſiue per poros. ſiue per os,vel aliam partem ingreſſum habuerint,de quibus nunc non eſt dicendi locus.

Hæc pauca,craſſiori Mineruа dicta,de acido ſpiritu tibi nunc mitto(eruditiſſime vir)etſi maximum haberem de ſpiritibus omnibus dicendi argumentum. de quibus Hipp.noſter non pauca libro flatibus dicato ſignificauit; à quibus omnes morbos fieri protulit,vt num.4.ſcribens. *Qui ſanè maximus eſt* (*A.ſpiritus*) *in omnibus, quæ corpori accidunt*: *& auctor*, *& dominus*. deinde num. 6. *Mortalibus autem* (*inquit*) *vitæ*, *& morborum ægrotis ſolus is eſt auctor*. Cenſeo te dicturum Hipp. per ſpiritus non idem ſenſiſſe, quod ego,nam id explicauit dicens. *Spiritus quidem, qui in corporibus ſunt flatus vocantur, qui verò extra corpus exiſtunt aer*. & alibi ſpiritus internos vocat *impetum facientia*. Vocantur etiam *ſpiritus Animales*, *Vitales*, *& Naturales*. eſt fateor aliqua diuerſitas, ſed ſi rem benè conſideraueris. non tantam diuerſitatem reperies inter ſpiritus ab Hip. allatos, & à me quin aliquo modo conueniant.

Hæc ſatis,quæ accipito (eruditiſſime vir) vt ſignum mei erga te amoris, eadem Amicæ tuæ criſi ſubijcio, æquum Iudicem te futurum ſperans; imò potius Patronum, ac Tutorem meum te Neapoli futurum mihi augurot. Vale, meoq. nomine Adm.Reu.P.F.Donatum Eremitam vtriuſque noſtrum amiciſſimum ſalutare ne graueris. Romæ.

Admodum Illuſtri, & Excellentiſſimo D. D. Marco Aurelio Seuerino Medico præclariſſimo, & Neapoli Hoſpitalium Incurabilium Chirurgo.

Petrus Caſtellus.

EPISTOLA QVINTA.

De Ciborum in Ventriculo fermentatione.

CIBORVM concoctio (Eruditiſſime Seuerine) quomodo, & qua cauſa in Ventriculo fiat, etiam Antiquis Medicis in dubio fuit. ſiquidem vt refert C. Celſus initio libri primi. *Alij duce Eraſiſtrato atteri cibum in ventre contendunt alij Pliſtonico Praxagoræ diſcipulo putreſcere, alij credunt Hippocrati per calorem cibos concoqui, acceduntq. Aſclepiadis æmuli, qui omnia iſta vana, & ſuperuacua eſſe proponunt. Nibil enim concoqui, ſed crudam materiam ſicut aſſumpta eſt in corpus omne deduci.* At appetitum excitari in ore Ventriculi, coctionem in fundo perfici conſentientes videntur Neoterici omnes Medici: ità facultates Ventriculi, operationesq. enumerant quatuor, attractricem cibi, retentricem, concoctricem, & expultricem eiuſdem, & hæc quidem ſe habent ex parte ventriculi; ex parte verò ciborum, vt ſint ἐυπέπτα, & natura ſua apti, vt ex his extrahi poſſit conueniens ſuccus pro reficiendo corpore, & commutatu faciles in ſanguinem: propterea debent eſſe præparati, quam præparationem etiamſi ſæpè ars efficiat comminuendo, in particulas ſecando, contundendo, liquandouè: Natura tamen de hac valdè ſollicita ipſa ad hanc præcipuè inſtituit dentes, quibus contundatur, trucidetur, minutiſſimèq. diuidatur ingeſtus cibus, ſic voluit præparatum ad excipiendam actionem ventriculi; aliter ingeſtus integer, non concoquitur, & ſolidum egeri videmus, atque integris viribus, vt ſemina integra

Cibi debēt præparari.

ingeſta etiam integra deijciuntur, & quandoque naſcuntur, vt Viſci ſemen à Turdis deuoratum, ſemen Melonum à felibus, perſicorum oſſa à Canibus, ficus à paſſeribus, ceraſorum oſſicula ab hominibus. ità ſcimus diutiùs, & perfectiùs in ore manſos, & comminutos cibos, faciliùs in ventriculo coqui. Sed aliquoties dubitaui an melius chylificaretur cibus ſolidior māſus, an liquidior ſorbitio. in mentem venit, ſorbitionem, quia tota ſimul à venis attrahi poteſt, obſtructionem, in Meſeraicis parere poſſe, quia tota attrahenti obedit, & ita coaceruari poteſt. cibus verò ſolidior mediocriter contritus, quia ſimul totus attrahi nequit, paulatim per meſeraicas in hepar attrahitur, ob id nullas obſtructiones parere ſolet: ità obſeruauimus ſolidis vſos cibis raro Hypochondriorum obſtructionibus tentari; eos verò, qui ſolis ſorbitionibus victitarunt per aliquod temporis ſpatium, rarò non fuiſſe obſtructionibus affectos. Et quia in ventriculo debet fieri potiùs elixatio, quam aſſatio, ideò nè cibus ingeſtus abſque potu difficillimè coquatur, ſuppeditauit Natura humiditates quaſdam, qualis ſaliua, quæ in ore miſcetur cùm cibo, & illum adeò alterat, vt panis in ore manſus alterius experiatur virtutis, quàm aliter contuſus. Deniquè in ventriculum delato cibo non ſatis eſt ad optimam chylificationem, apta ciborum diſpoſitio, natura, & præparatio, nec apta ventriculi facultatum congruentia, & robur, nec ſatis eſt alteratricis ſimplex calor ad cibi coctionem, & ſeparationem chyli, alioqui etiam in olla poſſet fieri ſimilis concoctio, ſi illi exhiberetur idem caloris gradus. Quare cum hæc non ſufficiant aliud cenſendum requiri, aliud quid deſiderandum: nàm ſi à ſolo calore cibi concoctio fieret, in febrientibus, & in intemperie calida ventriculi, vicinarumq. partium melior, & præſtantior fieret concoctio, quod falſum dignoſcitur: poſſet etiam calore externo perfici concoctio, (non tamen negari poteſt adiuuari quandoque) immò in æſtate in qua etiam totum corpus calet.

An cibus ſolidior, vel liquidior ſit præſtantior.

Quæ requirantur ad coctionem ciborum.

Pueri verò magis coquunt cibos (teſte Hipp.) non quidem ob actualem calorem, qui in febrientibus auctus eſt: ſed ob naturalem, dixit Hipp. qui quantùm differat ab actuali haud ſatis explicari poteſt. Etenim experientia conſtat plantarum ſemina leuem ignis calorem paſſa (integra ſcilicet) non ampliùs naſci;

Calor naturalis.

deuorata verò, etiam à calidiſſimo animali, plurima optimè pullulare. contra alia ſunt citiùs, & faciliùs in ventriculo liquata, quam ignis calore. Eſt igitur neceſsè aliquid aliud ab extra cibis aduenire, quo fermententur, agitentur, miſceantur, attenuentur, permeabiles fiant, & optimum à malo ſeparabile reddatur, nec non chylus à fœcibus ſegregabilis, & cum ex diuerſis cibis vnus chylus, vnius eſſentiæ, formæ, virtutis, & temperaturæ debeat ſeparari; ideò conuenit ipſis optima fermentatio, hæc enim ex perfecta miſtione, & mutua diuerſorum vnione, vnum quid efficit ab omnibus diuerſum; (quam ob cauſam etiam Medici Theriacam fermentant) hæc talis vnio non poteſt dici ſolius caloris effectus, imò nec in actum deduci à ſimplici calore poteſt. ſiquidem natura ſua potiùs contrarium aptus eſt complere, cùm (ex Ariſtotele) rarefaciendo homogenea congreget, & heterogenea diſgreget. Nos autem contrarium potius optamus, nimirum heterogeneorum ciborum in vnum congregationem, & mutationem; Homogeneorum verò diſperſionem, & diſgregationem, intentum autem habemus à fermentatione, non à calefactione, & coctione. Completa autem fermentatione ciborum coctio finit: completa coctione diſgregatio heterogeneorum, & congregatio homogeneorum emergunt, effectus ſcilicet ſolius caloris. Nam chylus homogeneus attrahitur, congregatur, & ſegregatur etiam à fœcibus hæterogeneis. Quã fermentationẽ, cum effectus caloris non ſit, dicimus à ſpiritu acido fieri, qui viuificus eſt, & miræ actionis, vt altera Epiſtola notaui: nec fermentationem alteri tribuere poſſum: Nam acidi propriam eſſe fermentationem tum Plato, Ariſtoteles, & Theophraſtus ipſius diſcipulus, tum etiam Galenus cum Hippocrate, palàm affirmarunt; itaq. ſi ponenda eſt in ventriculo ciborum fermentatio, hanc concedendum fieri à ſpiritu acido, cuius proprium eſt fermentare, vt alibi diximus. Porrò fermentari cibum in ventriculo agnoſcet quilibet, qui dormientis poſt cibum ori aures ſuas admouebit, ſentiet enim ebullientis cibi ſonitum, veluti ab ebulliente olla.

Fermentatio.

Fermentatur à ſpiritu acido.

Sed dices, ex fermentatione, & motu internorum ſpirituum calor exurgit, vndè ſi in ventriculo adeſt talis motus, aderit etiã in coctione calor auctus; & ſi cibus calido fuerit temperamen-

to corpus incẽdetur,& quaſi vretur, ſi verò frigido, excitabitur in ventriculo frigiditas. nimirum ſi verum eſt, quod alia Epiſt. dicitur. Acidum cum calidis caleſacere, cum frigidis refrigerare; at non ſentitur in ventriculo neque calor, neque frigus poſt cibum, ergo.

Proprietas ſpiritus acidi.

Reſp. Proprietatem ſpiritus acidi in ventriculo, non eſſe commouendi ſolos ſpiritus ſulphureos ciborum ad pugnam. (quamuis in vino ol. vit. id feciſſe dixerim, quia ſolos ſulphureos inuenerat ſpiritus) nam hæc igneorũ ſpirituum proprietas eſt. Neq. etiam ſolos Mercuriales agitat. (vt ol. vit. in aqua fecit: ſolos enim Mercuriales repererat) ſed omnes ſpiritus tàm ſulphureos, & Mercuriales, quam ſalineos excitat pariter, & moderatè, quia moderata eſt aciditas; vndè ob leuem motum, & mutuam ſpirituum temperaturam non ſentitur actio caloris: nec refrigeratur, ſeu calefit immoderatè corpus, non tamen negabitur aliqua caloris auctio, quæ pulſu aucto noſcitur indice caloris aucti, ex Gal. lib. de pulſib. ſæpè; ſemper enim poſt cibum augetur pulſus, ob calorem auctum. Quod ſi quandoq. aciditas ventriculi de ſpiritu ſulphureo plus debito participauerit, propter iſtam ſocietatem, ſulphureorum cibi ſpirituum fit magis motiũa, hinc cibi, magis in ventriculo caleſcunt. Patet id manifeſtò in hecticis, qui ob febrem morbum ſulphuris accenſi, ſpiritu ſulphureo abundant, Mercuriali verò deſtituuntur: his poſt cibum aſſumptum (quod Galenicis notum) corpus totum per aliquod temporis ſpatium plurimum incaleſcit, vt æger indumẽta minuere, & quandoq; denudare ſe cogatur.

Quid febris.

Quatuor ad ciborũ coctionem requirũtur.

Ad optimam igitur ciborum in ventriculo coctionem requiritur. Primò, ciborum apta præparatio, & diſpoſitio. Secundò, retẽtrix facultas robuſta, quæ debito tempore retineat, nec ante perfectam fermentationem, & coctionem deſerat, neq. poſt amplius detineat. Tertiò, requiritur facultas fermentatrix, miſtrix, motiua, & vniens, cibũ rareſaciens, & veluti ſpongioſum reddẽs, permeabilẽ, atq; calori ſubiectũ, & obediẽtem faciens, eundẽq. idoneũ pro chyli attractione, quod opus ab acido pendet. Quartò, calor deſideratur proportionatus: ab extra ſcilicet ne internos ſpiritus reſoluat immodicus, & vt adiuuare deficiẽtes queat. vt pani dum fermentatur accidit: furni enim calor reſoluit ſpiritus;

ritus: frigiditas verò congelans in actum prodire negat. internum calorem produci à motu ſpirituum, dixi. iã ſi defuerit apta ciborum ingeſtorum diſpoſitio, & præparatio, quamuis reliqua omnia ſecundum Naturam, & optimè ſe gerant, lęditur tamen coctio in ventriculo, hinc chylum pituitoſiorem dicunt Galenici, cibi etiam integrè ingeſti, tales quoque deijciuntur, nequaq̃ alterati, & ideo ſemina integra ingeſta (vt ſupra dixi) vitalia tamen adhuc reperiuntur, & incorrupta, propterea quod ſine media præparatione non potuerunt fermentari, nec pati à calore animalis. Si verò retentrix facultas fuerit læſa, vel quia non retinet aliquo proprio vitio, vel ob expultricem irritatam, non mirũ ſi non perficiatur concoctio, nam deficit tẽpus debitũ. Quod ſi nimis cibũ detinuerit, vel nimis aſſatus bileſcet, ſi abundauerint ſpiritus ſulphurei, vel aceſcet panis more nimis, & diutiùs fermentati, ob aciditatis prædominium, vel alio modo corrumpetur pro abundantia Mercurialium, vel ſalineorum ſpirituum, vel etiam miſtura. Aciditas ergo fermentatrix tam deficiens, quàm ſuperfluens morboſa. Quia deſideratur, licet alia ad coctionem requiſita bene ſe habeant, ob defectum fermentationis, idcircò cruditates fiunt, cibusq; incoctus, & imputridus (vt dicebat Hipp.) relinquitur: tunc verò lienterica, vel cœliaca paſſio ſępè fit. Non quidem cita deiectione; ſed vel poſt plurimam ciborum in ventriculo retentionem: cibus enim non fermentatus eſt veluti panis azimus non fermentatus, qui quantumlibet ab igne coquatur, nunquam tamen aſſimilabitur, eiuſdemque erit cum fermentato eſſentiæ. Quod ſi hæc aciditas nimis abundauerit, tunc cibus fermenti copia (vt etiam in pane videmus) aceſcet, & acidi ructus, ſpumoſa excrementa, flatus, & hypochondriorum affectus enaſcentur. Sicut igitur in pane, in ceruiſia, in medone, & alijs, quæ fermentantur, debet fermentum ipſum in iuſta doſi adeſſe: ità dicimus idem in fermentatione ciborum in ventriculo. Aduertendum tamen multiplicem eſſe aciditatem, & ſicut multiplex, variũq; eſt fermentum, ità effectu vario, & aliud alio præſtãtius: & hęc eſt ratio, & cauſa, ob quam pueri hominibus, & homo alio homine faciliùs digerit, coquitq; cibos; imò ob hanc Strutio ferrum, & animalia quædam res alias nobis inconcoctibiles digerunt, & concoquunt. Aciditas

ergo

Ciborum præparatio

Retentrix læſa.

Aciditas re quiritur.

Aciditas multiplex.

ergo ab aciditate, fermentum à fermento differt. Hoc idem ſenſiſſe apparet Paraceſſum de morb. tartareis cap. 16. cum ait. *Si igitur ex Cupro acetoſitas extrahitur, qui iſta acetoſitate vtitur, is cuprum etiam digerit: & ſic de omnium metallorum vitriolatis intelligendum. Cùm igitur de ſtruthione dicitur, quòd omnia Metalla digerit, verùm eſt: quia in omnibus metallis acetoſa vitriolata ſunt. (in ſolo Auro nullum eſt Vitriolum) Eam acetoſitatem eſurinam, quia ſtruthio à natura ſua habet, ideò metallum, & aurum conſumit. Homo autem quia ea caret, arte ſtomachus eius adiuuandus eſt, & ſic confortandus, vt omnia quæ aliàs à Natura, & proprijs viribus nunquam conſumere poſſet, facilè digerat, & conſumat.* Denique ad ciborum coctionem calor (ſcilicet externus circa tamen ventriculum) requiri videtur, ſaltem in homine, & alijs animalibus actu calidis: in piſcibus enim, ſerpentibus, atque inſectis, & exanguibus, calor ſenſibus noſtris non percipitur. fortaſsè ſicut aciditas vitriolata, vel etiam Limonum ſufficit ad diſſolutionem margaritarum ſine alio calore, ita in illis animalibus? an debile acidum, vt operetur, eget calido, non item validum? ita quidem Chimici metallo diſſoluendo infundunt aquam fortem, quæ ſi ob imbecillitatem opus requiſitum retardauerit, tunc admouent (vt inter cæteros docet Duncanus Bornettus agens de Præcipitatione) cineribus calidis, vt calore actuali, qualitas potentialis moueatur, & excitetur: igitur in noſtro ventriculo aciditas fermentatrix debilis exiſtens calidi auxilio eget; vndè videmus calore deficiente fermentationem aboleri; & cruditates permanere, ſi autem exceſſerit nihilominus etiam cruditates adſunt. Ratio eſt, quia antè conuenientem fermentationem, nimis validè cibum calefaciendo aciditatem expellit, vt accidit pani antè completam fermentationem cocto. Sic calor febrilis (ob aciditatis reſolutionem) fermentationem impediendo concoctionem deſtruit. Hinc, quià validior calor aciditatem reſoluit, à qua fiunt flatus rectè dixit Hipp. 5. aph. 72. *Icterici* (ob copiam bilis) *non admodum flatuoſi ſunt:* & febrientes non habent acidos ructus: etenim requiritur ad coctionem in ventriculo moderatus calor, & potiùs debilis, quam nimis intenſus; ob id Neoterici eos, quos cenſent Hepatis eſſe calidioris, ventriculo frigidiores pronunciant

Paracelſus.

Calor ad coctionem ciborum.

Aciditas fermentatrix iuuatur calido.

nunciant, quod coctio minus perfecta habeatur calore illo propinquo. Cùm igitur coctio ſit quaſi ſpecies putrefactionis, corrumpuntur enim cibaria ab ambiente non à propria qualitate, degenerantq. in aliam formam, & eſſentiam: hinc exemplo ducto à nobis notis ad ignota, ab ijs, quæ continuò videmus, argumentari libebit, ad ea, quæ oculis non cernimus. Fiat hoc experimentum à nobis aliàs obſeruatum, caro recens mactata tépore hyberno quam frigidiſſimo in ollam coopertam ponatur cum ſufficienti aqua, ſi māſerit per noctem in cineribus calidis, adeò vt tepida continuò maneat. 12. horarum ſpatio, caro illa fermentabitur leui illo calore, putreſcet, & fœtida erit, quod egomet expertus vidi, ineptaque, qua veſcamur erit. E contra ſi ſtatim ebullierit, & valido calore cocta fuerit, deinde ſequenti die iterum bullierit, ſed velociter, & adhibito ſemper extremo calore: accidet ex hoc, ſi quotidie ſimiliter ebullitio reiterabitur, carnem pluribus diebus eſui aptam ſeruatam iri, nec vnquā fermentabitur, numquam putreſcet, nec malè olebit, etiam ſi tempus fuerit calidum, & æſtiuum. Quo patet fermentationi conuenire calorem tepidum, & moderatum non excedentem, & validum. In ventriculo autem egemus fermentatione, & mutatione quadam, (quæ via quædam eſt ad putredinem, immo putredo ipſa) vt cibus ille deſinat eſſe panis, v.g. vel caro, & cōuertatur in chylum, & ſanguinem, quare non eſt conſeruandus cum ſuis prioribus qualitatibus: calor enim leuis hyeme intra 12. horarum ſpacium (vt dixi) putrefacit carnes, quas calor vehemens æſtate vltrà 12. dies imputridas ſeruare poteſt. Ecquid aliud eſt quęſo (Medici) ciborum coctio in ventriculo, niſi ipſorum putredo? vnus præ omnibus ſufficiat mihi teſtis magnus Magiſter libro περὶ παθῶν, quem dę affectionibus nuncupant, vbi agens de Lienteria. *Cibi deÿciuntur* (inquit) *imputridi, humidi.* τὰ σιτία διαχωρέει ἄσηπτα, ὑγρά. Dicit autē id fieri, quia ob catarrhum è capite deſcendentem in ventriculum cibi humectantur, ac frigefiunt, & addit. *Hinc ſeceſſus illorum non putrefactorum velox contingit.* καὶ ἡ ἄφοδος αὐτῶν ἀσήπτων ταχεῖη γίνεται. dixit autem ἄσηπτα *non putrida*, non putrefacta, pro *non concocta* à verbo Σήπω, quod eſt putrefacio, ac ſi idem eſſet coqui cibum, & putrefieri. nec videtur ab hoc diſſenſiſſe Paracelſus, ſed confir-

Experimentum.

Fermentatio fit calore debili.

Cibi putreſcunt in vētriculo.

maſſe putrefactionem rerum ingeſtarum in ventriculo, lib. 2. Paramiri. cap. 1. *Quicquid in ſtomachum peruenit, ſi non præparaueris, ipſe præparat (modo poſſit) & interrumpit omnia iſtius modi frigora, calores, aliaq. ſimilia, & inquirit arcanum, quia talia in ſtomacho moriuntur: quicquid verò moritur hoc non ſuſcipiet curandum Medicus. Quod ſi autem ſtomachus non diſſoluat, ac diſrumpat id, quod accipit, ſignum eſt ipſius imbecillitatis, & morbi. Nec medicina tunc bona eſt, quia non corrũpitur in ſtomacho in quo debet corrumpi. Medicinæ autem calidæ, vt radices, & alia ſimilia peſte laborantibus traditæ, ſi non putreſiant, nihil boni præſtant: ſi profutura ſint, neceſſario putreſcunt. qua de cauſa iſti non reſtituuntur ſanitati, quorum ſtomachus non corrumpit: ex quo ſequitur, quo celerior putrefactio, eo celerior ſanitas.* Præterea de modo pharmacandi tract. 1. *Quum materia* (inquit) *in ſtomacho exiſtit primus labor eſt, vt artifex natura incipiat ſeparare. Hoc quoties facit, vt excrementa à metallis ſeparentur, primo putrefacit, quæ putrefactio inſeruit ſeparationi.* ſed omittamus Theophraſtum, ne puri Galenici non intelligentes ipſius verba perperam interpretentur.

Paracelſus de putredine ciborũ.

Neceſſaria autem ad putrefactionem eſt fermentatio: hæc enim miſcet, & commutat: ac partes terrenas, atque aereas iactatas inuicem (vt ſcribit Plato in Timeo) inuicem commiſceri cogit. *Concoctio autem* (ex Hipp. lib. de veteri med.) *fit ex permiſtione, & temperatura mutua, & quaſi coctura.* in ventriculo fieri fermentationem docet Hipp. de ver. med. num. 20. dicens: *in feruentem adhuc, & fermentatum nouos ingeſſerunt.* intelligit de cibis ſuperingeſtis alio cibo dũ fermentatur. Requiritur ergo ad concoctionem ciborum putredo, & fermentatio, quæ à ſolo calore fieri nequit, adiuuatur tamen ab eo, ſi lenis, & moderatus fuerit; tunc enim acidus ſpiritus eleuatur, excitatur, & motus principium ſumit, qui commotus fermentat, & commouet materiam ſubiectam ebullitione illa ſua. A magno autem calore non fiunt, ſed deſtruuntur fermentationes, & coctiones ciborum in ventriculo.

Quid concoctio.

Sed ad aciditatem ventriculi fermentatricem ciborum redeamus. liquidò cernimus animalia bruta, herbas ſiccas, fœnum, paleas aridas, ligna, triticum, hordeum, legumina, & huiuſmodi

Cibus Brutorum.

iuſmodi

huiuſmodi ſemina integra, ſolida, & dura ingeſta concoquere; imò quędam (vt fama eſt) etiam metalla, aurum, ferrum, &c. in ventriculo conſumunt. quæ quidem metalla ab acido ſucco ſolo ſine aduentitio calore citiſſimè alterari, erodi, & conſumi vidémus, cum validiſſimus ignis etiam plurium dierum æquè idē operari nequeat. Sed hoc referre poſſum, Gallum Gallinaceum in D. Ill. Equitis Creſcentij altum inter mulieres, ſæpe deuoraſſe digitales dictos, tum ferreos, tum oricalcos, & repertos in ipſius ventriculo fuiſſe ſemicorroſos, & digeſtos. Vnde dicendum videtur, in illorum vētriculis non ſolum adeſſe calorem; ſed aciditatem quandam, quæ coctionis ſit inſtrumentum, & miniſtra. Videmus etiam piſces paruos à maioribus integros deuorari, & coqui in ipſorum ventriculis, 4. vel 5. horarum ſpatio; quod tamen ipſorum calori tribuendum non videtur, cùm à noſtro tactu ſentiatur, vel nullus, vel admodum paucus. Ob id cùm noſter calor, qui vehementior ſentitur, piſces crudos concoquere ineptus exiſtat, ità neque illorum ventriculorum remiſſiſſimus calor per ſe ſolus id ipſum præſtare poterit. ergo erit ponenda neceſſariò aciditas quædam fermentatrix, quæ cibos à pauco illo calore alterabiles efficiat, atque præparet. Sed mirari ſubit, cum repererim piſces deuoratos ſemicorroſos, idest medietatem tantum corroſam, & alteram partem recentiſſimā, ac ſi viuū eſſet animal. nam ſi totus eſt ingeſtus, & viuus piſcis, & totus in magni piſcis ventriculo eſt, cur medietas tantum putreſcit, corroditur, & conſumitur? an in ventriculo erat contrita non concocta medietas piſcis? Similiter frigidiſſimos ad tactum ſerpentes ingeſta omnia concoquere conſtat. Sic exanguia animalia, & inſecta actu quidem frigida, & quia exanguia abſque calore: immo Galen. de fœtus format. *Nullum exangue calidū,* pronunciauit. ergo in his nulla à calido concoctio; ſed de inſectis animalibus, & an ſanguinem habeant leges ſententiam noſtram lib. 1. de inſect. par. 1. cap. 2. vbi Ariſtotelis opinionem perpendimus. Præterea plantæ nutriuntur ex alterato ſucco è terra elicito, cuius fiat ne coctio, & qualiter non eſt huius loci diſcuſſio. Ex quibus omnibus dicendum erit præter calorem in animantibus ad concoctionem aliud quid requiri, quod non erit niſi acidus ſpiritus, qui multiplex etiam erit, vt ex Paracelſo

Concoctio in piſcibus.

In inſectis.

In plantis

quoque diximus: idcircò modo aciditas illa magis, modo minùs copioſa eſt, vti etiam modo magis, modo minus intenſa, & depurata, modo ſimplex, modo compoſita, & ſociata alijs ſpiritibus, ob quos non parum poſtea fermentatio variat. Sic igitur in pueris, qui frequenter comedunt, & probas ſemper facere videntur coctiones, dicere poſſumus, cùm apto calore humido abundare validam non mole, ſed vi, & puritate, aciditatem ſpirituoſam, quæ ſtatim fermentet ingeſta, corrodat, & abſumat; vti affuſa metallis aqua forti illicò cernimus fermentationem, dein corroſionem, deniq. totalem metalli abſumptionem.

Pueri cur facile concoquant.

Nobiſcum videtur ſenſiſſe Paracellus de morb. tartar. c. 16. his verbis. *Sciendum quod ſtomachus præparatur, corroboratur, ac fortior efficitur ſolummodo acetoſis Eſurinis*. deinde ait. *Eſurinum autem acetoſum medicina eſt, quæ à natura ſua ſtomachum ita intendit, & appetentem reddit, vt etiam non edenda edere cupiat, & non digerenda alias facilè digerat.* Demum ſubdit, quod etiam ſupra attulimus nimirum. *Si igitur ex cupro acetoſitas extrahitur, qui iſta acetoſitate vtitur, is cuprum etiam digerit: & ſic de omnium metallorum vitriolatis intelligendum. Cùm igitur de Struthione dicitur, quod omnia metalla digerit, verùm eſt: quia in omnibus metallis acetoſa vitriolata ſunt (in ſolo auro nullum eſt vitriolum) eam acetoſitatem Eſurinam, quia Strathio à natura ſua habet, ideo metallum, & aurum conſumit. homo autem, qui ea caret, arte ſtomachus eius adiuuandus eſt, & ſic confortiandus, vt omnia, quæ alias à Natura, & proprijs viribus nunquam conſumere poſſet, facilè digerat, ac conſumat.* Poſteà ſcribit. Thermas acetoſas, eiuſmodi vitriolatas proprietates in ſe habere præ omnibus autem laudat, & extollit acetoſum fontale in Engedina ad S. Mauritium, & ait. *Ita enim ſtomachus ab iſta aqua corroboratur, vt tartarum conſumat, ac decoquat, ſicuti Struthio ferrum decoquit, & ſicuti Merula Araneas digerit. Nec tartarum ſolum, imò etiam alia omnia, quæ ægritudines in homine generare poſſent, ſi modo iſtorum prima materia in cibo, & potu conſiſtit, cõſumit. ſicut enim omne lignum, ſiue corroſiuum, ſiue planum, ſiue molle, ſiue durum ab igne in fornace conſumitur, ſic in tali ſtomacho omnia, quæ in cibo, potuq. ſunt, & per ea infunduntur, qualiacumque etiam ſunt, conſumuntur.* Ex his patet in ſententia

Paracelſus. de acetoſitate ventriculi.

Aqua Acetoſa.

Para-

Paracelſi non ſolum acidum ventriculo inexiſtens, ſed etiam externum metallicũ, vel in aquis Thermalibus, vel arte ab ipſis metallis extractum (quorum alterum acetoſum naturale, & fontale. Alterum verò acetoſum artificiale, & vitriolatum, ipſe appellat) non modo appetitum excitare: ſed coctionem, & digeſtionem mirificè adiuuare. Huic ſententiæ videntur fauere alij quidam tradentes aquas acidas Thermales coctionem ventriculi inſtaurare, vt Mindererus lib. ſuo de Chalcãtho c. 11. & priùs c. 4. exhibuerat phlegma vitrioli in Diſpepſia, & Bradipepſia, ſeù in deprauata, & tarda coctione, cùm vino remixtum. Vtitur etiam cap. 9. ol. vitriol. cum ſucco Plantaginis ad Lienterias, cui fortè prodeſt fermentandi principium tribuens. Crollius in ſua Baſilica chimica agens de ol. vitriol. ſcribit. *Vtimur 6. 8. guttis in vino, aqua Mentæ criſpæ, vel quod meliùs in iure carnis calido, in debilibus ventriculis frigidis, quia digeſtionem promouet*. Iuuare credimus dum deeſt innata ventriculi aciditas. Euonimus, ſeù Geſnerus laudauit ad debilitatem ſtomachi, ſicut etiam Hieronymus Rubeus, & alij chimici tùm Galenici, tùm Paracelſiſtæ, tum denique etiam Empirici, quos hìc referre ſuperfluum.

Coctio ventriculi iuuatur aquis acetoſis.

Phlegmate vitrioli.

Oleo vitrioli.

Mea opinio eſt ex chylo relicto in ventriculo poſt concoctionem ciborum, & ibi ob vlteriorem fermẽtationem omnino aceſcente fieri aliud fermentum, & quaſi à Natura data opera ibi relinqui, quemadmodum piſtores relinquunt vnum, vel duos panes crudos, vt aceſcant, quibus poſtea vtantur pro fermento alterius panis altera die conficiendi. Qui deinde acidus humor in ventriculo exiſtens, totusq. redditus fermentator, cum portione acidæ bilis à liene tranſmiſſæ ventriculum pungit, dentatq. & ad cibum ſumendum, ac appetendum excitat, & cogit: quo demum aſſumpto, illi miſcetur inibi, & illum fermenti panis ritu fermentat, commouet, commiſcet, ac ebullire facit, ſic rarefactione illa, & ſpongioſitate cibariorum, quæ à ſpiritibus proprijs concitatis fit ob acidos ſpiritus mouentes, & inquietos, (adiuuante calore) ciborum concoctio, & digeſtio perficitur prima. Poſt debitam verò fermentationem neceſsè eſt cibum è ſtomacho detrudi, alioqui nimis in ventriculo permanens ob longam, & ſuperfluam fermentationem totus aceſceret, totus

Vt acidum fermentum fiat in ventriculo.

fer-

fermentum fieret,& tunc Naturæ incõmodus foret. Vnde Hipp. in fine lib. de veter. med. *Acidus (inquit) humor reliquos præcellens, maximè incommodus erit.* Non tamen ſtatim læditur ventriculus. Aſſeruit enim Galenus 5. de vſu part, cap. 4. circa fin. *Acida non nocere ventriculo.* Sed omne nimium Naturæ dicitur inimicum: itaq. expellitur à ventriculo cibus benè fermentatus beneficio mordacitatis acidæ. Verùm accidit quandoq. poſt crapulas die ſequenti, vel ſentiri qualitates ciborum ingeſtorũ, vel aciditatem, vel nidorem fœtidum. Si odor, & ſapor videatur remãſiſſe ijdem, conijciendum ob copiam non fuiſſe demolitam fermentationem, ideò cibos incoctos remãſiſſe. Si verò aciditas ſentietur in ventriculo, (vnde Hipp. de affect. *Ructus acidus contingit, quum quis plura ederit, aut biberit, quàm venter concoquere poteſt.*) accidiſſe cenſendum, quia cùm cibus ſuperfluus fuerit, nec totus chylus ab hepate potuerit attrahi, nec fœces ad inteſtina detrudi, remanſerit cibi non pauca portio in vẽtriculo diutiùs quam oportuerit, quæ ob nimiam fermentationem aciditatem omnimodam acquiſiuerit: hinc flatus ventriculi excitantur ob copiam aciditatis, quæ ſpirituoſa eſt, vt patet in hypocondriacis melancholicis. Pituitoſi autem, & Bilioſi, quibus ſcilicet pauca aciditas ventriculo ineſt, ob quam fieri debet ciborum fermentatio, malè appetunt, & malè concoquunt, illorumq. ſanguis eſt, quaſi panis non fermentatus, minimè ſpirituoſus; contra, ob copiam ſpiritus acidi. (à quo etiam Melancholici, vel Sapientes, vel Dementes,) Quod ſi in his nimis etiam abundet hęc aciditas, vt euenit hypochondriacis, ſemper ventriculus acore plenus ſentitur; ſemper flatus vrgent, & cibus ob nimiam fermenti copiam totus aceſcit, totus fermentum, totus flatus fit, vt in pane contingere ab experiẽtia doceri poſſumus, ſi vel nimis, vel longo valdè tempore fermentetur. Denique ſi nidoroſus, fœtensq. ructus à ventriculo ſurſum feratur, indicium erit ſpirituum ſulphureorum in illa fermentatione excitatorum, idem enim videtur odor quandoq. ac propè Tybur percipitur à ſulphureis halitibus loco dicto *la Solfatara*. & tunc corruptos eſſe cibos dicunt Galenici, deprauatamq. eſſe coctionem à nimio calore, quod non eſt à veritate alienum.

Depravata concoctio.

Per concoquere fortè Hipp. voluit diſtribuere.

Sed ipſorum Galenicorum decreto, & cõſenſu noſtra opinio

eſt

eſt confirmanda. tradunt vnanimes famem auctam, & deprauatam fieri ab humore acido in ventriculo permanente, in hac fame multa, & continuò ingerunt, & concoquunt, interdum verò ob nimietatem coquere nequeunt, ſæpè tamen concoxiſſe apparet: vnde dicendum hanc aciditatem breui perfeciſſe, quod aliàs per Galenicos calor naturalis non niſi aliquot horarum ſpatio perficere poteſt. Immò Galenici appetitum excedentem fieri dicunt ab intemperie frigida, in qua quidem melius, & citius concoqui cibos videmus, q̃ in intemperie calida: patebit hoc dictis Galeni, vt com. 21. in 2. aph. *Caninum appetitum Medici nominant vehementem, & indeſinentem ciborum appetẽtiam.* deinde. *Canini appetitus fieri conſueuerunt, vel propter ſolam intemperaturam frigidiorem, vel propter humores acidos, quos exorbuit os ventriculi.* manifeſtò hic fatetur cauſam excedentis appetitus. & de plenit. cap. 11. ſcribit. *Ex pituita acida, quum redundat, famelici, quemadmodum ſiticuloſi ex ſalſa, ex cruda amittitur appetentia. Appetentia verò, atque eiuſdem defectus ex ſtomaco, aliàs alio modo affecto proueniunt. Patet autem ſtomachum hoc loco os ipſius ventriculi appellari: vbi ſi pituita colligatur appetitiones excitat: ſi verò bilioſi humores, & bilis ea flaua fuerit, ſtatim, & cibi faſtidium pariet, & propterea os illi erit amarulentum; at ſi atra moroſi, & triſtes, & ſine ſiti: ſaliuaq. plurimum illis ſtatet: nec ita tamen omnes cibum faſtidiunt: imò eorum nonnulli ſatis famelici ſunt, in quibus nimirum atra bilis acida qualitate fuerit affecta, quod fit vbi ea malignior redditur. Porrò dum ea veluti fæx ſanguinis permanet, neq. exactè adhuc acida facta eſt, ſatis forſan ſit, nondum melancholiam, ſeu atrãbilem nominare: ſed (vt nos ſolemus) melancholicum potiùs humorem, quando propè acceſſit, vt in melancholiam vertatur.* Ex his patet, quod dixi ſupra, multiplicem eſſe ventriculi aciditatem, vt pituitam acidam, atram bilem, melãcholicum humorem plus, & minus acidum. ſcribit etiam 1. de ſympt. cau. 7. *Vitioſæ verò appetentiæ, quæ quidem in quantitate modum excedunt vocantur à quibuſdam caninæ, tum exiſtunt, cum vel acidus quiſpiam vitioſus ſuccus ventriculum mordet, vel totum corpus immodicè euacuatum, inops alimenti redditur, vel caloris robore, vel retentricis facultatis imbecillitate. Proinde in priore affectu accidit, vt plu-*

Confirmatur noſtra opinio Galenicorum axiomatibus.

Galenus de appetitu canino.

rima

rima ſumptorum incidat deiecto. in ſecundo ceù qui ex euacuatione habitus ſit confluxus, alimentum in corpus degeri. Vitioſus namq. ſuccus, qui frigidus eſt ſimilem ſucti morſum infert: appetentiam verò proritat, naturalis affectus ſimilitudine: alimenti autem non potus deſiderium excitat propter frigus. itaq. etiam non parum ad eſuriem, frigiditas eorum, quæ in ventre habentur, confert, cùm & corpora vacuet, & eorum tunicas cogendo, conſtringendoq. ad appetentiam irritet. Hic patet appetitum à frigiditate oriri, ſitim à calore. quod ſi concoctio eorum deberet fieri à cauſa contraria illi, quę appetitum cibi excitauit, cur non etiam dicent potum à calido appetitum, à frigido concoqui, vel potū à frigido peti? Patet prætereà Galenum non appellare famem à ſucco acido naturalem; ſed ſimilem naturali: cum tamen naturalis in ipſius doctrina dici deberet: ſi quidem ex Galenicis Lienis officium eſt acidam bilem tranſmittere ad ventriculum, vt excitet appetitum, vnde Paul. lib. 3. c. 49. ſi in liene expultricis debilitas eſt, dum non amplius melācholicum excrementum à liene ad ventriculi oſtium defertur, vt appetentiam excitet, adeſt cibi faſtidium. quod enim à Natura peculiari organo, & inſtrumento deſtinatum eſt, naturale dicendum videtur.

Appetitus à frigido ſitis à calido.

Sed multa de famis, & appetitus cauſis apud Auctores Medicos legimus, concludunt denique: moderatum appetitum à Natura, excedētem verò, vel vitiatū non ab eadem fieri Natura. Nos breuiter dicemus eādem vim vnam numero, non plures (niſi illius ſpecie) appetitum excitare, quæ. ſ. in ore ventriculi ſit, & à ſucco acido, qui, ſi moderatus extiterit, moderatū excitabit appetitum; ſi deficiens, imminutum; ſi abundans, excedentem; ſi vitiatus, deprauatum, & alienum. Qui idem ſuccus in fundo eiuſdem ventriculi exiſtens, ſi moderatus, probam efficiet ciborum fermentationem, ſi deficiens, aderit cruditas, ſi excedens ob nimiam fermentationem, & aceſcent cibi, & flatus plures excitabuntur, ſi vitiatus, coctio deprauata erit, nidoroſa, fœtens, ſulphurea.

Appetitus à quo fiat.

Concoctio à quo fiat.

Sed dices. Colligitur ex citatis Galeni locis appetitum immoderatum fieri ab acido, & frigido, non autem concoctionem, in his enim morbis pauca fit coctio: ideo Gal. in arte med. c. 63. *Ventriculus* (inquit) *frigidior ad appetendum quidem idoneus, ad*

Obiectio contra dicta.

concoquendum autem non idoneus. Quare aliud eſt appetere, aliud concoquere: & quamuis aciditati condonari poſſit cibi appetitus, coctio tamen illi deneganda.

Reſpon. Verba noſtra eſſe rectè conſideranda, ob id addimus, omnes quidem fateri communiter ab acidis appetitum excitari; ideò Lienis vſum agnoſcunt eſſe ob melancholiæ tranſmiſſionem ad ventriculum pro appetitu excitando. vt tradit Andr. Laurent. anat. lib. 6. q. 26. & alij Anatomici: hinc huius aciditatis naturalis defectum alia acida ſupplere fatetur Auic. cap. de ſignis appetitus canini; imò Medici paſſim, naturæ imitatione, ad appetitum excitandũ acida exhibent, vt patet Auctores legenti; quod ſi in ore ventriculi acida deficiant, deſtrui appetitum fatentur omnes: hæc enim conſtringendo, denſando, vellicandoque: atque veluti ſugendo, vt ait Gal. loc. cit. appetitum excitant, quæ ſi modum exceſſerint, fames quoque ipſa excedit ſuos conſuetos terminos, & magis quam concoqui poſſit, appetitur cibus, & quaſi coactè ingeritur, ructus præterea acidi fiunt, abundantis inibi ſigna aciditatis. Eſt igitur appetitus ſedes, & locus affectus ventriculi os, coctionis verò ipſius corpus, cauitas, & fundus. & quidem vt variat locus, & actio, ita quoque cauſam variare Galenici cenſuere: Nos autem dicimus idem acidum vtranque adiuuare actionem, & ab eodem acido fieri appetitum, & concoctionem dictam fermentando iuuari.

Lienis vſus Acida appetitum excitant.

Acidum adiuuare coction. m.

Primo ſic apparet, quia ſæpè ſimul coniunguntur, vt, qui benè appetit, benè etiam concoquat, & è contra. & rarò ſine appetitu videmus fieri probas coctiones. Videmus etiam cibum appetitũ meliùs confici in ventriculo, quam non appetitũ. Ideò Hipp. rectè cõſuluit 2. aph. 38. *Parùm deterior potus, & cibus, ſuauior autem, melioribus quidem, ſed minus ſuauibus eſt præferendus.* & addit Gal. in com. *Quæcumq. cum voluptate aſſumuntur, iſta ventriculus amplexatur, & facilius concoquit*. ergò ideo facilius concoquit, quia ſimile eſt appetens, & concoquens.

Probatur primo.

Secundo, acida coctionem iuuare ità audito. Ex Liene in ventriculum excrementum effundi docuit Galenus 3. de nat. fac. cap. 13. ſed clariſſimè ſententiam noſtram confirmat 5. de vſu part. c. 4. vbi agens de vſu Lienis, & eius excrementi, ſcribit. *Nihil miri ſit, ſi etiam excrementum melancholicum, qui in Liene elaborari, ac mutari non potuit, non in propinqua ano inteſtina;*

Probatur ſecundo.

ſed in ipſum ventriculum excretum eſt. deinde addit. *Quod verò nullam ventriculo afferat noxam, indicat ipſa qualitas: acerba enim eſt, atque acida bilis atra, & contrahere ipſum, ac conſtringere, non, vt flaua, ſubuertere nata eſt. Conſtat ergo, quod ſi bilis noxia eſſe memorabatur, propterea vetaret cibos diutius in ventriculo concoqui, atram certè bilem non modo non lædere comperiemus, ſed & actionem inſuper ipſius adiuuare; nàm ventriculũ intendit, ac contrahit in ſe ipſum, cogitq. cibos ad vnguem circũplecti, atque retinere quouſque fuerint percocti*. ſic etiam Andr. Laurentius ſcripſit. *Putat Auicenna melancholicum ſuccum aſtrictione ſua non appetentiam modo, ſed etiam retentionem, & coctionem iuuare.* addit Laurentius, Vas venoſum ſe obſeruaſſe, per quod, vt veriſimile eſt, à Liene in ventriculi fundũ demandatur melancholici ſucci pars. ſcribit etiam. *Cur autem in ventriculi fundum effundatur melancholicus ſuccus, vulgaris, & vera opinio eſt, ad excitandam appetentiam id fieri: frigidus enim eſt, & auſterus; at, frigida omnia, quia aſtringunt, & corrugant ventriculi os, appetentiam excitant*. Sed mirùm mihi videtur, quia ſi hunc humorem deſtinauit Natura (prout hic aſſerit) ad appetitum excitandũ, potius ori ventriculi, quam eius fundo, inſerere debuiſſet; mihi autem videtur illius magis egere ventriculi fundus ad coctionẽ, & fermentationem, quam ipſius os ad appetitum excitandum. Quo fatendum fore mihi videtur aciditatem coctioni omnino neceſſariam, velint, nolintuè Galenici. Nec ſufficiens eſt Laurentij reſponſio. *id factum, ne ventriculi os continuo mordens, & vellicans famem perpetuã excitaret*. quia præter q̃ quod explicare debuiſſet quomodo ex fundo ad eius os reperet hic acidus ſuccus, vt illud excitaret ad appetendũ, quid in fundo agat; abſurdum etiam eſt dicere alium eſſe locum affectum in appetitu, alium verò eſſe locum continentem materiam, quę excitet appetitum: etenim ſi in fundo erit, illum tantum tangendo afficiet.

Vas à Liene ad ventriculum ferens melancoliam.

A. Laurentio reſponſio inualida.

Tertio, idem concludendum videtur, quia ſi hoc acidum fermentans in ventriculo defuerit, cibum non fermẽtari, non concoqui videmus; & idem ſpiritus acidus ille eſt, quem *ventriculi Alchimiſtam* vocat Paracelſ. trac. 2. de ente venen. c. 7. Hinc aliquando Lienterica, & Cęliaca paſſio ſepè oriuntur: chylus enim attrahi nequit, & ſeparari à fœcibus, niſi cibi fuerint fermentati,

Probatur tertio acidum iuuare coctionem.

quas

quas affectiones quamuis à pluribus cauſis prouenire doceant Auctores defectu tamen aciditatis in ventriculo non rarò accidere opinamur: ſed tùm præcipuè, cùm cibi diutiùs retenti, crudi tamen egeruntur, & tunc Lientericum fluxum ſumimus non pro veloci exitu commeſtorum ciborum; ſed pro priuatione coctionis, vtramque enim deſcriptionem, ſeu differentiam potiùs Lienteriæ attulit Gal.6.aph.1.& ipſum inibi Hippocratis Aphoriſ. *In longis læuitatibus inteſtinorum, ructus acidus accedens qui priùs non erat, ſignum bonum.* ſic explicamus. Quia in Lienteria quandoq. ob priuationem aciditatis non fit concoctio, fermentatio, & chyli attractio, idcircò deijciuntur incocti, crudi, imputridi, & non fermentati: ſi his acceſſerit ructus acidus, ſignum erit bonum: indicat enim materiam aceſcere, & ideo fermentationem poſſe fieri in ventriculo, hac ſiquidem ablata, proba etiam aufertur coctio. addidit Hipp. *qui priùs non erat.* Nam priùs exiſtens non ipſius acidi defectum eſſe cauſam affectus denunciat; ſed vel alteratricem vitiatam, vel retentricem, vel expultricem læſas: vel denique hepatis attractricem vitiatam, & impeditam, quia quamuis proba fiat fertatio, aliud tamen deficit requiſitum. Scio id aliter explicare Galenicos iuratos, & fortè non admiſſuros hanc aciditatem in ventriculo, quia non legerint in Galeni codice, nihil mihi curæ hoc eſt. dixi opinionem meam, nullum cogo, ſuæ quilibet ſit libertatis. Quod ſi ex Galeni verbis neutiq. viſus fuerit probari poſſe huius aciditatis vſus in ventriculo, quid abſurdi? an omnia nouit ſolus Galenus? an nihil reliquit poſterioribus inueſtigandum? Quo merito infudit illi vni Deus (quod alteri nulli) totam, perfectam, ac integram medicinæ ſcientiam, nihil nobis relinquens? an potiùs Idolatræ, quã Chriſtianis tot Medicis? mihi rectè quidem arbitrari videtur Petrus Seuerinus in peroratione ſuæ ideæ medicæ. *Totius Naturæ Lumen in ſolo Galeno non fuiſſe exhauſtum, ſed adhuc relicta ſemina in ſapientiæ theſauris, quæ temporibus, & nationibus in ſeculi conſumptionem immutabili lege deſtinata ſunt.* Patet hoc, quia poſt Galenum tanta Medicinæ facta eſt additio, vt triplo auctam dicere poſſimus, ſi medicamenta ab Arabibus inuenta, & Chymicam diſciplinam reſpexerimus. Datum Romæ 30. Martij 1626.

Hip. aph. 1. ſect. 6. explicatur.

Medicina poſt Galenum valdè aucta.

Illuſtri, & Excellentiſſimo Domino Ioanni Fabro Medico, & Profeſſori Romæ.

G. Grembs Sereniſſimi Bauariæ Ducis Medicus.

EPISTOLA SEXTA.

Agitur de vſu nocuo olei vitrioli.

Faber inſti gat Germanos contra Caſtellum.

NOBILIS, & Clariſſime vir Amice antiquiſſime ternis, vel quaternis tuis me monuiſti litteris, vt D. Mindererum ad reſpondendum Caſtelli dubijs inſtigarem, id, quod paucos antè dies prolixa ſatis Epiſtola præſtiti, reſponſum expectans quātò citiùs tibi communicandū. Semina nuper per cerniculum tranſmiſſa terra condidi è quibus paucula quædam emerſere, ſed forſan nimis ſerò.

Faber mittit argum. contra Caſtellum.

Quæ nupèr circa primam dubitationem attuliſti argumenta experimentis fulta, illa quidem ſpecimen veritatis præſeferunt, non tamen omninò Olei Vitrioli innocentiam, & integritatem acrimonia erodente (qualem aqua fortis habet) carentem probant: quod enim eundem ferè producit effectum, id non valdè diſtare videtur; ſed Oleum Vitrioli eundem cum aqua forti producit effectum. ergo non multum ab ea diſtare videtur.

Ol. Vitrioli non diſtat ab aqua forti.

Chymiſtæ oleo vitrioli, vel ſulphuris præcipitant Mercurium, & Lunam in calcem redigunt, id præſtat aqua fortis. ergo iſta duo non multùm inter ſe diſtant. Deindè etiamſi vitriolum Romanum pro oleo vitrioli parando eligatur, nihilominus tàm purum nunquam inuenitur, quin partes aliquæ Nitri, & Aluminis ſint remixtæ, ex quibus tribus aqua fortis Aurifabrorum parari ſolet. ergo oleum vitrioli eſt aqua fortis ſimplex, & per conſequens eius vſus frequens non eſt admodum tutus. Sennertus noſtro ſeculo Medicus chymicus præſtantiſſimus crebro vſu olei vitrioli pluri mos in incurabilem Maraſmum incidiſſe obſer-

Ol. Vitrioli eſt aqua fortis ſimplex.

Maraſmus ab O.V.

obſeruauit. Amatus Luſitanus cent.5.curat.71. ſuccum limonum crebo aſſumptum viris incorpulentiam conciliare ait, allegatq. experientiam de quodam Principe Italiæ, ſi plantale hoc facit,quid non faciet acetum minerale?

Quod oleum vitrioli inſenſatus Caſtellus frigidiſſimum ſtatuat, valdè decipitur, quoniam potiùs calidiſſimum, & cauſticum,vel ipſemet Mindererus aſſerit. Guſtu enim acerrimum videtur, & cauſticum in tantùm, vt tactu abſceſſus rumpãtur. ventriculum erodit ob caliditatem,& ſiccitatem mordicantem. Vnde vidi ex vſu eius crebriori internam ventriculi tunicam in quibuſdam totam conſumptam fuiſſe, pulmonem exulcerat, præcipuè in macilentis,ob acredinem vitrioli; vndè in φθίσιν degenerant, & exeſos pulmones eijciunt. Hepati inducit cachexiam, moderatum enim ventriculi calorem, qui concoquendo deſtinatur obtundit, mox hepar,vbi ſanguinis officina,corrumpit. Inteſtinis tàm ingentes ſæpè cruciatus affert, vt interiora omnia vri, & radi clamitent ægri ob cauſticam huius vim,& qui curant tales,exiſtimant eos colica laborare communi, quæ ortum à pituita vitrea ducit. Nocumenta olei vitrioli.

Corpora inſigniter extenuat ob noxam calidam, & ſiccam, quam infert præcipuè hepati, quod durum redditum ſanguinem laudabilem generationi aptum generare non poteſt. Vndè tandem id ipſum diſſolutum fruſtulatim excernitur,& fluxus fit hepaticus. Neruis mordicationem inducit ob extremam aciditatem,qua neruis, & partibus neruoſis infeſtum. Vndè Mulieribus,& Viris oleum, vel ſpiritus vitrioli ſæpius exhibitum ſteriles reddit. vt enim acetum iuxta Diuinum Hipp. ὑστεραλγὲς multò magis oleum, & ſpiritus Chalcanthi vtero erit infeſtum, & inimicum, dolorem enim & ſuffocationem parit, quam ſequi ſolet Epilepſia morbus omninò portentoſus.

Sed dicet quis. ſi in tanta noxa cur appetentiam,vt acetum, excitat? Obiectio prima.

Gratularis tibi Amice ad aliquod tempus de bono appetitu, procedente autem tempore in ventre, vel pulmone, vel hepate, vel alijs membris damnum experieris, cum gemitu, lacrimis, & eiulatu. In primis ſi macilentus es. ſi talis, patens, peruium, & expeditum, perages iter ad φθίσιν ob ſiccam tuſſim, oleum .n. Reſponſio.

id corrodit pulmones, nec vllo modo putredini pulmonis obſiſtit. ad hæc accedit quotidiana experientia, quotquot eiuſdem vſu quotidiano delectantur, tuſſiculoſos, breuiſpiros, & anheloſos eſſe, inter quos eſt amicus meus.

Obiectio ſecunda. Datur tamen febricitantibus ad extinguendam ſitim, & refrigerandum?

Reſponſio. Irrationalis es Hermeticus, nec febris cauſam, nec vim, ac naturam olei vitrioli rectè noſti: Cauſticum enim eſt, & erodens, vt Vitrum etiam in quo aſſeruatur, exedat: idcircò non ſine noxa febricitantibus dari poteſt, quibus vinum quantumuis dilutum negatur.

Quid audio Doct. Faber? Grembſius tàm citò mutauit ſententiam, & qui antea ſupra cœlum tollebat multùm plus quàm benedictum, nunc damnat tamquam maledictum. Vſum ſpiritus, vel olei vitrioli non penitus reijcio: ſed in quibuſdam caſibus, & naturis peculiaribus, & nimis crebrum, & quotidiano multo damno, & cautè exhibendum autumo, & præſertim quādo experientia in cadauerum ſectionibus capiatur, quando ventriculi ſunt eroſi, exeſi, ſine tunicis, & rugis reperti, quando præceſſit creber vſus ol. vitr. quid aliud cogitare poſſis, quàm quòd eius vſus nimis frequens, & incautus ſit noxius. & hęc de vitriolo. Vale Clariſſime Vir, & crebris tuis litteris me aliàs melancholicum valdè recrea. Monachij 22. Iulij 1620.

Spiritus vitrioli cautè vſurpandus

Dux maximus cùm duobus meis collegis Chymiatris ad Caſtra perrexit, meq. valetudinarium domi reliquit.

Totus tuus G. Grembs.

Admo-

Admodum Illuſtri, & Excellentiſſimo D.D. G. Grembſio Germano Sereniſſimi Bauariæ Ducis Medico.

Petrus Caſtellus Medicus Romanus. S. D.

EPISTOLA SEPTIMA.

Tuetur vſum Olei Vitrioli, & reſpondet præcedenti.

VIDI (Nobiliſſime, & Clariſſime Vir) eruditiſſimum quoddam Chirographum tuum Ioanni Fabro tranſmiſſum, in quo doctè quidem, & eleganter de vſu olei, & ſpiritus vitrioli cùm eo amicè diſputas. In ipſo tamen me aliquantulum tuis verbis acutioribus punctum, & offenſum reperi, & ſenſi. Nè igitur omninò *inſenſatum* (qui ſcilicet nec vulnera inflicta ſentiam) me eſſe cenſeas, ad te amicè ſcribere decreui pauca quædam in defenſionem eorum, in quibus me decipi dixiſti; paucula etiam addam breuiter conſiderans reliquas tuæ litteræ ſententias.

Tu igitur *inſenſatum* illum vocas, quem ſenſatiſſimum nuncupare deberes? in iudicadis enim olei vitrioli ſapore, & qualitatibus ſenſum potiùs quàm rationē inſequi volui. At agnoſco te oſcitanter, & poſt Epulas mea perlegiſſe. Equidem oleum vitrioli linguæ ſenſui quoties ſubijcio ferre vehementiam nequeo. quid agendum? recordor ab Ariſtotele ſcriptum 2. de anima tex. 123. *Vehemens ſenſibile ſenſorium lædere.* hinc colligo oleum vitrioli eſſe nimis vehemens ſenſibile, quod ſenſorium meum ferre nequibat, & ſicut viſionis ſenſorium Solis puros radios ob vehementiam perpeti impotens eſt, & magnus ſonus audiens ſenſorium ſæpè læſit. ſic in guſtu vehemens ſenſibile certum erit ſimilia acturum. ergo ne ſenſorium lædatur, & vt perfectè cognoſcere, ſentire, iudicareq. de propoſita queat re, nullam aliam inuenio rationem, niſi imbecillitandi vehemens illud ſenſibile: ſic Solem inſpicio aliquo medio: magnum ſonū

Iniuſtè me inſenſatum dicit.

longiùs

longiùs audire quæro: validum ſaporem refractum guſtare conor. ſic me inſenſatum dicis, eo, quod lingua mea non reſiſtat actiuitati olei vitrioli? nugaris; nec tuam reſiſtere pro certo habeo. Age igitur,& ſimul clarum,& purum vitrioli oleum (non illud vltimum,quod iam reieci in meis ſcriptis) vel ſi mauis ſpiritum ipſum legitimum, & ſincerum deguſtemus. annè ſentis linguam mordicare? ſenties certe. quid cauſæ? *frigidum mordax* dixit Hip.negas? non credo; etiam calidũ mordax ſcripſit,& febris mordax.6.epid.dicitur. igitur sẽtio ignem mordacẽ;ſentio, & Niuem mordacẽ.ſic tactus ſenſus ſe habet.In guſtu verò ſentio cum Galen. *Acidum mordax*,*acre mordax*,*amarum mordax*. imò etiam *ſalſum mordax*. annè vera ab his omnibus mordicatio? à calido, à frigido? minimè te negaturum ſuſpicor. tamen teſtes habeo ſenſum non rationem ſequentes. Virg.

. . . . . rapidiuè potentia Solis
Acrior,aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Baccius 1. de Thermis c. 12. Acutus modo acris, modo acidus intelligitur.

Item Q.Serenus cap.60 vtriuſque vſtioni mederi docens.

Sunt diuerſa quidem mala frigoris, atque caloris,
Sed tamen amborum ſimili nocet vlcere virus.
Illa quoque vſta putes,quæ ſunt niue læſa rigenti.

& Plinius lib.18.c.28.in plantis omnem vredinem, ſcribit, frigore tantum conſtare,ſole innoxio.vrit ergo frigus ſenſu oſtendente. Sed ad ſaporem. Mordacitas vehemens impedit ſui veram cognitionem; igitur lingua nè vratur, nè ſenſorium lædatur,nullum aliud habeo conſilium,vt dixi ſuprà,niſi imbecillitandi adeò iſtum ſpiritum acidiſſimum, vt ne lingua lædatur, ac ita rectè ſentire,guſtare,& iudicare queat. Miſceamus ergò iuſtam aquæ doſim huic vitrioli ſpiritui,& agitato vaſe deguſtemus. Equidem ſentio aciditatem,& effectus aciditatis: ſi ſuccus limonum acidus eſt, acidum quoque erit Oxicratum hoc, idem enim ſapor.

Ol. vitrioli cauſticum. Tu inſtas, ſpiritum vitrioli cauſticum dicens: deludis quæſtionem.Non ego propino ægris oleum vitrioli purum,ſed Oxicratum, hoc exhibeo, hoc laudo, hoc vituperare aduerſarios opus eſt. Tu verò ne refugias cum quibuſdam vſque ad vitriolum

lum crudum, à quo ſpiritus noſter acidus abſtrahitur,qui fortè etiam vſque ad Elementa,& materiam primam vitrioli progredi poſſent,arguentes materiam primam non conuenire ægrotis, ergo neque oleum vitrioli, ſed hæc riſu digna ſunt. Vndè non minus accuſandus erat Medicus ille, quem percōtatus quidam de viribus caſei,butiri,& ſeri: Lactis vires ex quo eliciebantur habere reſpondit, non aduertens aliam vim ineſſe parti,aliam toti: quàm accuſandi nunc ſint,qui vitrioli crudi vires ſpiritui extracto tribuunt. Præthereà (eruditè vir) nolo confugias ad oleum nigrum, & ineptè paratum: imò mittamus oleum ipſum potabile purum,& merum; ſic quoq. ipſum mittamus ſpiritum: ob vehementiſſimum ſenſum, quem ſine noxa ſenſorium noſtrum ſentire non valet; Volo enim eſſe omninò ſenſatus, non autem inſenſatus, vt tu me appellas. Quæſtiō noſtra ſit rogo paulisper,circa aquam puram ſaporis, & qualitatis omnis penitus expertem, cui aliquot tantùm guttæ ſpiritus acidi vitrioli ſint mixtæ,ita vt guſtum minimè lædat: hanc deguſtemus:hanc expendamus: circa hanc digladiemur, & lucubremus; Nam talem ſæpè, & ſumere,& exhibere ſoleo, ſolentq. experti Chymiatri. Quum deguſto,talem ſentio,ac ſi illi Limonum ſuccum miſcuiſſem, ſimilis mordicatio, ſimilis aciditas, ac ſimilis dentium congelatio,& illigatio apparet. Quod ſi tuum valet argumentum, habeo pluſquam intentum. ais. *Quod eundem ferè producit effectum,id non valdè diſtare videtur &c.* ego conuerto, ſed oleum vitrioli eundem cùm ſucco Limonum producit effectum. *Ergo* (tua eſt concluſio) *non multum ab eo diſtare videtur.* Ad probandam verò meam minorem te ipſum adduco teſtem, qui comparas vtrumque: Præterea ſcribis, oleum vitrioli corpora inſigniter extenuare,vt denique in Maraſmum deducat,& adhoc probandum vteris auctoritate Amati aſſerentis ſuccum Limonum incorpulentiam efficere. Porrò autem ſi per te ol. vitr.agit,vt ſuccus Limonum,qui aciditate ſola operatur. ergo etiam ol. vitrioli aciditate ſola corpora emaciabit: ſed pura aciditas frigida eſt. ergo pura frigida aciditate ol.vitr.corpora emaciabit, non autem cauſtica, non calida vi vlla. Galenus quidem nobis ſuffragatur,ſcilicet de ſimp.m.f.cap.26.ſcribens. *Acre ſimiliter, vt acidum extenuat; ſed in hoc differt, quod alte-*

Abſurdit. Aduerſarum.

Quid ſit quærendum

Argumentū Grebſij vertitur in ipſum.

Ol.vitr.acidum,vt ſuccus limonij

rum refrigeret, alterum calefaciat. Addemus apud nos, à Chymicis ex ſucco Limonum, quibus Romę abundamus, adeò mordacem, cauſticũ, & vehementem parari liquorem, vt oleum vitrioli euincat, talem Limonum, ac Citriorum ſuccum aliquoties deguſtauimus apud Illuſtriſſimum Equitem, & Chymicorum, aliquorumq. eruditorum Verum Mœcenatem. quo ex tempore parat aciditatis Citri ſaccharatum dilutum. primo diluit aqua ſufficienti aliquot grana extracti ſucci Limonum, indè ſacchari addit quantum libet. An dices etiam ſuccum Limonum non acidum, ſed acerrimum, & calidiſſimum?

Ol. vitrioli acidum eſſe. Atque acidum eſſe oleum vitrioli, ac frigidum, quamuis teſtimonia adſint Paracelſi, Quercetani, & aliorum Chymicorum, ac dicat Libauius ſæpe, ſed præcipuè in Iudic. Aqu. Mineral. cap. 36. *Liquor oleoſus chalcanthi acidus eſt adeò, vt ſtuporem dentibus maximum afferat, & acetum quoque vincat.* tamen ex tua epiſtola colligere malo, vt meus, etiam ſi inuitus, ſis teſtis nulla exceptione dignus. Itaque *Neruis* (ais) *mordicationem inducit ob extremam aciditatem.* Ergo acidiſſimum tumet ipſe

Probatur ex Grēbſio fateris: habeo iam probatum teſtem de aciditate olei, & ſpiritus vitrioli. addis. *Oleum chalcanthi aceti modo vtero inimicum, imò infeſtius.* at acetum vt acidum, & frigidum vtero aduerſatur. (ex Gal. Valeſ. & alijs in tex. Hipp. 39. lib. 3. de victu acut.) Ergo per te aget in Vterum, & Neruos ol. vitrioli ſumma ſua aciditate, non acredine. Ergo per te acre non eſt, ſed acidiſſimum.

Præterea *frigidum neruis inimicum, dentibus inimicum, calidum verò amicum* ex Hipp. 5. aph. 18. nec non *vtero calidum amicum, frigidum inimicum, & perimens.* ex aph. 22. Tu aſſeris

Secunda ratio. oleum vitrioli ſua aciditate neruis, & vtero inimicum. Ergo frigidiſſimum erit, & acidiſſimum, & perconſequens nullo modo calidiſſimum, vt tu falsò aſſeruiſti: Inimicitia etiam olei vitrioli cùm dentibus, ſi Hipp. credimus, clarè oſtendit ipſum eſſe frigidiſſimum, & acidiſſimum, non calidum.

Inſuper addis appetentiam excitare, vt acetum, ecce fateris

Tertia ratio. iterum ol. vitrioli eſſe acidum. Dic quæſo, putaſnè ab acribus, an verò ab acidis appetitum excitari? à frigidis, an à calidis? Galenus noſter appetitum à frigidis excitari ſcribit, 2. de temp. 2. & 1. de ſympt. cau. 7. pluribus explicat frigida, vel acida appeti-

petitum reuocare; quod idem aſſeruit Paracelſus de morb. Tartareis cap. 16. & alibi. Calidum verò appetentiam deijcit ex Galeno 2. aphor. 20. & ſitim non famem parit. Si ergo oleum vitrioli appetentiam excitat aceti modo, vt omnes clamant, & tu quoque fateris, neceſſariò erit acidum, & frigidum, non autem acre, & calidum. Itaq. in hoc Oxicrato ſi nullam ſenſu percipio acredinem? ſi nullus ex quotquot mecum deguſtarunt percepit? cur inſenſatus dicar non video? Nimis ſenſate Grembſie quo ſenſu, qua via iudicas oleum vitrioli? an (vt de Aquila aiunt Solem ipſum purum aſpiciente) cenſes, te merum oleum vitrioli deguſtando, ipſius verum ſaporem iudicare poſſe? certè ſomnia, vel fabulas pueris narrare autumas. Equidem nō poſſum niſi acidiſſimum iudicare, quia non niſi acidiſſimam hanc poſcam deguſtaui. Irridetur ſenſatio Grembſij.

Dices fortè aciditatem ſolam ſentiri, quia ab aqua ſit retuſa acrimonia. Euge ſalua res eſt: ſi hæc eſt retuſa, non poterit agere, aget autem ſola aciditas. ergo vt acidum tantùm operabitur hoc Oxicratum: acrimoniam quidem ab aciditate etiam retundi alibi ſcripſi; verùm alias monui non ſumendum quemcumquè liquorem, qui circumferatur nomine olei chalcanthi. Dixi vitriolum hererogeneum continens partes frigidas, calidas, ſtipticas, laxantes, ſoporiferas, acres, ſalſas, acidas, inſipidas, &c. totum negotium conſiſtit in ſeparatione. Si à perito Chymico rectè paretur ſpiritus vitrioli, erit acidiſſimus, cum ſubdulcedine quadam, ac expers vllius acrimoniæ: aliàs ſæpè circumfertur miſcela quædam vilis, & mala; vndè non mirùm, ſi mali effectus. Itaque impoſturæ ſunt variæ, miſcent vitriolo aliqui Nitrum, vt oleum copioſiùs eliciant, teſte Kernero; alij aliter vitiant. Vndè ſi ex praui ol. vitr. vſu infelix quandoque euentus, culpatur ab indoctis exquiſitus, optimusq. vitriol. ſpiritus. Paracelſ. in defenſ. ſua 3. *Qualis ergò* (inquit) *eſt præparatio tale quoque euadit vitriolum*. Conandum igitur erit vitriolum depurare ab omni alienitate, & ex illo puro diſtinctos liquores diſtinctè colligere, & in optima ſeparatione conſiſtit ſcientia veri Chymici. Obiectio. Solutio. Ol. vitr. falſum.

Si inſtas deguſtandum guttatim oleum, & ſpiritum vitrioli, tandem annuam. Sed deguſtato etiam acidiſſimum è ſucco

Mordacitatis cognitio. limonum extractum. Deinde Euphorbium, aquam ardentem, ol. piperis, garyophillorum, & aliorum aromatum, atq. etiam ol. vitrioli nigrum, & vltimum: ſenties ſtatim ab hiſce omnibus mordicationem linguæ; ſed paulò poſt, quantum differant, percipies. Nam ab his calidis os, & palatum inflãmabitur, & diù perdurabit in ore calor. Ab illis verò acidis frigidis mordicatio exorta breui euaneſcet, & os manifeſtè refrigeratũ relinquet. Equidem deguſtaui ol. & ſpiritum acidiſſimum, cuius gutta, poſt tranſactum mordicationis ſenſum, videbatur os refrigeratum; deguſtaui Nigrum, & poſtremum oleum, linguæ non ità mordax apparuit; ſed in inſtanti palatum, & os ſummè inflammauit, hoc calidum, illud frigidum iudicaui. Experiri oportet, & varios propria lingua deguſtare liquores ſenſatiſſime Grembſie, & poſtea loqui de ſaporibus, non verbis tantùm, & imaginatione duci. Sed ſi deguſtauerimus etiam vitrioli ſpiritum, vel oleum diuerſimodè confectum, diuerſos experiemur ſapores, etiam ſubdulces, an eadem vis? ſed nè in noſtris ſcriptis videamur nugari, admonemus iterùm ex vitriolo elici liquorem acidiſſimum, item acerrimum, nec non alterum veluti medium, & vtriuſque participem, qui etiam multiplex eſt: modò magis, modo minus alterutrius participans. Puri acerrimi ad metallica vſus, acidiſſimi verò puri ad Medicinam, Mixti denique ad ad Phreneſim inducendam Scriptoribus inexpertis, & Pſeudochymicis mixturam non agnoſcentibus.

Experiẽtia neceſſaria.

Ol. vitr. refrigerat. Senſu etiam ductus agnoui hunc vitrioli ſpiritum frigidiſſimum, purum quidem non bibam, lędit enim meum ſenſorium; ſed aqua mixtum, meo periculo id quoque intelligens. Cum enim æſtiuo ſæuiente calore, circa furnos (vt Chymicorum mos eſt, manu propria operantium) verſarer, & maxima ſitis vrgeret, quam cùm nec multæ aquæ puræ potu, nec vini diluti, niueq. refrigerati auferre, ac extinguere valuiſſem per plures dies, ea perſeuerabat, ſicut & Chymicus proceſſus, ac æſtiuus ambiens. tandem ſpiritu vitrioli cùm aqua epoto, ſtatim (veluti per incantamentum) ſitis extincta fuit, & ego adeò refrigeratus, adeò corroboratus mihi viſus ſum, vt per aliquot dies refrigeratio iuuerit. Si igitur ex hoc Oxicrato me in inſtanti refrigerari, quaſi ſupernaturaliter, ſentio, ſenſum negabo? ſi

e. ntio me validè refrigeratum,negabo factum ? memento Grembſie contra negantes ſenſum non eſſe diſputandum. nonne datur febricitantibus ad extinguendam ſitim,& refrigerandum ?

Dicet aliquis ſitim auferre, quia calorem naturalem lædens ſenſum aufert ventriculi, vnde ſitim non ſentit. Obiectio.

Reſp. Expreſſum expreſſum eſſe mendaciũ,&indignũ,vt ab homine Philoſopho,& Medico proferatur:nã ſi ob id mihi ſitim abſtuliſſet,veh mihi, qũo hæc ſcriberem priuatus ſenſu ventriculi? cenſes nè mortificato ventriculi calore innato,ipsũ conſueta munia obire poſſe? ſine ventriculi actionibus animal viuere poſſe? Solutio.

Tu verò aliter te opponis, & confugis ad rationem, & febris cauſam, & vocas irrationalem, qui cauſam febris non conſiderat. en Grembſie vis nè tu quoque eſſe inſenſatus? ſi deſerens ſenſum quæres rationem, obiectio tua in te reſiliet. Duo quidem ſunt Medicinæ inſtrumenta, ratio, & experientia, quæ ſenſibus innititur;alterutro ex his deſtitutus Medicus claudicat. igitur ratiocinatio eſt neceſſaria, ſed ſenſus manifeſtior eſt nobis; ideo in Medicina ſæpè rationes deſtruit. ſi igitur ratio ſenſui contraria apparet, recta non eſt iudicanda. At at amice nunc te capio, irronicè loquutus es, dixiſti me inſenſatum eò, quod nimis ſenſum ſequerer; nè mireris,ſum Medicus ideò Artifex ſenſatus; deſerere ſenſum, & rationem quærere inſenſati eſt,& delirantis, qui neſcit verum à falſo dijudicare Ariſtotele docente. Caue igitur Docte Grembſie ſenſuum deſtitutionem. Caue nè,quem inſenſatũ vocabas,ille te ſine ſenſu, veluti ſomniantem,vel inſanientem,derideat. Oppoſitio Grembſij. Irronia.

Sed conſideremus pauliſper,quibus rationibus,quibus experimentis,calidiſſimum tu hoc eſſe probes: teſtem adducis Mindererum,teſtem ſuſpectum in hoc caſu,& aliàs reiectum; (alioqui vir eruditiſſimus, & quem maximi facio) miror te alium non legiſſe probatum Auctorem. ais. *Guſtu eſſe acerrimum.* alias negaui; tu verò vel probum non deguſtaſti vitrioli ſpiritũ, vel de illo loqueris oleo, quod à vitriolo vltimò extrahi diximus. vel confundis acredinem cùm mordacitate. etenim legitimum ſpiritum eſſe acidiſſimum,non acerrimum, lippis, atque tonſoribus notiſſimum eſt. Mindererus teſtis ſuſpectus.

Ais. *Abſceſſus rumpere &c.* à ſiccitate id fieri alias dixi: ipsã eſcaro-

eſcaroticã ſtatui. ſi negas, etiam ego Logicę profeſſor ſic argumentabor. Quæcũq. ſoluere continuum poſſunt in noſtro corpore, abſceſſus rumpere queunt: ſed non ſolùm calidum, & frigidum, verùm etiam ſiccum ſoluere continuum poteſt, ex Galeno 4. de ſimp. m. f. c. 1. & 1. in 3. de fract. text. 34. dùm excitant dolorem. Ergò etiam ſiccum abſceſſus rumpere valet. At à ſicco ſolui continuitatem noſtri corporis manifeſtant ſciſſuræ labiorum à ſicco Boreæ flatu. Sed clariùs ex Galeno colligitur docente dolorem excitari à calido, frigido, & ſicco: ac explicans modum dicit ſoluendo continuum. Quod ſi hæc tria apud Galenum ſunt ſoluentia continuitatem, cur tu, eo, quod ol. vitrioli ſoluat continuum potiùs calidùm, quàm frigidum, vel ſiccum iudicas? rationem certè nullam affers. audito Galen. 2. de comp. med. 2. l. cap. 1. *Inuentum equidem, & hoc nobis in commentarijs eſt, in quibus communes, & generales dolorum cauſas conſiderabamus, quod ob diſſolutionem continuitatis ſimilarium partium, dolor oboriatur: diſſoluunt autem ipſam erodentia, diſſecantia, diſtendentia, & vehementer calfacientia, ac refrigerantia.* Acida ergo inter diſſecantia, ac refrigerantia, ſicca verò inter erodentia collocabo. Prætereà ſiccitatem eſſe doloris cauſam expreſsè idem Galenus retulit. 12. meth. med. circa fin. Igitur ſiccitas extrema valet in noſtro corpore dolorem excitare, quę tamen parere nequit, niſi ſoluendo continuum. Si ergò ſiccitas apta eſt ſoluere continuum, poterit etiam abſceſſus rumpere, præſertim extrema ſiccitas cùm aciditate incidente coniuncta, quæ ipſa quoq. dolorem, & ſolutionem dictam efficere poteſt. At acida corrodere ipſe etiam Paracelſ. fatetur tom. 4. tract. 1. de contract. cap. 2. *Vnde fit vt per acetoſam, & tartaream eiuſmodi frigiditatem membra corroſa, ad arbitrium regi, & moueri non poſſint. Nec enim frigiditas tantùm in cauſa eſt, verùm ipſa quoque aciditas, & acrimonia, quæ inexiſtens exedit, & erodit ligamenta.* alter textus ipſius ità legit, & meliùs mea ſententia. *Per acetoſam, & tartaream huiuſmodi frigiditatem prorſus immobilia membra facta ſunt. nec ſolùm propter frigiditatem; ſed etiam ob aciditatis aſperitatem ipſæ venæ corroduntur.* deinde cap. 3. *Inſenſitiuæ contracturæ ſunt emortuæ propter humoris corroſionem ab aciditate frigiditateq. materiæ colicæ temporis ſucceſſu factam*

Argumentum.

Siccitas ſoluit continuum.

Acida corroſiua.

factam. & in Chirurg.min.lib.3. cap.3. de Nacta. *Hæc ſeparatio generat acedinem, quæ poſtmodum intumeſcit in carne, corrodit, & edit foramina.* ex quibus patet in ſententia Paracelſi aciditatem ratione propria, & per ſe erodere, non per accidens, ratione alterius. Sed acetum etiam ſaxa corrodere Chartaginenſi Hannibali olim fuit notũ, hoc ſibi, & ſuis per Alpes viam paranti. noſtris notum eſt Corallia, Margaritas, æs, & plumbum corrodere, quod idem præſtant alia acida; vt Limonum ſuccus, & Omphacium. nec ſucci Limonum vis ſoluendi vniones Cleopatram Aegypti Reginam latuit. Quo autem modo acida corrodant corpus videtur exactè docuiſſe Paracelſ. in Chirurg.min.lib.1.cap.18. *Qua ratione* (inquit) *ſuas in corpus imprimat proprietates vſtio, notandum venit, quocumque modo fiat: vtpotè caſum aduſtionis, vel accidens, calorem non exiſtere, ſed ſubtilium ſpirituum aſperitas, vel acuitas potius corpus deſtruit.* Ecce Germanus Theophraſtus ab aciditate vſtionem fieri docet, & explicat non ratione caloris, ſed ob aſperitatem ſubtilium ſpirituum. aſperitatem à ſiccitate oriri ego credo. Acida corroſiua.

Ventriculum (deinde ais) *erodit ob caliditatem, & ſiccitatem mordicantem, &c.* gratis aſſeritur. caliditatem in acido vitrioli ſpiritu negabo, ſiccitatem mordicantem confirmabo, & erodere ſua ſumma ſola ſiccitate tuebor indefeſſus. Ventriculum autem oleo vitrioli corrodi impoſſibile eſt, tùm quia nemo ita demens eſt, vt id purum propinet, (tale enim erodere poſſet) tum etiam quia dilutum amittit ſummam ſiccitatem, & per conſequens etiam corrodendi vim; adde materiam in ventriculo contentam Oxicrato minerali epoto miſceri, à qua non parum ipſius actio retunditur. Denique ventriculi natura ea eſt (vt tradidit Galenus) quæ ab acido non læditur, imò potius corroboratur, ad cibum appetendum excitatur, & ad coctionem, ac fermentationem opem recipit. Si vidiſti ventriculum eroſum, vituperandus abuſus, non conueniens optimi liquoris vſus. concedam magnam, & continuatam copiam ventriculum, & pulmones læſiſſe: læſiſſe & hepar, ac quoduis aliud membrum macilentis præcipuè, &c. debet ergo dari ab experto, & probato Medico, & ab illo, qui temperiem corporis, morbum, huius cauſas, locumq. affectum &c. optimè calleat, quiq; etiã Ventriculus non eroſus ab ol. vitr.

noſcat

noſcat huius olei, & ſpiritus veras qualitates, exhibendi modum, tempus, doſim, &c. non ab empirico erit dandus caſu, & promiſcuè. ſed notum nè eſt tibi, an benè fuerit paratum oleum illud, quod accuſas, & qua quantitate, & tempore exhibitum? refert Duretus in Holler. cap. dè ardore vrinæ. quendam calculoſum vſu ſucci limonum per tres menſes, interijſſe aphtis ab eo ſucco in ſtomacho excitatis. eſt ne hic acidi abuſus?

Inteſtina læſiſſe nimio vſu, ſeù potius abuſu, non mirùm: ſimiliter aget ſuccus limonum, & acetum, de quo refert Hippocrates etiam in Oximellitis formam redactum, crebro nimis vſu, inteſtina exulcerare, & ramenta educere. an ob id Medici abſtinent ab Oximellite? an vulgus ob id acetum abhorret? dicis curantes falli Colicam æſtimantes, quæ à pituita vitrea oritur. ſi ergò frigidæ pituitæ effectus, & læſiones ſimiles (per te) parere videtur, quomodo, qua ratione Grembſie calidum dices?

Oximel.

Pectus etiam læſit limonum ſuccus, vt cætera acida, imò etiã ventriculum, ſæpè nimis acceptus, an ob id calidum dices? Pectori calidum amicum; frigidum inimicum: ſed ſuccus limonũ, & ol. vitrioli ex te pectori inimica. ergo frigida.

Verum, quia incidimus in ſermonem vſus ol. vitr. pro pectoris morbis, ad quos non valere, tuus ſcripſit Minderetus, fœliciſſimas nequeo reticere curationes, quæ Romæ in S. Mariæ de Conſolatione Xenodochio quotidie in deploratis Pleuriticis ſuccedunt. Mira res eſt, & Medicis Romanis nota tuusq. dilectus Faber, qui hic eſt (ſi non credis) ab ipſo Doctiſſimo Medico, & à ſeruis iſtius Hoſpitalis de re dicta certior factus, te quoque certiorem facere poterit, non enim mendacia ſcribo. Sanantur, inquam, ibi quot annis (taceo alijs morbis affectos) vltra quinquaginta Pleuritici, ſolo ſpiritu Vitr. (quod valdè mirandum) cum ſyr. violaceo, vel aqua pectorali. eodem quoque remedio ſanati (quod ſcio) ſunt etiam quidam Illuſtriſs. & Nobiliſs. Domus Sabelliæ ſerui deplorata pleuritide affecti; nec incredibile tibi videri debet, nam ab hoc materia craſſa inciditur, & inciſa facile excreatur, ſic pectus expurgatur: inflammatio, & febris refrigeratione curantur, in ſumma ad eadem, ad quæ Oximel, valet, ſed multò præſtantius eſt. ſed quis eſt (inquies) Medicus iſte tàm fœlix induſtria ſua, & laudabimus eum: iure eſt laudandus,

Pleuriſis curatio.

dus, aio, eſt autem per Ill.& Excell.D.Nicolaus Rentius eruditiſſimus,doctiſſimus,ac diligētiſſimus Medicus, & Philoſophus; ſed redeamus ad tuam Epiſtolam.

Corpus inſigniter extenuat (inquis) *obnoxam calidam, & ſiccam,&c.* negandus omninò calor. ſupra dixiſti ex Amato, limonum ſuccum idem operari, & eodem modo voluiſti vitrioli oleum agere; ſed ille ſuccus,vt acidus corpora extenuat,ergo vt frigidus,& Galen.5.de ſimpl.m.f,cap. 26: *Acidum incidit extenuat, diuidit.* apud nos autem eſt in prouerbio, *Non mangiar troppò aceto.* quod eſt, *nè edas multum acetum.* ſignificantes, vt caueamus, nè corpus extenuetur. ergo oleum vitrioli,ſi corpora extenuat,id efficiet,vt acidũ, frigidum, & ſiccum, minimè vt calidum. prætereà,quia contrariorum eadem eſt doctrina,ſi impinguant humida,ſicca extenuabunt. frigida non verè impinguant,ergo neq. contraria calida extenuabunt,niſi per accidẽs. Acida extenuant.

Si nocuit quandoq. *hepati*; non vſus, ſed abuſus culpandus: methodicè adhibitum ſæpiſſimè plurimùm iuuit.

Subdis. *Neruis mordicationem inducit ob extremam aciditatem.* Nunc rectè ſapis,& mecùm ſentis. nàm ſummè acidum fateris. ſic *Anteuterinum* dicis, ob ſummam aciditatem, & frigiditatem,qua acetum vtero etiam ex Hippocrate inimicum, & partibus neruoſis: rectè autem mecùm dub.6. magis,quam acetum, vtero inimica pronuncias oleum, & ſpiritum vitrioli, quia magis acida; idcircò etiam frigidiora, & ſicciora aceto. frigidum autem inimicum vtero,& neruis ſupra retulimus.

Ad obiectionem de appetitu excitato ab oleo vitrioli, ſicut ab aceto non directè ſatisfacis; nam nimium tantum, & continuatum vſum obeſſe concedam. Quod ſi eo vſus in appetitu deiecto,intentum es aſſequutus, iam ſatis: Sua enim aciditate ſecuit viſcida illa, quæ obſtabant, ventriculum roborauit, &c. tunc non amplius aciditate eſt opus. nè pergas tunc; nam certò lędes. Dic ſi aſſumpta,v.g.ſufficienti quantitate Agarici,vel Aloes,vel Rhabarbari,nocẽtium humorum deiectione,affectum aliquem ſanaſti, perges nè continuò pluribus diebus eandem exhibitionem? fortè (ſi taliter ages) quem moderato ſanaſti vſu, paulò poſt immoderato deperdes. Sic de oleo vitrioli ratiocinandum: ſi conueniens vſus iuuit, caueto nè nimietate

abuſus noceat. Nec mihi quidem promiſcuus, inconſideratus, ac quotidianus (vt verùm fatear) eius probatur vſus; minerale enim eſt, & validum medicamentum, imò extremum, non niſi extremis, & neceſſitate vrgente concedendum, ac ſemper iudicio, & cautela exhibendum; non tamen adeò pertimeſco, vt eo abſtineā ſæpiſſimè Methodicè vti. Nec macilentis quidē ſemel, vel bis prębere metuo, ſi adfuerit vrgens indicatio. continuum verò immodicumq. vſum tales maximè ad φθίσιν trahere fateor.

Quod de ſectione cadauerum aſſeris, non ſatisfacit. non enim certum, an ab oleo vitrioli, vel ab alia re ventriculus fuerit eroſus. ſecui enim ego quendam anno 1609. qui ob iram, & mœrorem in tertianam intermittentem inciderat, huic poſt tertiam acceſſionem in die à febre immuni ſimùl cum Doctiſſimo Hieronymo Gnocco exhibui, Mellis roſacei ſolutiui vnc.4. cum decocto cordiali communi. paulò poſt aſſumptum medicamentum obmutuit, & ſpatio 6. horarum expirauit. Cui ventriculum valdè eroſum inuenimus, & multum laceratum, cū plurima bile flaua. eroſionem bili acri tunc temporis tribuimus. illum verò toto vitæ ſuo curriculo oleum vitrioli nunquam deguſtaſſe reor, idem fortè accidere potuit tuis ſectis, & tu ol. vitr. tribuis.

Deinde ſubdis. *Non ſine noxa febricitantibus dari poteſt, &c.* hoc fuit principium, hæc baſis hic aculeus, quo excitati recentiores quidam de oleo vitrioli veterem quæſtionem. T. Eraſti reſuſcitarunt. ſed de re hac ſententiam noſtram habebis alibi copioſiſſimè, omnia hùc afferre inconueniens, in reliquis, quæ ſequuntur verſus finem tuæ Epiſtolæ tibi ſubſcribo, vt ſimul laudemus vſum, & vituperemus abuſum ſpiritus, & olei vitrioli, hoc tamen pacto, vt loquamur de optimo, & acidiſſimo liquore, cæteris repulſis.

Sed reſtat indiſcuſſum quoddam tuum argumentum ſuperiùs poſitum, quo aſſeris ol. vitr. eſſe aquam fortem ſimplicem, & eaſdem habere vires. ideò nondùm te dimiſſum volo. videtur argumentum alicuius momenti, quod fortè nondùm odorati ſunt Chalcanthomaſtiges, & Miſochymici. Tua prima propoſitio hæc eſt. *Quod eundem ferè producit effectum, id diſtare non videtur, &c.* rectè dixiſti *videtur*. nàm ſi ſimpliciter profeſeratur, falſa erit. Sentio enim me calfieri ab igne, & calidis, itidem

dem à niue quoque, vt conſtat etiam ex Hipp. 5. aph. 21. non tamen ſimilis eſt cauſa; ſed diuerſus agendi modus: alterum enim per ſe, alterum per accidens operatur, & ſupra quidem dixi frigida vrere, veluti calida: amplius Sol, & Boreas lutum exiccando, & indurando eiuſdem videntur effectus. an ſimilia dices? Vinum etiam experior refrigerari niue, atque etiam à Nitro, an eiuſdem effectus? certum. tamen diſſimilia inuicem. Non ergo tua propoſitio prædicatur de omni.

Sed, ſi vis, concedam ol. vitr. & aquam fortem non multùm ab inuicem diſtare: nàm etiam ſi fortaſſe parari poſſit ol. ex vit. ita depurato, vt Nitri, & Aluminis ſit omninò expers, quorum ſeparationem docet Libau. Alch. lib. 2. tract. 1. cap. 45. (Nolo autem loqui de vitrioli anatome, fuere enim qui conſtare dicerent ex alumine, ære, &c.) Tamen ſi inſpexero aquam fortem, ipſa maiori ex parte conſtabit ex ſpiritu, & oleo vitrioli, quãuis etiam ſine hoc ſæpè paretur. Vnde cùm ſint multæ eius compoſitiones, omnes tamen (vt vno verbo dicam) duobus conſtant ſaporibus præcipuis acidò, & acri, quorum alterum Medicorum ſchola calidum, & ſiccum, alterum verò frigidum, & ſiccum ſtatuit. itaq. aderit vtraq. qualitas calida, & frigida ſimul mixta, & inuicem refracta. Combinata verò ſiccitas, cùm ſit abſq. contrario, præcipuum certè erit in aquis fortibus agẽs. Porrò quidem liquor ex Nitro, & Alumine abſtractus (qui aqua fortis communis eſt) ſicut ex ſale, non eſt aciditatis expers. Paracelſus to. 8. pag. 95. ſeu lib. 4. philoſoph. cap. 6. *Alumen ſal eſt liberum in ſola aceto ſitate conſiſtens*. Ideo in aqua corroſiua non parum pollet aciditas, cuius ſolius actio nota in Margaritis, Corallis, & quibuſdam Metallicis diſſoluendis, vt puta plumbo, ære, hydrargiro, &c. pro ceruſſa, ærugine, &c. vnde acetum, & ipſe limonum ſuccus omnium confeſſione ſimpliciter acidus, idem operantur. Mihi quidem in aciditate videtur collocanda vis, & facultas Metallorum, & ſimilium diſſolutiua, quæ ſi quandoq. adiuuetur ab acredine, vel ſalſedine, multo validius, quàm ſola aget, vt accidit aquis corroſiuis cum arſenico, ſalibus, Mercurio ſublimato, &c. vel etiam aquis dictis Regijs, Stigijs, Gradatorijs, &c. in quibus cùm aciditate iuncta eſt acrimonia excedens. Sume acetum deſtillatum, ſeu ſimplex, adde ſal armonia-

Aq. fortis & ol. vitr. non valdè diſtant.

Aq. fortis eſt acida.

cum,hoc ſolue Merc.ſublimatum,quo ſoluto,ol.tarta. præcipita edulcora ſublima,&c.ſic parauimus Merc.dulcificatũ; vnde hoc menſtruum ob acetũ,& ſal arm.ſi aquæ fortis vires habet,aq.fo. aceti vires,& ſaporem prępotentẽ habere dicemus. Triplex aciditas eſt Quercetano ex ſale, ſulphure, & vitriolo, addemus ex Paracelſo aliã ex alumine.& ex Libauio cõſtat acidi ſaporis fundamentum eſſe in ſale armoniaco. Itaq. ex his conſtans aqua fortis erit ſaporis acidi cùm aliqua acrimonia.ſed aciditatũ immenſam copiam innuit Libauius ſyntag.li.8.c.18.de ſpiritu aceti. *De aceto minerali* (inquit) *ex ſulphure,& vitriolo,conſequenterq. etiam alumine, chalybe, ſtibio, & ſimilibus facile ex antedictis licet cognoſcere, & de acidulis quoque, quæ ex ardentium ſub terris ſulphurum,bituminumq. coagulatis fumis,aliqua ex parte interluente aqua prodire poſſunt, iudicare. Quercetani opinione vis ſalis armoniaci acidi multum pollet in illis,qui cum ſit etiam in animalium corporibus, & excremento humido veſicæ, & volucrum fæcibus ſiccis, admiſta nitroſitate, euenit vt etiam in animalium genere inueniatur, & miſtim in omnibus ſimul, vt in rore, pluuia,melle;quæ originem habent ex reſolutis in imò halitibus in triplici genere mixtorum.* Ergo aqua fortis conſtans ex vitriolo,nitro,alumine,ſale,ſtibio, armoniaco, auripigmento, ſulphureq. quæ comparia ſunt, erit neceſſario acida, & ex ſpiritibus acidis. Ita duplex inibi erit ſapor agens, vna qualitas prædominans *ſicciſſima* nempè in extremo gradu.frigiditas namq.aciditatis, & acrimoniæ caliditas, quamuis ſint in extremo gradu, ob mixtionem tamen, multùm inuicem refranguntur, vnde ex his nec calefactio,nec refrigeratio inſequitur; ſed ſolùm ab extrema ſiccitate vſtio, corroſio,mordicatio in carne,& in metallicis diſſolutio,&c. quoniam facultas præcipua prodit à ſiccitate extrema à nullo refracta contrario. vis experiri veritatem

Experimentum. hanc? Aquæ forti, quæ argenti diſſoluti. q. ſuff. in ſe contineat, adde aquam, vel etiam vinum (ſiue frigida, ſiue calida nihil refert) ab humiditate illa aquæ fortis ſiccitas, adeò imbecillitabitur,vt vires ſiccas amittat,quibus actionem ſuam in metallum exercuerat, hinc fiet, vt ſtatim ab ea ſeparetur argentum, & in fundum decidat, nequeunte illa amplius ipſum amplecti. Quod notum eſt Metallurgis omnibus, & legi poteſt

apud Agricolam lib. 10. de metall. initio. Cardanus etiam illis verbis, quæ citaui in fine 2. dubit. meæ. Aquam ſeparationis dicit eſſe ſicciorem partem vi ignis attenuatam, vim ignis, & erodentem accepiſſe. non dixit calidiorem partem; ſed, ſi quæ ineſt caliditas, eã adſcititiam putat, & vi ignis adeptam, & aſſerit aquam ardentem eſſe calidiorem, non corroſiuam: ſeparatoriam verò erodere poſſe, non ardere, parumq. calefacere. Si ergo ſicciſſima exiſtens, & multùm erodens parum calefacit; tota actio in ſiccitatem, non in caliditatem erit referenda. Sed concludis tu, ergo ol. vitr. eſt aqua fortis ſimplex, & per conſequens eius vſus frequens non eſt admodum tutus. Concedo tibi totum libenter. Nam inconſiderata exhibitio ſæpè nocua fuit, non tamen Methodicus, rationaliſq. vſus deſpiciendus erit: quin imò, nec in Medicina abhorremus Alumen, Nitrum, & ſal ex quibus aqua fortis fit. Sed acetum montanum ex ſale non minùs, ac ex vitriolo, vel ſulphure laudauit Quercetanus.

Sed tempus eſt, vt finem longiori epiſtolæ imponam. at noſco me multas tibi debere gratias: videris enim pro mea tuenda dubitatione prima pugnaſſe contra rationes à D. Fabro tibi propoſitas ad conuellendam eam: nam ibi tractas, periculoſum eſſe ol. vitr. vſum, ideo cautè vſurpandum: (videmus quidem periculoſum iter in Mari, non tamen omnes eo abſtinẽt: ſed pluribus magnæ eſt vtilitatis) multò tamen plures tibi debuiſſem gratias, ſi modeſtius loquutus vno non me acutiùs pupugiſſes verbulo. ſed ſatis: pro viribus me expurgare conatus ſum; ago igitur iterum quas tibi poſſum, & debeo gratias pro parte boni officij p̃ſtiti. interim vale, & ne graueris tuæ me reſpondiſſe Epiſtolæ: hoc enim erit potiùs ſignum meæ erga te beneuolentiæ, & naſcentis amicitiæ, quàm vllius mali animi, Doctorum enim virorum colloquia præ omnibus maximi facio. Atq. Medicorum litem, & certamen honeſtum dixit Galenus 1. meth. med. j. illudq. ibi maximè laudat, quum eſt de arte exercenda, augenda, & pro viribus perficienda. iterùm vale vir Doctiſſime, & (ſi placet) me eruditis tuis alacriorem ad nouam pugnam excita. Romæ 9. Auguſti. 1620.

E. T. Addictiſſimus.

Petrus Caſtellus Romanus.

Doctiſſimis, eruditiſſimis, Excellentiſſimis, atq; admodum Illuſtribus Archiatris Romanis.

Sebaſtianus Iozius præſentis anni 1621. Prothomedicus Generalis. S. P. D.

EPISTOLA OCTAVA.

Defenditur Vitriolum à calumnia veneni.

STATVTA Collegij Medicorum Almæ Vrbis prohibent omnino, nè Chirurgis, & Circulatoribus concedatur licentia exhibendi quicquam per os, quod ſit opiatum, ſolutiuum, abortiuũ, vel venenatum. Fuit præteritis hebdomadis tradita facultas Dominico Garzio vendendi Chalcanthum, non exhibendi gratia per os; ſed ad externa præſidia, aqua communi, vel roſacea dilutum, aut infuſum, ad lendes manuum, ſcabiemq. ad vlcera nonnulla, & ad cohibendas lacrymas oculorum frigidas. Inſurgunt ob id nonnulli viri prudentes aſſerentes fuiſſe malè conceſſam, & contra formam ſtatutorum, cùm dicant Chalcanthum nõ ſolùm eſſe propriè venenum, verùm etiam inter purgantia per aluum pharmaca collocandum, & vtroq; nomine interdictum. Contendit ex aduerſo altera pars, nec eſſe propriè venenum, nec medicamentum per aluum expurgans, pugnatq. rationibus, experimento, & auctoritatibus, ipſumq. iure optimo fuiſſe conceſſum, nec à ſtatutis eſſe prohibitum, cùm nec propriè venenum ſit, nec pharmacum per aluũ expurgans, nec data poteſtas per os exhibendi, & à prædeceſſoribus noſtris aliàs conceſſum, nec ab vlla lege interdictum, nè paſſim à Mercatoribus per plateas, & apothecas vendatur, nec vt alia nonnulla venena, vetitum à Prothomedicorum, vt ita loquar, Bandimentis, ſeù Edictis.

Occaſio ſcribendi.

Pro veritate quæſtionis huius, illud primo loco definiendum

erit,

erit, an vt dicũt, Chalcāthum propriè ſit venenum ex ſui natura quoquo modo adminiſtratũ: deinceps nũm etiam inter purgantia per aluũ pharmaca collocandum, ꝙ ab ipſius definitione petendum erit, philoſophãtium more. Venenum itaq. eſt, *Pharmacum toto genere præter naturã, viribus ab ortu præditum deleterÿs, atq. lethalibus, vt quoquomodo ad intra corpus aſſumptum etiam in parua quantitate occidat, ac perimat, nõ qualitatibus manifeſtis, ſed totius ſubſtantiæ proprietate.* Venenum eſſe *Pharmacum à toto genere præter Naturam*, ponitur loco propinqui generis. *Viribus ab ortu præditum deleterÿs.* loco differentiæ, vt excludantur illa pharmaca, quæ qualitatibus manifeſtis noxia ſunt, & nõ à proprietate naturæ; illa quippè impropriè venena vocantur, & ad differenriam nonnullarum rerum non naturaliũ, inter quæ præcipuum locũ obtinent potulenta, & exculenra, quæ licet alimenta ſint, tunc temporis veneficam qualitatem acquirunt ex prauo vtendi modo, & præpoſterè adhibita. Illud inſuper adiectum, *vt quoquomodo ad intra corpus ingreſſum, atque receptum, etiam in parua quantitate occidat, ac perimat.* ad differentiam illorum medicamentorum, quæ ſolis primis qualitatibus, ac ſecundis noxia ſunt. Illa quippè niſi in magna quantitate deuorata, & plus quàm par ſit pro illorum natura, non officiunt. v.g. vtimur Lactuca inter alimenta, Porris, Cœpis, Allijs: quæ ſi iuſta menſura ſumantur noxam non afferunt. Verum ſi earum ſuccus propinetur ad excellentem doſim, vehementia ſymptomata pariunt, tandemq. interficiunt, niſi ex tempore fuerit occurſum. Additur vltimo loco *non qualitatibus manifeſtis, ſed totius ſubſtantiæ proprietate*, vt excludantur cætera pharmaca, quæ calore ſolummodo, frigiditate, ſiccitate, humiditate, alijsq. ſecundis qualitatibus inſenſa ſunt.

Definitio veneni.

His igitur ſic explicata cunctorum venenorum natura à totius ſubſtantiæ proprietate nocentium: tempus eſt modo, & ratio methodi poſtulat, vt ad particularia deſcendamus, & Chalcanthi naturam enarremus ex Galeni ſententia. 9. de ſimp. m. f. inquit enim in hunc modum. *Cæterùm mirabile ſubit de hoc medicamento, quo pacto vehementiſſimæ adſtrictioni admixta eſt caliditas non inſtrenua. conſtat enim quod omnium maximè condire, ſeruareq. carnes humidas poteſt, caliditate humiditatem abſumens,*

Chalcanti natura.

atq. aſtrictione ſubſtantiam contrahens. conſtringit verò, deſiccat, atque contrahit in ſeſe totius ſubſtantiam carnis. Ex quibus colligitur Chalcanthi vires in ſummo adſtringere, calefacere ad tertium vſque gradum, & exiccare. Non ſubdit. Propterea ob id venenatas eſſe, cùm debuiſſet, ex profeſſo medicamentorum facultates deſcribens. ſciebat enim calidum in ſummo non eſſe propriè venenum: & ignis, qui etiam vrit eſſet in venenorum cenſu reponendus, quod vtique à nemine Scriptorum, quod ſciam, eſt factum. Imò Alexipharmacum eſt venenatorum morborum in peſtilentia graſſantium: non vtique quia conſumit, & mortem inducit venenum erit, quandoquidem & ferrum eſſet venenum; interficiunt enim gladius, baculus, lapis, aqua frigida à vehementi curſu, & admodum excalefacto homine illicò potata, & vinum meracum ſtatim à balneo, & alia quàm plurima. Non quia validiſſimè adſtringit, non quia exiccat, nam ſequeretur adſtringentia cuncta plus, minuſuè eſſe venenata. Sorba (inquam) immatura, Corna, Pira ſilueſtria, Cydonia Mala, Vua acerba, & ſimplicium quàm plurima, quorum nonnulla à proprietate Naturæ venenis reſiſtere creduntur. Non quia exiccat, quandoquidem, & quæ admodum terrea ſunt, forent venena, cùm perplura genera terrarum venenis reſiſtere, multis iàmdudum experimentis compertum eſt ab antiquo, ſiccantiaq. omnia putredini eſſe aduerſa; Quod ſi contingat, aliquando hæc in vſum Medicum redacta, & alicui propinata, necem adferre: non id efficient, quod propriè ſint venena; verùm quia iuſto modo non ſunt exhibita. ſtat enim cuiq; ſua doſis, ſuus terminus, quo tranſgreſſo, vel fortiter laborare, vel mori contingit. ſic profectò naturæ legibus ſtatutum eſt, nè ſit in infinitum abitio.

Vitriolū Alexipharmacum.

Dicunt inſuper viri doctiſſimi etiam per aluum purgandi vim habere, de qua re Galenus recenſens ipſius facultates, nè verbum quidem fecit, cùm vtique debuiſſet: ſed ſi hoc eſſet, vt aſſerunt, vehementiſſimæ adſtrictioni neceſſe foret validiſſimam purgandi facultatem adeſſe. Si ergo vis adſtringendi validiſſima ſuperaret purgādi vim, otioſa erit, quæ purgat. ſi verò æquè fortes fuerint, illa æqualiter adſtringet, hæc & æqualiter purgabit. Et qui fieri poteſt, vt vno, & eodem tempore æquè adſtringat,

An vitriolū aluum purget.

gat, altera æqualiter purget ? pugnarent vno, & eodem tempore retinendi,& expellendi facultates,cùm retentio à continente fiat, purgatio verò auxilio facultatis expellentis : verum neutra ipſarum vinceret cum æquè fortia contraria eſſent agentia, ergò neque purgaret, neque adſtringeret ſe inuicem obtundentibus, cùm ab æqualibus, & æquè fortioribus nulla reſultet actio, & quod natura facere alterius gratia debuiſſet, feciſſet fruſtra,quæ nihil ſuperuacaneum, nihil incaſſum facere ſolet,& eorum,quæ fieri poſſunt, ſemper id,quod melius, facit. Futilis eſt itaq. (vt mea fert ſententia) opinio dicentium, quòd vehementiſſimè adſtringat,& verè adſtringit,ſimulq. per aluum purgandi vim habere. Si verò dicant leuiter purgare, hoc fieri non poſſe,clarum eſt validiſſima exiſtente adſtrictione, & retinendi potentia: fortius enim agens alterius debilioris,vel actionem obſcurat,vel tollit omnino. Si verò vt in Reubarbaro purgandi vis præualet;tunc Chalcanthum remiſsè adſtringeret;cōtra experientiam,& non inſtrenuè purgaret,quod falſum an ſit, penès doctos viros ſit iudicium. Planum eſt itaq; ex rei natura,& ex Galeni mente,naturales Chalcanthi facultates recenſentis non eſſe propriè veneficas,nec pharmaci per aluum purgantis vim habere,nec ore aſſumpti, nec forinſecus adhibiti.

Innitamur deinceps experimento,& quicquid de eo Andreas Mattiolus ex Dioſcoride ſcribit afferamus in mediùm. *Valet* (inquit) *adſtringere,calefacere,& cruſtas inducere, latas ventris tineas necat drachmæ pondere deuoratum, aut cùm melle linctum, vomitus ciet, aduerſus hauſta fungorum venena,ex aqua potum auxiliatur, caput purgat aqua dilutum,& in vellere naribus inſtillatum.* Heù videtis experientia probatum, medicamenti non venefici hæc eſſe opera ? date quæſo vorandum cuiuſuis medicamēti à proprietate venenati aqua diluti drachmam, propinetur ſemidrachma,ſcrupulus imò minor quantitas,non ſolum latas tineas; ſed etiam aſſumentem interimet,ea eſt vis pharmaci à proprietate totius ſubſtantiæ nocentis. Amplius, pariter voratum aduerſus hauſta fungorum venena fert opem : attendite Nicandro vetuſtiſſimo auctori hunc in modum ſcribenti. Mattioli teſtimonium.

Tu contra Raphani ſinuoſum corpus, & acris. Nicander.
Concede, exciſſum Rutæ de ceſpite ramum
Chalcanthumq. vetus natum Sutoris in vſus.

Heù videtis Chalcanthum Alexipharmaci vires habẽs, alexiteriam, inquam, facultatem ex veneno noxam arcentem? cur ergo viri eruditiſſimi appellatis propriè venenum, interius aſſumptum, & exterivs adhibitum? vt forſan ageretis illud in exiliũ, & ab omni Medicina abdicaretis, nonnè hauſiſtis ex Philoſophiæ fontibus, vt profectò hauſiſtis, & maiora his calletis, duo contraria in ſummo in eodẽ ſubiecto ſtare non poſſe ſummè aſtringere, ſummè purgare, arcere venena, & perimere? at quo pacto ſtat aſſerere, eſt venenum, non eſt venenum, ratione eadem? videre ergo poteritis quo tendat experimentum ratione munitum.

Vitriolum & ſi eſcaroticum non venenum.

Inſuper *cruſtam inducere.* ergo veneficum contẽditis: cruſtam inducere concedo, venenatũ eſſe falſum duco. cũ id qualitatibus manifeſtis efficiat, quas venenatas non eſſe ex definitione illata ſatis, ſuperq. probari poteſt; cruſtas inducit ignis, nõ propterea eſt venenum, concurrit.n. ad generationem cunctorum, ſicut cætera elementa. Vrit, eſcaram inducit Piper tenuiſſimè cõtritum partiq. molli fortiter affricatæ appoſitũ, ſi iuſtã traxerit moram. Cæpæ, Allia, Sinapi, aliaq. nonnulla parti alicui admota rubificantia ſunt, quæ cùm alimentis ſine noxa præberi ſolent, ſi certa menſura ſeruetur. Erit igitur medicamentum vehemens Chalcanthum, validis inſignitum qualitatibus manifeſtis, nec propterea à forma ſpecifica, totoq. genere venenum; imò ad quamplurima ſalutare, ſi menſura, modo, tempore, iudicioq; fuerit adhibitum. Hinc Medici recentiores praxim facientes, & inter ipſos viri celebres, vtuntur oleo Chalcanthi, ipſius ſubſtãtia validiore in febribus mali moris guttulis nonnullis ex iure exhibitis, fœlici cùm euentu. Nonnè & Chirurgos noſtri temporis, quotidie illo oris vlceribus mederi videmus, & ſanantes? quis ergo inficiari poterit naturæ opera ſenſui manifeſta? nihil profectò aliud erit negare ſenſum, quàm ſenſu egere. Si verò placuerit lata vocabuli ſignificatione vti, nihil moror, cũ etiam alimenta modum excedentia impropriè venena dicãtur.

Ol. Chalcanthi ad feb. malignam.

Sed eſto, vt dicitis Viri excellentes, Chalcanthum pharmacum eſſe propriè venenatum, atq. purgans, (quod vtrumque falſum eſſe probauimus) quid ad nos? Nihil propterea contra ſtatuta Collegij, cùm non fuerit conceſſa licentia exhibendi illud per os; ſed ad externa ſolummodò auxilia, quod vetitum in ipſis, ſi rectè memoria teneo, non reperitur. Nonnè ad cu-

quandam ſcabiem,inter Linimenta, & Vnguenta, qui morbis medentur,vtuntur Mercurio? nonne etiam in contumaci Lue venerea inungunt iterum, atque iterum malè affecta corpora, nec fruſtrantur euentu, ſi ex ratione fuerit adminiſtratum? nonne & Arſenico ſublimato cùm aqua Plantaginis ad certam doſim ebullito, in vlceribus faucium contumacibus ad eandem luem? legere poteritis Fernelium,ſi rectè recordor,in tractatu de lue venerea,& iſta propriè ſunt venena. Nonnè etiam, & prouidæ naturæ indulgentia, atque benignitate, aquæ multæ naturales, largiterq. manantes, erumpunt in quàm plurimis terræ tractibus,Chalcanthi mineram habentes,vt hominum nonnullis languoribus ipſamet ſpontè ſua mederetur? legere poteritis ſcriptores, qui de Thermis poſteris monumenta reliquerunt, & intelligetis Chalcanthi vires,non veneficas,non deleterias, ſed ad hominum ſalutem eſſe genitas. Cur ergo prohibere vultis Chalcanthum exterius adhibitum,quod aſſertum iàm fuit non eſſe propriè venenum,& toties probatum? Experimento veſtra opinio arguitur: Cur vt purgans vetitum vultis? fortaſſe exteriùs admotum purgabit? quod nullibi ſcriptum reperitur, nec experientia,quod ſciam,vnquam viſum. Vitriolum extra vtile

Tandem vltimo loco tranſirem ad Auctorum teſtimonia, ſi ratio, & experimentum non ſufficerent, & ſi mihi Ruri degenti, perq. Nemora ſpatianti ſuppeteret copia librorum. Satis itaquè cuiquè eſſe poterunt Philoſophiæ præcepta, & inſtar omnium Auctorum Hippocrates de Morbis Mul. Nicander, Dioſcorides, & Galenus de comp. med. 2.loc. vt cuique indaganti, ac attentè legenti, patere poterit, quos inter Alexipharmaca,& alterantia medicamenta,nequaquam inter venena recenſuiſſe Chalcanthi vires, & ad quàm plurima adhibuiſſe, luce meridiana clarius eſt. Propterea viſum eſt mihi hæc pauca ſcribere,non contradicendi ſtudio,nec vllo liuore ducto, teſtor Deum, ſed vt meam, meiq. Collegæ, & Examinatoris dignitatem tuerer, & amore veritatis, vtque omnes noſcerent nos à ratione aliena, noſtriſq. ſtatutis minimè repugnantia conceſſiſſe. Præſtat itaq. mihi fidenti animo dicere,quod alias de Platone ſcriptum reliquit Ariſtoteles. *Verum melius forſitan* (inquit) *& oportere videbitur*, *ſua quaq. præſertim philoſo-* Finis Auctoris.

phos pro veritatis ſalute refellere, nam cum ambo ſint Amici, ſanctum eſt honori veritatem præferre, &c.

Sebaſtianus Iozius Prothomedicus Generalis.

Ego Rodericus à Fonſeca Profeſſor Medicinæ practicæ in primo loco Paduæ affirmans vt ſupra me ſubſcripſi.
locus ✠ ſigilli.

Ego Benedictus Saluaticus Patauinus Practicæ ordinariæ profeſſor in Patrio Gymnaſio affirmans vt ſupra ſubſcripſi, & proprio ſigillo ✠ muniui.

Ego Io. Domin. Sala Patauinus primus Theor. extr. affirmans vt ſupra ſubſcripſi, & proprio ſigillo ✠ muniui.

Typographus.

Per Illuſt. & Excell. D. Sebaſtiani Chirographum, cum Excell. Patauinorum Profeſſorum ſubſcriptionibus, & ſigillis, ſicut & ſequens chirographum apud noſtrum Auctorem ſeruantur, &c.

Admo-

Admodum Illuſt.& Excell.Viri D. Iacobi Lampugnani in Almo Gymnaſio Romano Medicinæ Practicæ, Primarij Lectoris, & Prothomedici deſignati.

Ad Perilluſtrem,& Excel. D.D. Ioannem Baptiſtam Faſianellum Archiatrum Romanum, & olim Prothomedicum Generalem.

EPISTOLA NONA.

Chirographum inſcriptum de Chalcanthi viribus.

QVOD Chalcanthum ſit venenum, corrodens, deleterium, atque ſolutiuum conſtat, *ratione*, *auctoritate*, *exemplo*, quamuis pauci Neoterici conētur mordicus aduerſari, quos tamen, ſi monumenta Auctorum diligentiùs intuebuntur, veritati aſſenſuros ſperandum.

1. *Ratione* ab huius mineralis *materia*, *& efficiente*; nam gignitur ex ſucco elementari, terreſtri, viroſo, aſſato, agente igne ſubterraneo, ad calcis vſque ſimilitudinem, cuius mineræ vapores inſpirati necant, quod expreſſit Gal.9.de ſimp.med.cap.4.de Chalcantho. Georgius Agricola 2.de nat.foſſ.Matth.in Dioſc. Mineram Chalcanthi exhalare fœtidiſſimum, & acutiſſimum vaporem, ob idq. in aperto fodi, alioqui foſſores necari, non autem in cuniculis ſubterraneis.

2. Cardanus de ſubt. rerum pag.135. de Natura huius mineræ, nimirùm exalare pernicioſos vapores.

3. Braſſaulus.466.idem affirmat.

4. Ioannes Bauuhinus de aquis medicatis 2.c.1. aquas Chalcanthodes vires acres, exulcerantes, atq. erodentes habere, quales in Cypro, de quibus plura Gal.9.de ſimp.

5. Cæſalpinus 1.de metal.22. mineram huius viroſam eſſe, foſſoribus pernicioſam.

6. Quod

6. Quod Chalcanthum *exurat,& corrodat* omnes Græci, Latini,& Arabes ſentiunt,quia eſt 4.ordinis calefacientium,& exiccantium,corrumpens naturam organi tàm vſtum, quàm inuſtū.

7. Gal.1.de ſimpl. med.facul.33.& 4. eiuſdem operis.7.& 5. meth.4.eſſe eſcaroticum,tàm vſtum,quàm inuſtum.

8. Paulus Aegineta.552.idem ſenſit.

9. Dioſcorides lib.5.64.cruſtas inducere.

10. Gualterius in Dioſcoridem ibidem,& Siluius.

11. Latini omnes idem ſenſerunt. Celſus lib.5.c.6. Chalcanthum corrodere,& c.7.excedere,& 8.exurere.

12. Nicolaus Nicolus ſerm.4.tract.4. c.34. de med. venenatis, calidis, corrodentibus, & putrefacientibus membra ſunt omnes ſpecies vitrioli.

13. Matthiolus in Dioſc. Chalcanthum eſſe calidum, & ſiccum in 4.adurens,& de med.facult. abradere, & deleteriū eſſe.

14. Cardanus 1. de venen. eſſe venenum calidum, & 5. de ſubt.135.eſſe venenum calidum in 4.corrodens.

15. Fernelius 2.de abditis rerum cauſis 15. eſſe venenum, nedum qualitate manifeſta, ſcilicet exurente, ſed etiam occulta proprietate.

16. Auctores cæteri omnes, idem affirmarunt. Veccherius in antid.ſpecial.pag.47.Arduinus de venen.14. Andernacus dialog.5.pag.191.Braſſauolus in exam.ſimpl.vbi de terris.pag.46 Iacobus Siluius 1.de ſimpl. nat. Guainerius. Fallopius de purg. 67.Chalcanthum eſſe lethale, ibidem tract. de caut. 3. exulcerat,inflammat membrum,& corpus totum corrumpit.

17. Euſtachius Rudius. 5. de venen. Chalcanthum calidius Anacardo,comparatq. illud Euphorbio.

18. Ioannes de Vigo. pag.223.

19. Arabes vti Auic.lib.2.tract.2. cap.47. omnia vitrioli genera ſunt adurentia,cruſtam inducentia,ſtiptica, & in eis eſt virtus venenoſa,exiccans pulmones.lib.4.fen.6.tract.1. ſum.1. de ven.concretorum ex Mineris.cap.11.

20. Idem Raſis,Albucaſis,Haliabas.

21. *Experimento* damnatur à Gal.13.meth.10.vbi ait.Chalcanthum noxium eſſe,deuoratum &c.

22. Schenchius.plurimas chalcantho fuiſſe necatas.

23. Fal-

23. Fallopius loco cit.exurere,corrumpere,&c.

24. Plinius lib. 5.cap. vlt.chalcanthum ita corrodere,vt ei ſolum vngulæ mularum valeant reſiſtere.

25. Quod ſit *venenum exurens, corrumpens, & ſimul deleterium, ſcilicet proprietate totius formæ, temperamenti*, patet ratione,quia agat qualitate propria mineræ oppoſita temperamento humano,vti plura mineralia,& quia eſt ſepticum, ſcilicet putrefaciens,quod opponitur calido noſtro innato.

26. Auctores plures idem ſenſerunt. Gal. 8. de comp. local.3. chalcanthum contrarium penitus eſſe hominis naturæ.

27. Ex Latinis Fernelius loco cit.eſſe lęthale,ſeu deleterium.

28. Arduinus loc.cit.de venen. eſſe deleterium etiam ex ſententia Arabum plurium.

29. Ferdinandus Ponzetta lib.2.cap.17.[idem Bauuhinus loco citato.

30. Schenchius de obſeru.med.118.& lib.7.de ven.23. chalcanthum in genere venenorum poſuit.Matth. idem affirmat de ſimp.med.fac.5.cap.73.

31. Quod chalcanthi vis *de genere ſit purgantium*,[licet non tutum,Dioſc.loc.cit. calefacere, aſtringere, cruſtas inducere, atq. vomitum ciere.

32. Vidus Vidius de med.purg.4.cap.3. Atramentum ſutorium aluum laxare licet cum periculo excoriationis inteſtinorum.

33. Guainerius 8.de venen.negat in potu tutum,tamquam venenum membris ſpiritalibus, & naturalibus, quia videlicet anhelitum intercipiat, & exulcerat.

34. Fallopius tract.de purg. ſimp. cap.65. citato. numerauit chalcanthum,inter purgantia,exulcerantia,corrodentia.

35. Et quia *intrinſecus non poteſt tuto ſumi*, ideò reijcitur à compoſitione Theriacæ, Auctore Fernelio loco cit. & Plantio in Fernelium,atque Andernaco.

36. Quod chalcanthum *extrinſecus corpori non ſit tutum remedium*, patet ex Galeno 1. de ſimp. med. 33. quia valenter aſtringit,& ita calidum, vt exurat, idem 4. eiuſdem 7. & quia non conuenit in gargariſmum,in affectibus oris, multo *minus in affectibus oculorum*, qui ſunt exquiſiti ſenſus, & magis,quam

os

os ventriculi, quibus prohibentur calida in 4. acerrima, corrodentia, putrefacientia, exedentia, ob id Gal. non conuenire ſtomaticis remedijs.

37. Dioſcorides, & Matth. in eundem lib. 5. cap. 64. cruſtas inducere, & Celſus lib. 5. cap. 6. & 7. & Galen. loc. citatis, Fallopius tract. de cauter. cap. 3. citato, vbi ait, metuendum eſſe, quia exulcerat, inflammat, dolorificum, & corrumpens, ne dum membrum, cui admouetur, verum etiam totum corpus. & Gregorius Bertinus lib. 18. cap. 14. inuectiua in chalcanthi vſum, & Paracelſiſtas. Plinius loc. cit. ſolum vngulas Mularum reſiſtere poſſe chalcanthi corroſioni.

38. Ad inſtantiam de Allio, & Cępa, quæ foris exulcerant, non intus. reſpondet Gal. de temperam. 3. cap. 3. quod non conuenit in chalcantho.

39. Reſpondetur ad locum ex Matth. allatum à Dioſc. & Matth. ſcribi differentias actionis chalcanthi in corpus humanum, non tamen infertur eſſe remedium, nec periculoſum, nec veneficum, ſed tutum, & vtile; imò contra ait cruſtas inducere, & corrumpere, vi ſua ignea, vti & Fallopius, & cæteri Auctores, quod ſi hæc duo ſeparentur, tollitur ipſius remedij ratio.

40. Hip. 2. in 1. epid. 50. *hæc meditator, hoc exerceto, in morbis, vt proſis, vel ſaltem nè noceas.* quod multo magis in habentibus vires extremas, ſcilicet ignis, aliasq. qualitates extremè noxias, eſt obſeruandum, quod expreſſit Gal. 12. meth. 1. cum ait, terminus curationis eſto, qui generosè morbum curat, vt tutò curet, nam qui vltrà peragit, carnificis officium facit, qui vitam cum morbo adimit.

41. Sunt plura venena deleteria, quæ poſſunt vſurpari propter aliquam qualitatem, licet rariſſime, & in tutiorum remediorum penuria, quæ tamen tanquam magis noxia, ſunt vitanda iuxta Hip. Gal. Auic. dogma proximè allatum.

42 Ad inſtantiam de allio, & cæpa, ſinapi, quæ foris exulcerant, non intus reſpondet Gal. 3. de temp. 3. quod non conuenit in chalcantho.

43. Ad Auicennam ſimiliter reſpondetur. 2. can. . . . . commemoraſſe vires chalcāthi quatenus poſſint eſſe vtiles, licet nō tutæ, quod ex eo conſtat, quia lib. 4. can. loc. cit. commemorauit

inter

inter venena metallica non tuta, præterea quia idem Auicenna lib. 3. can. non commemorauit chalcanthum inter remedia *oculorum, aut lacrimarum vſu, aut palpebrarum, aut vlcerum faucium, vel gingiuarum*.

44 Quod igitur chalcāthum non ſit remedium vtile, ſimul, & tutum probatum eſt, ratione, auctoritate, & experimentis ſuperius allatis: ſequitur igitur veram eſſe ſententiam Euſtachij Rudij chalcāthum eſſe noxium magis, quam Anacardos, & calore igneo conferendum cum Euphorbio, & Manardi cautè agendum eſſe, ne exulceret, & Ioa. Bapt. Siluatici ſine periculo vſurpari non poſſe, & tutioribus ſemper remedijs vtendum, quibus nos abundamus, quod eſt dogma Rationalium Medicorum, præcipuè Hipp. Gal. & Auic.

45. Quod ſi Pharmacopolis lege, & pena cautum eſt, ne vendant venena niſi cautione ſcripta, vti Clemens VII. cap. 63. & Gregorius XIII. & præterea ex ſtatutis Collegij Rom. Med. ne venena aliqui vendant, neque vendant pharmaca ſimul, & ad curas morborum alicui præbeant, quanto magis medicinæ imperitis, Circulatoribus, & Rabulis, Circumforaneis, talia remedia, extrema, periculoſa, pernicioſa prohibenda, &c.

Perilluſtr. & Excell. D. D. Ioanni Baptiſtæ Faſianello.

Petrus Caſtellus Medicus Romanus ſalutem.

EPISTOLA DECIMA.

Defenditur Chalcanthum.

MISISTI ad me (Excell. Vir) Chirographum quoddam contra Chalcanthum, quod ſapit Iuriſperitorum potius dicendi morem, quàm Medici Philoſophi, in eo enim non continetur, niſi indigeſtus quidam Auctorum cumulus ſæpè reiteratorum nulla ratione ornatus. Vndè nullo modo videtur credendum eſſe opus publici Lectoris Medicinæ, cuius ego quoq; auditor quondam fui, viri eruditiſſimi, & Philoſophi acutiſſimi, (audiui enim olim in alio ſtudio etiam Logicam publicè docuiſſe:) tamen Chirographum ipſum, quod apud me ſeruatur, manifeſtè oſtendit, & declarat ipſiuſmet manu eſſe ſcriptum, namq; caracter mihi notus eſt, & amicis aliquot cognitus. Idcircò equidem aſſerere auderem, non eſſe completum ipſius Doctoris tractatum; ſed ſolùm ſcribendi principium, apparatum, & tumultuariam ſuppellectilem, & veluti fundamentum eorum, quæ Doctiſſimus vir fusè ſcribere fortaſsè decreuerat. ſed neſcio quo pacto talis imperfecta diſceptatio ab eius manibus exciderit: fortè ob celeritatem reſpondendi, & Aduerſarijs collegis ſe opponendi, veluti præmiſſorium quid ad alia maturiora, præbere voluit. ſed hucuſque nil aliud delatum eſt. Mihi autem, qui iamdudum Chalcanthi tutelam ſuſcepi, iniquum, & nefas eſſe videtur, ſi modo in tanta neceſſitate, & periculo chalcanthum meum deſererem. Itaq; experiar meas vires, (modeſtiſſimè ſemper, & honorificè) experiar an reſiſtere iners iuuenis valeam Erudito, expertoq; ſeni: an diſcipulus præceptori: denique an Galenico

Tuetur dignitatem Præceptoris.

Quid agendum.

Her-

Hermeticus, Galenico ſimplici, & mero. Exemplo Ariſtotelis, qui à præceptore Platone (ob excellentiam vocato Diuino) defecit, & non parum diſſenſit, ac aliorum quorundam Philoſophorum, qui diuerſas à ſuis præceptoribus condiderunt ſectas veritatis tuenda gratia. quid tentare nocebit?

Audentes ſors, Deusq. iuuat. Ouid. 2. Faſt.

Sed huius meæ diſceptationis te ipſum nunc eligo Iudicem (eruditiſſime Faſianelle) æquus ſis quæſo Iudex, nec collegæ magis ſis addictus, quàm extero: nec ſeni quàm iuniori attentus; nec Præceptori potius quam Diſcipulo, nec deniq. vetuſtiori Lectori magis credas, quàm recentiori. Sed de tua æquitate, & fide minimè diffidens iàm certamen ſubeo, attende rogo.

RESPONSIO.

Quod Chalcanthum non ſit Deleterium, neque Venenum; (niſi laro modo, vt Dioſcorides lib. 6. Venena vocat omnia enecantia, videlicet nimium vini, vel aquæ potum, lac ſi fortè fortuna in ſtomacho coaguletur) imò Medicamentum venenis oppoſitum, Alexipharmacum, & adſtringens à prædominio, in Medicina tùm vtile, tùm vſitatiſſimum, tàm apud veteres, quam recentiores, conſtat *Ratione*, *Auctoritate*, *Exemplo*, quamuis Neoterici conentur mordicus aduerſari, quos tamen ſi monumenta Auctorum diligentiùs intuebuntur veritati aſſenſuros ſperandum. *Vitriolum non eſſe venenum.* *Retorſio verborum Aduerſarij.*

Ratione ab huius mineralis materia, & efficiente, nàm gignitur ex ſucco elementari terreſtri, Alexipharmaco, aſſato, agente igne ſubterraneo, ad calcis vſque ſimilitudinem, vndè in ſalis Naturam reducitur. Sic Paracelſus lib. 2. de morb. min. tract. 3. cap. 1. lib. 4. philoſ. cap. 6. & lib. de reb. nat. cap. 8. ſalis ſpeciem facit. cui aſſentiuntur. Phedro in furnochymico. Ioa. de Boy. in Meth. miſcend. med. ſect. 1. cap. 4. Cardanus de venen. Quercetanus in Thetrade, cap. 30. Kernerus in Thetrade ſect. 5. Minderetus de Chalcantho cap. 1. Libauius 8. ſyntag. Arcan. c. 41. & in Pharmaceutica c. 30. Petrus Poterius in Pharmacopea ſpagirica. Gerardus Dorneus in Geneologia miner. cap. 14. Beguinus, qui addit hoc eſſe ſal animatum R. Lullij, & alij plurimi. Et quia ignis venenorum omnium vires eliminat, necnon quia ſal, ſalubre corporibus eſt, (ſal Deo Amicum dixit Plato) indè eſt *Probatur ratione.* *Vitriolum eſt ſpecies ſalis.* *Vitriolum Alexiteriũ*

 ſorti-

ſortitum facultatem Alexiteriam, venenis aduerſam, & noxios humores expellentem. A materia autem elementari, & terreſtri adſtringendi vim; à nimia ſalſedine, acredine, & aciditate (heterogeneum enim eſt) carnem liquandi humidam, & imputridam ſeruandi: præterea quia minerale eſt, nec à noſtro calore in nutrimentum alterari poteſt, nec à veneno ſuperari, qualia eſſe debent Medicamenta Theriaca, Alexipharmaca, ac purgantia. ex Gal. 5. de ſimpl. m. f. 18. hinc vires ſuas firmas, & ſtabiles exerit: & vt aurum, & argentum metalla, & vt ſmaragdus, Rubinus, &c. lapides, & gemmæ (ſi recta adhibeatur præparatio,) ſalubres humano generi vires largitur.

Aer vitriolatus. Quod *Aeris odor* viſus ſit Galeno *ſuffocans*, & tolleratu difficilis, & ideo minera fodiatur apertis ductibus, non cuniculis reſeratis: id non arguit venenoſitatem à forma; ſed quantitate. Galenus ipſe nullum vidit ibi ſuffocatum, ſed ob ingratitudinem id viſum ſibi eſſe dixit, & clarè dixit odorem lædere, multi autem ſunt odores, qui nos lædunt, & ferri nequeunt; non tamen dicuntur venena. iſte verò etſi erat moleſtus, non tamen ſtatim (quod ſolet vera deleteria, & aer cauernæ Puteolanæ canum, vt ego vidi) occidebat. quare nocebat ille ſola quantitate, vndè ſumma feſtinatione recurrebant, pauca. n. inſpiratio illius quamuis copioſæ exalationis non erat ſufficiens ad mortem. Porrò

Qualis aer deleterius. aer verè deleterius ſemel tantùm inſpiratus læthalis eſt, vt peſtilês, venenatus, gallica lue, phthiſi, variolis, & morbillis, infectus, nos hunc caſum afferre poſſumus. Romæ Veſpilloni Hoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia, deciderant quædam claues in monu-

Hiſtoria. mentum cadauerum, hic immiſſa ſcala deſcendit ad ea ſurripienda, ſed pauciſſimo illo tempore tantum hauſit venenati aeris, vt per triduum, quo ſuperuixit, et pluries lotus totus, adeò fœtidus eſſet, vt ab omnibus viuus abhorreretur. ſed aeris cauernarum aliquot venenati, meminere Ioa. Cayus Angl. lib. de Ephem. Britan. Vidius med. part. 2. ſect. 2. lib. 1. cap. 2. Riolanus lib. 2. meth. cap. 19. Mercurial. de venen. lib. 1. cap. 13. & Romæ aliquot puteos adhuc oſtendere poſſem in quos ingreſſi aliqui ſtatim periere, & huiuſmodi quidem aer verè deleterius ab effectu dici poteſt, non ille è vitriolo. Sed tollerari non poterat in Cypro odor longo tempore, ob copiam exalationum ſulphurea-

rum

rum aerem inficientium, non enim vitrioli ſubſtantia facile exa lat,& volatilis eſt, ſed ſummè fixa, vt optimè nouerunt experti Chimici, ſed ſulphur, quod mixtũ in eiuſdem reperitur fodinis, illud eſt, quod exalatione aerẽ inficit: in reſeratis autem cuniculis, vbi aeris exitus anguſtior, ob maiorem exalationum copiam tolleratu difficilior; Vidimus nos Puteoli ad montem Miſenum ſub palatio Luculli aquam fœniculi, ſeu potius fini oculi, quæ in antro quodam eſt, Lumen aquæ approximatum per duos palmos extingui: ſupra aquam per tres palmos non extinguebatur, ſic recti ſtantes nos non lædebamur, ſed inclinatis ſupra aquam vehementia exalationum caput mire afficiebat. Sic lumen in illis caueis non diù durabat (vt ſcribit Galenus) ob aerem exalationum copia (ſulphurearum putidarum dico) ita denſum, vt ardere eſſet difficile. ſed ex hoc ego conijcio, nimirũ, ſi luminibus egebant, nõ fuiſſe minas aperto cęlo, vt cẽſuit Aduerſarius. ſed Galen. apertè dixit, erat *Specus effoſſus, &c. quaſi in ſtadium porrectus, &c.* quid ſit cõſiderato. Nec ex his rectè inferri poteſt, vt luminibus eſt læthalis aer, ita hominibus, ex proprietate occulta. Sed accidit Romæ homines ingreſſos fuiſſe in cellã vinariam. ſubterraneam vndique clauſam, in qua nouum, & ebulliens vinum repoſitum erat; vndè vapores multiplicati (qui copia non qualitate) illico ab ingreſsu illos ſuffocauerunt: hinc dicendus eſset vini halitus multò deleterior halitu vitrioli cauernarum, quia hic aliquo breui tempore ſuſtineri poteſt, ille vineus nullo, ſed ſtatim occidit, ergo, diceret Aduerſarius vinum eſt venenum? pariter Crocus eſſet venenum. nàm ex nimio odore Croci quoſdam in cubiculo clauſo dormientes obijſſe ferunt Amatus in Dioſc. lib. 1. cap. 25. & alij? Concludamus ergo aerem cauearum vitriolatarum in Cypro eſſe odoris fœtidi, & ferè ſuffocantis ob exalationes ſulphureas. ſed ibi, vt ex verbis Galeni patet, non excauabatur vitriolum ipſum; ſed ſola aqua vitriolata, quæ poſtea alibi denſabatur. ſed ſulphur etiam cauatur aperto cęlo, vt ſcribit Vannucius in Pyrotecnia lib. 1. cap. 2. aliter odor ferri non poſſet. & ſubdit. *non ideo noxium vocandum, nam ſæpè eius vſus ſalubris eſt homini.* Vitrioli autem minera apud nos aperto cęlo cauatur. Primò quia in ſuperficie reperitur. Secundò, ob odorem ſulphuris, quod exhalat à chal-

Aere ſpiritu vini infecto quoſdam necatos.

Odor ſulphuris ferri non poteſt.

chalcanthi minera, vt vidimus in vitrioli Rom. minera. Tertio, quia commota minera ſicca puluerem edit, qui reſpiratione à pulmone attractus copioſius in caueis, quàm cęlo libero, non parum lędere poſſet. & ex his patet qualis fuerit mens Galeni, Agric. & Matthioli, nimirum nil contra vitriolum ipſum dicere.

Num. 2. Ad Cardanum lib. 5. de ſubtil. pag. 211. Reſpondeo, ipſum non loqui de minera ipſa, ſed dum igne conficitur oleum, exalat enim tunc ſulphureus ſpiritus, qui validè ſiccando arbores vicinas lędit, quare non aptè citatur Cardanus, tamquam de minera loquens, & argumentum procedit in ſulphur lędens non in vitriolum.

Num. 3. Ad Braſauolum, qui idem affirmat, idem reſpondetur.

Num. 4. Quod ex Bauuhino obijcit multiplici errore eſt compilatum. Primò, non rectè citat verba Bauuhini, iſte enim lib. 2. cap. 1. pag. 95. loquitur de aquis aereis in Cypro, non vitriolatis, & ait, *Quæ craſſam ducunt ex æneis materialibus ſubſtantiam, quales in Cypro virides, acresq. ba verrunt, erodũtq. nimis, ac minùs tutò propterea vſurpantur. Quod idem in Atramẽtoſis contingit aquis, &c.* ſed eſto ſermo de aquis chalcanthinis, de quibus Gal. 9. de ſim. m. fac. intelligit Bauuhinus de aquis nimium vitriolatis cum Baccio lib. 5. cap. 11. conſentiens, qui ait, *Sinceræ aquæ atramentoſæ in potibus inutiles, ſtomacbo aduerſantur, corroſiuæ, atque vlcerantes ſunt, parce in quocumque medicinæ vſu recipiendæ.* Quare id referendum in admiſtam copiam, non qualitatem chalcanthi. Nam ait Agricola de Nat. foſſil. p. 113. *Atramentoſæ aquæ ſi nimium fuerint acres, necant, ſi moderatæ, proſunt, eaſdem vires habentes, ac aluminoſæ, ſcilicet, ventriculum vomere ſolitum reficiunt, vlcera veſicæ curant, proſunt mulieribus nimis purgantibus, & ſæpè abortientibus, &c.* Baccius lib. 5. cap. 11. *Quæ mediocriter atramentoſæ ab exacta illa miſtione deſciſcunt, eadem per omnia poſſunt, quæ aluminatæ, atque acidæ: penetrant verò promptius, abſterguntq. ac epotæ per vrinam, ac aluum egregiè purgant, arenulas pellunt, &c.* Tabernamontanus in Theſauro aquario. par. 2. cap. 33. *Aqua tenuioribus partibus, & ſpirituali ſubtilitate vitrioli perfuſa, &c.* ſubdit. *ſi bibatur, vel in balneo adminiſtretur, prodeſt ad ſuffuſionem, vertiginem, epilepſiam, paralyſin, ſputum ſanguinis, hæmorrhagiam vteri, & hæmorroidum: nauſeam,*

Atramentoſæ aquæ quando vtiles, vel nociuæ.

Actuarius ad Hydropem laudat potũ aquarum vitriolatarum.

& vomitum compeſcit. Vtilis melancholicis, mente captis, inſanis: tollit cachecticorum,& ictericorum fœdos colores: hepaticis opitulatur,& quibus ſudores fœtidi moleſti ſunt, &c. His ſubſcribit ipſe Bauuhinus lib.1.cap.11. & ſuum admirabilem fontem bollenſem in ſe continere vitriolum profitetur. vndè patet aquas nimium atramentoſas vituperari, mediocriter verò laudari. quæ igitur eſt venenoſitas iſta? quæ deleteria vis à proprietate? & de viribus aquarum vitriolatarum, plura etiam Mindererus lib. de chalcantho c.11.vbi etiam acidulas eſſe ex vitriolo ſcribit.an dices. Acetoſas Romanas vitriolatas eſſe venena? mille bibunt quotidie, vltra ſatietatem,numera quot obijſſe obſeruaſti.& de his breui habebis ſententiam meam lib.de aquis Romanis.

Ad Cæſalpinum quondam Præceptorem noſtrum, dicimus intelligendum ob puluerem ſiccantiſſimum, qui à minera commota eleuatur,& reſpiratione pectus ingreditur, non ob id dici poteſt eſſe venenum; nam ſequeretur etiam triticum eſſe venenum, puluis enim à frumento commoto excitatus mirè pernicioſus pulmoni eſt. ſed vitriolum inter alexipharmaca numerat de ven.c.10.p.377. Num.5.

Quod *exurat, & corrodat* etiam ſi conceſſero Galeno, Aeginetæ,Dioſcoridi,Gualterio,atque etiam Celſo, non inde tamen ſequetur, ergo eſt *venenum deleterium*. ratio eſt, quia id non eſt proprietas veneni deleterij (ſi Ariſtotelis modo proprium dixero) non enim conuertitur,vt omne venenum ſit exurens,& corrodens,neque item conceditur omne exurens eſſe venenum, quia dantur multa corrodentia non venenata,vt Allium,Cæpe, & alia calida in quarto,& ignis ipſe. Aegineta lib.7.c.2.*Siccius* (inquit) *medicamentum nullum eſt inuenire quarti ordinis, ſi non vrat, nàm ſi quod ſummè exiccat,id planè vrit.* ex quo etiam planè innoteſcit voluiſſe vſtionem à ſiccitate fieri primario,non à calore,vt dubitatione mea 2.demonſtraui. vnde pura extrema qualitas ſicca illa eſt,quæ vrit; non proprietas occulta deleteria. Et quamuis conceſſero quarti ordinis calfacientium, & ſiccantium eſſe vitriolum,haud tamen inferri valet, ergo venenum. Nam Coſtus,Cepa,Lepidium,Sinapi,Allium. ex Oribaſio.14.collect.cap.18.& 2.ſinop.cap.6. ac Serapione de ſimpl. cap.3.ſunt in quarto gradu calida,& ſicca. non tamen venena

Num.6.

Non omnia corrodentia ſunt venena.

Non omnia cali‑ ſunt venena.

Imò

Imò ignis omnium vrentium vrentiſſimum, non modo non eſt venenum; ſed ſummum, & extremum contra venena remedium vt patet ex Dioſcoride lib. 6. omnibus remedijs illum præferente, ad ictus venenatos atrociſſimos. & Plinius lib. 36. cap. vltimo. *Eſt* (inquit) *ipſis ignibus Medica vis*. & peſtilenti aeri conferre addit, quod Hippocratis Experimento eſt etiam comprobatum. ergo ſi ignis calidior, ſiccior, magis exurens, & corrodens, quam vitriolum, non eſt venenum, neque vitriolum erit venenum ob dictas qualitates, quæ cũ ſint manifeſtæ, & ſummè intenſæ in eo, nec non, & copioſa id eſt abundantia nocere poſſit, gratis ab Aduerſario ponitur occulta qualitas, quod ſi quandoq. lædere queat, non ob id venenum propriè dici mereatur, ſed per accidens, & ſumpta veneni voce lato modo, vt dixi ſumpſiſſe Dioſcoridem.

Ignis contra venena

Num. 7. Ad Galenum allatum concedo vitriolum parti vlceratæ applicatum eſcaram inducere. cuti verò applicatum, tàm vſtum, quàm inuſtum minimè vlcerans, corrodens, & eſcaroticum (quamuis vltra 24. horas detineatur, tàm Romanum vitriolum, quàm Cyprium,) mea propria experientia agnoui; & quilibet experiri poteſt, ergo eſt venenum. inepta conſequentia.

Num. 8. Ad Paulum Galeni verba tranſcribentem idem reſpondetur.

Num. 9. Ad Dioſcoridem. *Cruſtas inducit* tranſeat, ergo eſt venenum nego. nam ignis potentiùs cruſtas inducit, nec eſt venenum.

Num. 10. Ad Gualterium, & Siluium, Dioſcoridis verba afferẽtes idem reſpondendum.

Num. 11. Ad Celſum conceditur corrodere, & exurere carnem priuatam cute. non autem integra cute. ergo venenum. ridiculum.

Ad Auctores, qui dicunt *occulta proprietate eſſe venenum*, dicimus ipſos valdè decipi, cum nulla ratione id probent. Contrarium autem nos aſſerimus multiplici de capite. Primò, quia vitriolo non competit veneni deſcriptio, tradita ab Auic. lib. 2. tract. 1. *Venenum* (inquit) *eſt Medicina naturæ humanæ contraria non ſecundum contrarietatem, ſed ſecundum proprietatem*. nec definitio tradita à Mercurial. lib. 1. cap. 5. de ven. neq. illa Guainerij, neq. Capinaccei, neq. Zuuingeri, neq. Fernelij, & aliorum. Secundò, quia non habet proprietatem occultam cordi contrariam, vt vera deleteria ex Auic. de virib. cord. tract. 1.

Vitriolum non eſt venenum à proprietate.

cap.1. P. de Ebano. de ven. cap. 2. M. Mercato de ven. initio. Guainerio cap.1 .Baccio de ven. cap.6. Cęſalp. de ven. cap. 4. Greuino de ven. cap.1. Mercurial. de ven. lib. 1. cap.1. & 11. & confirmat epiſt. 91. ad Sckolzium. P. Monauio epiſt. 116. Matthia Vntzero lib. 1. de Mercurio. pag. 115. & denique Galeno 3. de ſimpl. m. f. c. 18. & 19. Tertiò, quia Auctores antiqui agentes de venenis inter ipſa non numerant vitriolum, vt Dioſc. Aet. Actuar. Aeginet. Scribonius, Nicander. Quartò, quia multi Auctores expreſsè negant in vitriolo adeſſe deleteriam vim, vt Mindererus de chalcantho. Kernerus in Tetrade, & Rullandus de feb. vng. & alij plures. Quintò, quia eſt *Alexipharmacum, & Alexiterium*, vtile ad venena *fungorum*, ex Dioſcorid. Auicenna, & alijs. *ad ventris tineas, & hirudines deuoratas*, ex Dioſc. Plinio, Auic. imò Celſus lib. 5. c. 27. *Si Ceraſtis, aut Dipſas, aut Hæmorrois percuſſit, Sory, quod ægyptiæ fabæ magnitudinem æquet arefactum in duas potiones diuidendum eſt, ſic vt ei rutæ paulum adijciatur.* vndè implicat eſſe venenum, & contra venenum. Sextò, quia non niſi multa copia nocet. ea autem quæ multa copia nocent non ſunt verè deleteria, ſed vniuerſaliſſimè per abuſum venena aliquando dicuntur. Vitriolum quidem datur ex Dioſc. vtiliter ad dracm. 1. ergo ſi doſis maior data nocet, nō culpanda vitrioli proprietas, ſed quantitas. Septimò, quia ad curandum non eget Alexipharmaco, ſi fortè imprudentia læſerit; ſed ſolò pingui, quod opponitur ſolæ manifeſtæ qualitati ſiccæ, non occultæ vlli.

Nunc reſpondeo, ad Nicolum, qui dixit, & non probauit vitriolum eſſe putrefaciens. vbi turpiter deceptus eſt ignorans ſepticorum, & putrefacientium eſſentiam, & formam. quod poſtea probabimus, ex ſententia Galeni. Num. 12. Ad Nicolū.

Matthiolus autem falsò citatur; nullibi enim dixit eſſe deleterium, nec inter venena connumerauit: ſed capite proprio ſummè illud laudauit, dicens ſe non mirari à Dioſcoride fuiſſe exhibitum ad fungos, & vermes, etiam ſi erodens, & ſepticæ facultatis habeatur, ſi quidem ad eoſdem & alios vſus valet, non ſolum ipſum: ſed etiam oleum ex ipſo paratum. Num. 13 Ad Matthiolum.

In Cardano lib. 5. de ſubtilitate non lego, quod Aduerſarius refert. quamuis libro de venenis id fateatur, ſed lib. 2. de Num. 14 Ad Cardanum.

ſubtilitate.pag.mea 108. quærens oleum quod arterijs illitum expellat venenum. ſubdit. *Quæ præpollere venenum debent, metallica eſſe venena neceſſe eſt · non tamen acerbiſſima, & calidiſſima, & diſcutientia; & venenis quodammodo contraria. Horum igitur materia bis conſtare poteſt; Myſi, & auripigmento, & laſeris ſucco, & gentiana, &c.* ecce Myſi, quod apud ipſum eſt noſtrum vitriolum Romanum, præparatur contra venenum.

Num 15 Ad Fernelium. Ad Fernelium. Hic in ſuo de Abditis rerum cauſis. in definitione veneni ponit facultatem à tota ſubſtantia, & vitriolum deleterium à qualitate dicit: ſed cũ nulla in vitriolo agnoſcatur occulta qualitas nocens, nulla praua ſpecifica qualitas agens. ſed ſola ſumma ſiccitas, quæ manifeſta qualitas eſt ex ipſo Fernelio. fruſtra, & gratis ponitur ipſa occulta. ergo vitriolum non comprehenditur ſub Ferneliano veneno. Et decipitur (alioqui grauis Auctor, vt verùm fatear) cùm tanquam deleterium vitriolum vituperat. nec apud me valet auctoritas ſine ratione. cum enim Fernelius dicat vitriolum eſſe deleterium, nec afferat ſui dicti cauſam, & rationes, minimè illi credam, nullas enim puto, quod ſi aliquæ fuerant, cùm non extent ſoluere nequeo. ego in contrarium adducam rationes, auctoritates, & experimenta plurima.

Num.16 Ad Vecchetium. Vecchetius citatur pag. 47. in meo autem codice pag. 25. agit de vitriolo pag. 27. de Miſy, & Sory. at ab Aduerſario minimè citatur ad rem, quum dicat, quæ à Dioſcoride abſtulit, nimirùm *valdè calefacere, aſtringere, carnem ſiccare, & in ſe contrahere*. & nihil præterea aliud. ſolum addens, oleum ex eo parari, de quo poſtea pag. 501. ipſum ad multos morbos ſummè extollens agit, quod non feciſſet, ſi vitriolum venenum putaſſet.

Ad Arduinum. Arduinus ſolam qualitatem ſiccam noxiam vult.

Ad Andernacum. Andernacus non habet, niſi nuda Dioſcoridis verba.

Ad Braſauolum. Braſauolus apud me Lugdun. edition. anni 1546. de vitriolo agit pag. 786. & de ipſo tantum refert. eſſe calidum, & ſiccum ordine tertio, & parari oleum. nil de viribus deleterijs chalcanthi.

Ad Syluiũ. Siluius autem pag. 92. nequaquam deleterium dixit, ſed *putridis vlceribus congruit, &c.* deinde quia eſt medicamen vehementiſſimum, addit vitanda eius per ſe vehementia, ſed mitioribus

ribus miſtis obtundenda: quo docet, non abutendum, ſed rectè
vtendum, non ſolo, & per ſe, ſed miſto, ac ſi quis diceret vino
mero non vtendum, ſed aqua miſta obtundendum.

Guainerius tract. de ven. cap. 8. vitriolum potum ſcribit ex- Ad Guainerium.
citare difficultatem reſpirandi, & inteſtinorum eroſionem. Ar-
nald. de ven. ſpecies vitreoli, & caparos, ſeu vitriolum Roma-
num, venenoſæ, exiccant pulmonem, necantq. corroſione
aliquando pernicioſa, inferunt etiam tuſſim producentem ad
phthiſim. ſed hæc non ſunt à qualitate occulta, ſed ab aſtrictio-
ne, & ſiccitate nimia. ſcilicet ſi purum, & nimia copia fuerit
aſſumptum. ineptè igitur citatur Guainerius.

Fallopius nobiſcum eſt, nullam enim occultam qualitatem Ad Fallopium.
agnoſcit. nam de purgantibus pag. 65. *Sunt quædam delete-*
ria (inquit) *nimia caliditate, & ſiccitate, cuius modi eſt chalcan-*
thum, Myſi, & ſimilia, hæc omnia ſunt deleteria ratione qualitatis
manifeſtæ. alia verò ſunt tota ſubſtantia, &c. deinde pag. 67.
Quæ ſunt deleteria tantum qualitate, vel ſua vi purgatrice, interfi-
ciunt ſolum, ſi exhibeantur in multa quantitate; ſi autem in mini-
ma, non poſſunt interficere. Dioſcorides dat drachmam vnam
chalcanthi, ſi quis pondus exceſſerit, tunc lædet. videte nunc
quam aptè citetur Fallopius, qui expreſsè aſſerit vitriolum ſola
manifeſta qualitate nocere poſſe, & non niſi in multa copia ſu-
matur.

Ad Euſtachium Rudium. Quid refert comparari Anacardo, Num. 17 Ad Rudiũ.
& Euphorbio, cùm non ſint verè deleteria; nàm quantitate, non
qualitate nocent, & in vſum correcta veniunt. vera autem de-
leteria ex Galen. 6. in 6. epid. 5. neq. ſanis, neq. ægris in vſu ſunt.
At *Anacardus* quamuis ab Auicenna ponatur in genere vene- Anacardũ
norum, non tamen qualitate, ſed quantitate nocuus eſt. id ex-
plicat idem Auctor de venenis cap. 9. ſcribens. *Quod de eis in-*
terficit eſt pondus duorum aureorum, ideſt circiter drachmas tres
tamen teſtatur ſe vidiſſe aliquos innoxiè Anacardis vtentes. &
2. can. cap. proprio. conferre dixit *neruis malè affectis, & memo-*
riæ. iuuat igitur ad intemperiem frigidam: ſed nocet copia,
& in corporibus calidis. non eſt ergo venenum propriè delete-
rium. De *Euphorbio* dicendum etiam quantitate obeſſe, eodem Euphorbiũ
Auic. teſte 2. can. *Interficiunt* (inquit) *tres drachmæ, in tribus*

diebus. ergo quantitas nocet, non moderatus vſus, cùm ſit alexipharmacum ex eodem Auic. ad morſum vermium venenatorum, & confert Hydropi, colicæ, purgando, & calefaciendo, vndè multa alia iuuamenta afferunt Dioſcorid. Meſues, Aetius, Actuarius, Plinius, &c. Sed Aduerſarius quid quærit etiam ſi concederetur vitriolum eſſe calidius Anacardo, & Euphorbio? forrè vellet dicere. ergo venenum, non placet. nam ignis his multò calidior non ob id venenum.

Num. 18 Ad Ioa. de Vigo. Ioannem de Vigo citatum non reperio in meo codice pag. 223. de hoc loquentem. ſed in fine lib. 7. pag. mea 316. ſcribit tantùm. eſſe calidum, & ſiccum in 4. ob id ſiccando, & corrodendo conſtringere ſanguinis fluxus. ſed vſtum vult. an ex hoc eſſe læthale colligit Eruditus vir? at dato, non conceſſo (niſi ob copiam) eſſe læthale, recordari deberet Galenum. 6. de comp. m. lib. 1. ſcripſiſſe; quod *non omne læthale, ſtatim etiam eſt venenum*.

Num. 19 Ad Auicennam. Quod ad Auicennam, hic agit de chalcantho cap. 169. ex mente Dioſcoridis, & ad venena exhibet fungorum, tanquam alexipharmacum. ſed cap. 48. per atramentum non intelligit chalcanthum, ſed chalcitidem, & dicit eſſe calidum, & ſiccũ in 3. Chalcanthum autem facit calidum, & ſiccum 4. ſed omnium vires videtur confundere, & hoc cap. 48. non videtur includere chalcanthum cùm eius vires à Dioſcor. traditas non enumeret, ſed deinde alio capite. Ex quo patet Auicennam hic eſſe valdè confuſum, nec de vitriolo ipſo hoc capite egiſſe. Præterea ob nomina ab interpretibus non benè verſa, difficulter poteſt eius mens percipi: vndè apud nos nullius in hac quæſtione debet eſſe auctoritatis, ſicut neq. alij Arabes: cùm enim ſumpſerint ferè omnia à Græcis, Galeno, Paulo, Oribaſio, Dioſcor. &c. ad ipſos fontes redeundum, cùm aqua turbida apparet. Venenoſam Chacitidi, vel vlli ſpeciei, non impoſuere noxam Græci, quibus nos credimus Arabum Magiſtris, imò vtile chalcanthũ, & alexipharmacum cecinere. Ego imaginor Auicennam deceptum verbis Galeni. 6. de med. comp. 2. loc. 1. vbi timet pharmacum cùm atramento ſutorio, ne ex eo aliquid per aſperam arteriam decidat in pulmones; vndè opinatur læſurum fuiſſe. & ex hoc Arabes imaginati sũt venenoſitatem ſiccantem pulmones.

Magis credimus Græcis, quam Arabibus.

Sed

Sed nè ſubterfugiamus argumentum, conſiderabimus etiam verba Auicennæ. *Deſiccat* (inquit) *pulmonem, ita quod fortaſſe interficit*. Ego infero. Ergo non eſt venenum deleterium,& lęthale,quod neceſſariò,vt plurimùm,occidit,ſed *fortaſſè*. ità omnis repletio etiam Mitridati,vel vini *fortaſsè* interficit. Et quid eſt illud, quod fortaſsè non interficit? at dices; ſtatim ſubdit. *in ipſo eſt virtus venenoſa deſiccans pulmonem*. Reſpondeo. ſi fortaſſe interficit illa virtus deſiccans pulmones; ergo fortaſsè eſt venenoſa. ergo per accidens venenum. ſed an verè adſit iſta virtus antipulmonica in dubium eſt. nam Græci non obſeruarunt eam. nec certi ſumus an Arabes id ſcripſerint ſola imaginatione,vel experimento. Guainerius quidem ſcripſit vitriolo epoto excitari difficultatem reſpirandi. ab hac fortè Arabes pulmoni inimicum dixere. ſed manifeſta adeſt adſtringentia, cui id tribui debet,non occultæ vi. Atq; hoc antiquis notum fuit. vnde Plinius. *Nuperq. inuentum, Vrſorum, in arena, & Leônum ora in ſpargere illo; tantaq. eſt vis in aſtringendo,vt non queant mordere.* Explicãtur verba Auicennæ. Obiectio. Solutio.

Ad locum Auicennæ ex lib.4. ego inuenio titulum. *De aqua ſaponis,draganti,& aluminis*. infra legitur *dragantum, & alumen*. & draganto vſto vtitur ad ſiſtendum ſanguinem, lib. 3. f.6.tr.1.c.13.quæ corrigens Bellunenſis ſcribit *capitulo de draganto, ſeu vitriolo,& alumine*. Hic plures ſunt difficultates. Prima de nomine *Draganti* an voluerit vitriolum, vel aliam ſpeciem,in lib.2.hoc nomen non inuenio, ſed alia plura Chalcant, Chalcand,Cholchoſar,Cholcotar, Alchalcadis, Alſuria, Atramentum. ſed Raſis interpres lib. 3. ad almanſ. etiam vitriolum interpretatur. Secunda, dato intelligi vitriolum, titulus, qui eſt *de aqua ſaponis,& draganti,& aluminis*, indicat aquam vitrioli, & aluminis, quæ erit aqua fortis dicta, ſeu corroſiua metallorum,quod etiam ex Bellunenſis caſtigatione allata confirmatur. ob nomen Capituli, vulgo enim aquã ſaponis vocant *Capitello*. Quare Auicennas loquitur de aqua forti, non de vitriolo ipſo. à cuius potu concedi poteſt vehementem tuſſim, & denique phthiſim excitari poſſe. Alium locum Auicennæ.

Raſis verò 8.ad Almanſ.cap.47.titulum capitis inſcripſit, *de his,qui in potu ſumpſerunt,chalcanthum, aut alumen, & multum* Num.20 Ad Raſim

mul-

multum indicat magnam quantitatem, ergo ſi non eſt ſumpta magna quantitas,non eget remedio. ad Albucaſim,& Haliabatem patet reſponſio.

Num. 21 Vitriolum eſſe Alexipharmacũ oſtenditur auctoritate

Experimento commendatur,vt alexipharmacum, ac alexiterium, nec non vt præſtantiſſimum medicamentum ad diuerſos morbos. ex Hippocrate,Dioſcoride,Plinio, Aegineta, Scribonio,atq; ipſo Galeno,necnon ex multis recẽtioribus Matthiolo, Crollio,Maranta,Stelliola,Penoto, Dorneo,&c.

Quos non eſt credendum vtiliter dediſſe vitriolum,ſi eſſet venenum deleterium,& læthale.

Ad Lumbricos.

Dioſcorides. *Latas ventris tineas necat drachmæ pondere.* idem Plinius lib.34.cap.12.Auicen.lib.2.cap.169. Serapio. & multi recentiores aſſentiuntur. Chimici ipſius loco oleo vtuntur,& ſingulariſſimum remedium experiuntur. vt Manardus, Crato, Brendelius, Penotus, Cæſalpinus, Libauius, Zappata, Roſſellus, L.Hofman, Duncanus Bornetus, Mindererus,& alij. Paracelſus verò de ipſo vitriolo ſic loquitur tom. 7. pag. 134. *Et in ſalſitate latet forma ſpecifica, ac natura talis, vt ob eam vermes, quicunque attinguntur, moriantur. & vis ea ſingularis eſt, qua vermes aggreditur.* Si ergo datur ex Dioſcoride drachmæ pondere non erit venenum,niſi vltrà talem doſim homini, præterea, ſi eſſet venenum occideret potiùs hominem, quam internas tineas. dixit autem *deuoratum,aut cùm melle linctum.* ſi eſſet venenum corroſiuum vlceraret Oeſophagum, tracheam, & os totum illa delinctione.

Ad fungos

2. Dioſcorides lib.5.cap.proprio,&lib.6.cap.de fungis.P.Aegineta lib.5. cap.55. Andernacus in annot. Scribonius Largus, Matthiolus lib.5. Actuarius 5.meth. cap.12. Nicander,& alij. *aduerſus hauſta fungorum venena*, ex aqua, vel aceto potum auxiliatur, Serapio cum ſucco Praſſij, ergo ad venena prodeſt. ſed quæ ad venena proſunt alexipharmaca,& venenis contraria ſunt. ergo vitriolum non ſolum non eſt venenum, ſed oppoſitum venenis.

Ad ſtrangulatum.

3. Dioſcor.lib.6.cap.33.& Paul.lib.5. *Nimias purgationes,& ſtrangulatus ex Veratro albo, Tapſia, Elaterio, Agarico nigro,* dicunt curandum, vt fungi. ſed in fungis vitriolo vtuntur. ergo.

4. Dio-

4. Dioſcorides lib.6.cap.32.Paulus lib. 5.cap.37.Auic.fen.9 cap.7.Aetius ſerm.13.c.56.Auctuar.5.meth.c.12. Matthiolus in com.*ad deuoratas hirudines*. vtuntur atramento ſutorio cum aceto gargarizato. Ad hirudines.

5. Celſus lib.5.cap.27.*Si Ceraſtis, aut Dipſas, aut Hæmorrois percuſſit, Sory, quod ægyptiæ fabæ magnitudinem æquet arefactum in duas potiones diuidendum eſt, ſic vt ei Rutæ paululum adijciatur*. Sory ſpecies eſt vitriolorum. Ad ſerpentes.

6. Scribonius Largus cap.170.in antidoto mitridatis, & 176. & 177.in antidoto caſſij,& antid. Marciani,quæ *ad toxica* commendat,miſcet Miſy,quod genere,& facultatibus,cõuenit cum vitriolo. Nicolaus.miſcet chalcanthum.Eſdræ hiſpalenſi antidoto magnæ,& chalcitidem eidem Eſdræ,&Hieræ Ioſeph Sacerdotis, apud Arnald.d.2.parab.38.in explicat.legitur.medicina theriacalis,eſt ſcordium,ruta,gentiana,vitriolus,&c. In Antidotis.

7. Cæſalp.de ven.c.10.pag.377. *Ad craſſam autẽ veneni ſubſtantiam remedia conueniunt craſſiora, vt ſal, chalcitis, nitrum*. & Cardanus 2.de ſubtilitate,quærens cõpoſitionem olei, quod à veneno tueatur illitis arterijs. conſtare poſſe(inquit)ex Miſy, laſere,gentiana,&c. Ang.ſala ad venena,& ipſius ſpiritum commendat. Ad venena

8. Andromachus,Democrates,& Galenus chalcitidem impoſuerunt *Theriacæ*, Recentiores omnes chalcanthum,quod non cenſeo niſi ob vim venenis aduerſam, feciſſe, & facere. In Theriaca.

9. Ad *ſanguinis ſputum* conferre teſtatur Auicen.lib.3.fen.10 trac. 3.c.6. cap.de ſputo ſang. nomine chalcadis.ſ.quum fuerit ab humiditate,& mollificatione. & lib.5.ſum.2.trac.5. in trociſco ad ſputum ſanguinis, Bart. Maranta de Theriaca pag. 61. *Chalcitis prodeſt in quibuſdam morbis internis, & ſputo ſanguinis*. Oſualdus Crollius lib. de ſignaturis ad Hæmorragiam. ſcribit. *Erumpentem ſanguinem è pectore mirabiliter cobibet chalcanthum*.nos ipſius ſpiritum,& oleum laudauimus vna epiſtola. & experti ſumus. Ad ſputum ſanguinis.

10. Hippocrates de nat.mul. verſionis Cornarij pag. 302. & 1.de morb.mul.pag.336. Marinelli num.102. *Si concipere nolit Miſyos fabæ magnitudine aqua dilutum bibendum dato, & per annum non concipiet*. ſi eſſet venenum in æternum non conciperet. Contra cõceptum.

ret. datur ergo Miſy ab Hippocrate. ergo etiam poterit ſine nocumento dari eius congener vitriolum.

11. Ad *Peſtē*. Cuperoſa, quę vitrioli eſt ſpecies, numeratur inter alexiteria ad Peſtem ab Heurnio trac. de præſeruat. à Peſte. à Thoma Iordano de Peſtis phęnomenis trac. 3. circ. fin. qui ſubdit eſſe ſecretum Lucæ Ghini, ſed lego, id prius in additionibus ad Pandectas. Vitriolum ad peſtem concedunt, Mizald. cent. 6. diſt. 48. Pareus de peſte cap. 25. Matt. lib. de morbo Gallico, & in Dioſc. Tomas Bouius in flagello Medicorum. Beguin. in Tirocinio. cap. 17. Quercet. in alexicaco. cap. 3. Vntzerus de peſte li. 2. di. 4. Stelliola de Theriaca. Crato tract. de peſte. Ang. Sala de nat. vit. &c.

12. Ad *Hydropem*. Actuarius 4. meth. cap. 7. ad Hydropem Aſcitem, & Anaſarcam, præbet potanda balnea ſpontanea, quæ atramentum ſutorium ſapiunt. Ad quartanam. In additionib; Pandectæ legitur cap. 21. *Ego benè curaui quartanarium, dabam drac. 1. cuparoſæ præparatæ diſſolutæ cum aq. com. & mellis roſ. vnc. iiij. & exhibebam ante diem, facit enim multum euomere.*

13. Ad *ſang. ſiſtendum*. ſanguinis vndequaque fluxum mirabiliter ſiſtet vitrioli puluis, etiam ſine contactu, quod hucuſq; à nullo exaratum ſcio, itaq. hoc à me primum accipito, ſi ergo ſanguis fluxerit à vulnere, enſem, gladium, vel quamlibet aliā rem, quæ vulnus effecerit, & eius fuerit infecta ſāguine cuius defectu ſumemus, lignū ſalicis, & ſanguine fluente inficiemus, & ad vmbram exiccabimus, tunc inſpergemus puluerem vitrioli, & vulnus adſtringetur, & ſanabitur; & eodem modo eſt faciendum ſanguine fluente ab interioribus, per os, ſeceſſum, vrinam, vterum, nares, &c. vnde vnguenti armarij conſtellati vires habere patet. *Dyſetericis*. Ex eo parantur Trocis. Andronici, & Muſæ. commendati ad ſęuiſſimam dyſenteriam. Gariop. lib. 3. c. 13. cæliacis præbet T. Andronij, Auic. lib. 3. tract. 1. c. 4. de cura fluxus, loquens de remedijs potabilibus, *Atramenta (inquit) & coagula conſtrictiua ſunt.*

Cura mirabilis.

14. Galenus 3. de med. par. fac. 21. componit medicam. ex Aſaro, Miſy, & nardo gallico æquis portionibus, & melle, dat nu cis pontica magnitudine, laudat ſummè *ad vrina difficultates, ſanguinem, calculum, dolorem,* & addit, *facit etiam ſenes conualeſce-*

Ad plures morbos.

leſcere, &c. Addo Romæ me vidiſſe ſuperioribus diebus quendam circumforaneum laudantem vitriolum Cyprium in potu ad Gonorrheam,& ſcio etiam,quendam ipſum cum aqua dilutum ſumpſiſſe,vt etiam teſtari poteſt admodum Illuſtr.& Excel. Medicus Gulielmus Lambertinus, & ſine vitæ periculo. prætereà puer 10.annorum deglutiuit fruſtrum integrum vitrioli cyprij,quod pendere poterat vltra drachmam,nullum ſenſit nocumentum, vt teſtatus eſt idem Medicus, niſi quod per 2. dies ſputum viridaſtrum excernebat. Pictor quidam mihi notus exhibet puerulis epilepticis, & conuulſis, quos Romæ dicunt *Infantigliole* vitrioli puluerati grana aliquot cum iure, magno concurſu mulierum,& multa vtilitate,& ego quoque aliquoties præbui. itaq; auctoritate, & experimento patet vitriolum eſſe medicamentum admodum vtile. Nunc ad auctoritates ab Aduerſario allatas reſpondeamus. Epilepticis.

Ad Galenum 13.meth.20. Reſpondeo primò concedendo, quùm non conuenit deuoratum (ſemper enim Medicus debet inſpicere indicationes) eſſe noxium, vel ſi nimia cōpia. non tamen ob id erit venenum,licet nimis validum medicamentum. Et quamuis hic ſimpliciter dicat Galenus illud miſcere ſtomatichis, nè in ventrem decidat,non eſſe tutum,non idcirco inferri poteſt, ergo eſt venenum. aliud enim eſt eſſe læthale, aliud deleterium, aliud non tutum: & cùm eandem ſententiam ponit 6.de comp.med.l.cap.1.ſcribit. *Huiuſmodi fortibus,& quæ venenoſam habent facultatem, non conuenit vti ad affectionum oris curationem,niſi magna neceſſitas vrgeat.*quod repetit Aetius ſer.8.cap.42.ergo non negat omnino Galenus,nàm vrgente neceſſitate concedit, & venenoſi vocem lato modo ſumpſit, pro quomodocunq; nocuo. Sed deinde id clarius explicat agens de confectione pharmaci ex malis punicis, & primò quidem *noxium eſſe atramentum ſutorium* ſcribit: mox ſubdit de ſucco malorum,pirorum,ſorborum,&c. *omnia hæc citrà noxam deuorantur: ſi verò chalcanthum admiſtum ſit, non validè* (nota) *deglutire oportet confectum pharmacum; præterquam ſi iuxta ſtomachum,* (nota nunc poſſe deglutiri) *aut aluum vlceroſam affectionem fieri ſuſpicemur. Quin & ſi in ore ipſo maligna vlcera fiant; præſtant* (nota verbum) *ex chalcantho medicamenta*. Hic ecce Ad Galenũ

Cc Gale-

Gal. concedit chalcãtum.

Galenus in leui affectu negat, in graui concedit. Chalcanthum concedit manifeſtò deglutiendum *in vlcere iuxtà ſtomachum, & aluum, & ad maligna oris vlcera*, & in leuibus affectibus *non valdè* deglutiendum dixit. non negans omninò; ſed quantitatem, & talis eſt ipſius mẽs, tùm hoc loco, tùm 13. meth. At quomodo vlceri ventriculi, & ſtomachi opitulari poſſet, niſi deglutiretur? erit ergo deuorandum ex Galeno chalcanthum: ſed per negationem illam voluit cautè hoc vtendum, parcè, & non niſi vrgente neceſſitate. & ad idem videtur tendere Actuar. 5 meth. cap. 6. quamuis alio caſu. nàm ſi Hyrudines abſorptæ *in ore ventriculi adhæreſcentes partes exulcerant gargarizandum atramentum ſutorium in læuorem redactum cum aceto*. ſi vero gutturi adhęrent aliter medetur ſine chalcantho. in hoc enim caſu vrget iuxta ſtomachum vlceroſa affectio ab hirudinibus excitata. At inteſtinorum, & ventriculi tunicarum ſubſtantia non videtur multum diuerſa, vnde ſi inteſtina vlcerata ſæpe iuuantur vſu chalcanthi, non poterit ventriculo ſimiliter læſo obeſſe. patet enim apud Auctores antiquos vſitata fuiſſe in clyſteribus, miſy, chalcanthũ, & chalcitidem. Orib. 8. collect. 25. Aetio, & alijs, vt poſtea dicemus. Addam etiam Hippocr. aliud teſtimonium ad hanc rem ſummè faciens. dico autem certum eſſe omnia ex Aere producta ſummam inuicem habere ſimilitudinem: ab ære enim in viſceribus terræ prodeunt miſy, ſory, melanteria, chalcitis, & chalcanthum. quod dicitur χαλκάνθος, à χαλκοῦ, quod eſt æs, & ἄνθος flos, vt ſit æris flos. ab ipſo autem ære arte à terra ſeparato prodeunt etiam aliæ formæ, vt ſquamma, ærugo, & flos æris. aſſero autem æruginem æris, florem æris, & chalcanthum parum inter ſe diſtare, & ſub eodem eſſe genere, vnde ſi alterum eſt venenatum, alterum veneno non caret. nam materia eadem omnibus fuit, & quid diſtant nomina χαλκάνθος χαλκοῦ ἄνθος, & ἄνθος χαλκοῦ, quod ad grammaticam? Aerugo autem quid aliud eſt niſi vitriolum ipſum? Quid eſt vitriolum veneris, niſi ærugo depurata? vt docent Chimici præparare.

Hyppocr.

Ex ære producta.

His præmiſſis aſſero, ſi in potu, & in internis affectibus valent, & ſalubria ſunt ærugo, & flos æris. ſalutare etiam erit vitrioli vſus. teſtem habeo Hippocr. ſummum Magiſtrum, & experiſſimum, quem reprehendere nemo ſanæ mentis audet. Hic inquam ſcrip-

ſcripſit 1.de morb.mul.num.108.*Potus ad puerum* (ſcilicet mortuum) *& mala intus exiſtentia. æruginem tritam cum melle, & ſyrmea potione bibendam dato.* ecce potandam æruginem præbet maximus Medicorum dictator. & 2.de morb. num.44. In ſuppuratis ex peripneumonia. *Florem æris trium fabarum magnitudine cum duplo corticis raphani, & olei quarta heminæ parte, tepida infundito in pulmonem.* & 3.de morb.num.23.in Pleuritide exhibet etiam *florem æris*, cum alijs mixtum. deinde num. 25. in Pleuritide ſanguinea. *In expuitionibus autem, ſi dolor habeat, & expuere non poſſit, ieiuno florem æris dato magnitudine olivæ, &c.* deinde ſubdit. *Aliud forte. florem æris magnitudine fabæ, &c.* & conducere etiam peripneumonicis, ait. Dioſc. etiam ſcripſit. de flore æris. *Quaternum obolorum pondere datus, craſſum humorem extrahit.* & de ſquamma æris. *Pota ex aqua mulſa, aquam trahit.* & tamen ex Dioſc. hæc ipſa mordent, & erodunt. & Hipp. 2.de morb.mul.inter notha. *ſquammam, & æris florem.* corroſiua eſſe edixit. concludam non reformidaſſe Antiquos internum vſum æris, & æreorum, vt æruginis, ſquammæ, floris, chalcanthi, & congenerum, quo patet non habuiſſe pro deleterijs. imò Aetius ſer.8.cap.39.ad aphthas oris, æruginem numerat tanquam remedium fortius miſy, & chalcitide. Actua. 5.meth.c.6. miſcet æruginem antidoto ad vrinæ difficultatem. Preterea Aetius ſer.14.cap.50.agens de Trociſco Antonij Muſæ, ipſum cum Aſclepiade laudat in potu pluribus vicibus. ipſe autem copioſè recipit chalcanthum. *Idem paſtillus* (inquit) *ſplenicis, hepaticis, ac diſentericis confert, & viſcerum vlcera ſanat, & incipienti tabi auxiliatur. dantur ex eo oboli tres cum familiari in ſingulis affectionibus potione. Per aliquot autem dies ducit vrinas lotura carnis ſimiles. Itaq. ab eius vſu deſiſtendum non eſt ante ſanitatem reſtitutam. Vino quoq. mulſo, & mali punici dulcis ſucco dilutus, & cum penna illitus anginis medetur. Verum interim dum illinitur nauſeam excitat, & vomitum prouocat.* perbellè hic explicat vitrioli effectus, nam illitio vomitum excitat, deuoratio, purgat quidem vrinam cruentam, ſed tandem periculoſas affectiones ſanat. Componitur autem talis paſtillus, ex aloes, aluminis ſciſſilis, chalcanthi, mirrhę ana.℥ vj. citinorum, croci, crocomagmatis ana. ℥ iij. cum vino mulſo

Ærugò æris

Flos æris.

Trocis. Muſæ.

dat aſit obolos iij.ideſt ſcrup.ſem.pro vice.ita vt quęlibet doſis habeat,alum.& chalciti.ana.iij. circiter grana. Nicolaus etiam eoſdem trociſcos laudat ad fluxum ventris.

Sed nimis timuit vitriolata Galenus tantam cautionem requirens: verùm ipſius timiditatem refellunt, tum Auctores paulo antè poſiti,tùm præcipuè multi antiqui ab ipſomet Gal.citati, quorum compoſitiones videtur probare,cũ in ſuum opus tranſcribit. qui ſępiſſimè vitrioli congeneribus vſi ſunt, vt ipſe refert

Andromacus. lib.6.de comp.m.l.cap.1.vt *Andromacus* qui ſtomatichum componit, ex Miſyos cyprij drac. 7. Iridis illiricæ. drac. 4. Mirrhæ

Crito. drac.2.croci.drac.1. excipit melle, & cap. 2. *Crito*. ad cruſtas oris probat Miſy per ſe crudum, vel toſtum, & cum melle, vel

Archigenes chalcitidem aſſatam cùm melle. *Archigenes* ad eadem vtitur

Soranus. atramento ſutorio vſto,& cùm melle. *Soranus* apud eundem expertum dicit ad Anginam, chalcitidem toſtam, & cum melle attico. deinde aliud affert ad gingiuas,& cruſtas, ex Miſy vſto.

Heraclides *Heraclides Tarentinus*. ad robuſtas putrefactiones oris.Chalcitide vſta vtitur. deinde etiam Sory. Poſtea cap.3. *Archigenes*.

Apollonius Ad vuam laxatam, atramentum ſutorium, & miſy. *Apollonius* ad inflammatam collumellam. chalcitidem tritam admouet.

Heraclides *Heraclides Tarentinus* ad eandem, Melanteriam, qua ſutores

Apollonius. vtuntur. & cap.4. *Apollonius* ad aphthas. chalcitidem oleo tritam penna illinit, aut atramentum ſutorium cùm melle illinit.

Archigenes *Archigenes* ad aphthas.vtitur atramento ſutorio,vel miſy cum melle,vel chalcitide cum oleo. Celſus lib.6.cap.11.ad aphthas, At ſi lenia medicam.in eo parum proficiunt adhibenda ſunt ea, quæ adurendo cruſtas vlceribus inducant. Quale eſt ſciſſile alumen, vel chalcitis, vel atramentum ſutorium. Idem lib. 6. cap.14.in vuæ inflammat. Eſt etiam (inquit) medicam.huic aptum,quod andronium appellatur: Conſtat ex his, alumine ſciſſili, ſquamma æris rubri, atramento ſutorio, galla, mirrha, miſy, &c. deinde cap. 15. in cancro oris chalcitidem addit. & cap.18.compoſitionem cum miſy, valere ait, ad vuam, tonſillas, & vlcera oris.

Aetius ſerm.3. cap.141. humiditatem ex ore trahunt, chalcitis, miſy, cum melle ori illita. & ſerm.8.cap.38. ad linguam putreſcentem, & ferè demortuam ſuccum foliorum vitis albæ

cum

cum miſy permixtum illinito. depurgat enim, & carne replet, quidam mel adijciunt.

Et cap.39. ad aphthas oris, vtitur miſy, vel chalcitide crudis, illitis cum vino.

Cap.46. in cruſtoſis, & peſtilentibus tonſillarū vlceribus, profuit aliquibus Ariſtolochia, & iris, & chalcitis cū melle, aliquando etiam andronis, & muſæ paſtilli.

Cap.47. in anguina vtitur paſtillo androoio, ꝗ continet miſy, & chalcantū, necnon etiam atramento ſutorio pro vomitorio.

Deinde ex Critone ad cruſtas, miſy aſſatum, aut crudum illine cum melle: ſtatim enim eas tollit. Sint autem miſyos. ʒ iij. & lib.j. mellis, quo modo etiam vti poteris chalcitide.

Deinde ad idem ex Sorano, alterumq. ex Hermo cum miſy, medicam. denique tertium cum miſy, & atramento ſutorio.

Cap.48. ad glandulas abſque inflammatione auctas duo medicamenta cum miſy, & vnum cum chalcitide aſſa affert.

Actuar.6.meth.cap.7. ad aphthas vtitur.

Paul.lib.3.c.26. ad vlcera tonſillarum profuiſſe andronium paſtillum lib.4.cap.25. ad gangrenas, vlcera vetera, ſtrumas, ad carbunculos in palpebris, & partibus naturalibus.

Denique ipſe *Galenus* in fine capitis citati; pluribus explicat, & clarè docet ad aphthas ſe miſy, & chalcitide vti, quæ quidem nunc non timet, & declarat per fortia medicamenta ſe intelligere, quæ valdè aſtringunt. præterea de paratu fac. ad aphthas albas. pluma (inquit) oleum in quo chalcitim præcoxeris illine, & confeſtim curabitur. & de par.fac. ad fol.15. ad oris vlcera, & putredines idem repetit.cap.17. Melanteria contuſa. Quibus addere libet *Aretæum* lib.5.cap.9. ad peſtilentes faucium morbos. *Optima ſanè* (inquit) *eſt chalcitis vſta cùm* trita cadmia ex aceto. *Marcellum Empiricum* cap. 11. ad cancrum in gingiuis. Oportet miſy vſto, quàm plurimo cùm melle vti ſæpius; & cap.14. ad vuam. componit medicamentum ex chalcitide, miſy, & alijs. Et ad vuas calloſas, chalcitide, & cauſticum ad vuas penitus conſumendas, chalcanthum, &c. cap.15. ad anginas compoſitum medicamentum cum miſy. Eſſent multi alij Auctores, ſed ex his conſtat ſatis explicatio verborum Galeni loco lib.13.meth. in contrarium adducto. nimirum vitrio-

Galenus. Aretæus. Marcellus.

lata

lata non eſſe adeò pertimeſcenda, vt nunquam locum habere poſſint in medicamentis ſtomaticis. ſed ipſum Galenum non prohibere omnino ea,quandoquidem, vt dixi, ipſe etiam illis vtatur,vndè cautè tantùm nos agere admonet. itaq; conſtat experimentis tot Doctiſſimorum virorum chalcanthoſa non eſſe damnanda tanquam venena;ſed laudanda, & exaltanda, vt vtiliſſima pharmaca.

Num. 22 Ad Schenckium. Ad Schenckium. hic nihil de vitriolo affert, ſed citat Hofmannum agentem contra vitrioli oleum, cui ego vna epiſtola ad Grembſium, qui ferè eadem attulit, reſpondi. nunc autem cum ſermo ſit de crudo vitriolo ineptè affert Aduerſarius, ea quæ oleo obijciuntur. & falſa quidem, vt alibi à nobis oſtenditur.

Num. 23 Ad Fallopium. Fallopius nil vltra dixit quam ſupra, vt num. 16. explicauimus. quare fruſtra recitatur.

Num. 24 Plinius falſo citatus. Plinius verò inuitus citatur, nec illud vnquam ſcripſit, quod Aduerſarius illi tribuit. Nam lib. 5. cap. vltimo nil de chalcantho,ſed lib. 30. cap. vltimo. agit de aqua ſtygia in vngula contenta, non de chalcantho: nec ex ipſo ſtygiam fuiſſe chalcanthoſam aquam colligere,vnquam potui.ſed fortè credidit Agricolæ de natur.foſſil. pag. 113. qui nec certò affirmauit, dicens. *talis videtur fuiſſe*, eſt igitur imaginatio Agricolæ non dictum Plinij. quare non erat citandus Plinius tanquã expreſsè de chalcantho loquens. Ego autem poſſum negare aquam ſtygiam fuiſſe chalcanthoſam. nàm nulla ex vulgatis,& nunc notis aquis verè vitriolatis; imò neq; ol. vitr. neq; vlla ex aquis fortibus,regijs,&c. quæ ſunt maximè corroſiuæ habet proprietatem tributam ſtygiæ, ſcilicet corrodendi omnia vaſa præter vngulam Muli, ſeu Aſini, cui ſimilis eſſet, qui id crederet? continentur enim vaſis vitreis per annos. & vitriolum paratur ebullitione in vaſis plumbeis. Vnde in ſtygia (ſi verum eſt quod referunt) ponenda eſt deleteria quædam vis,& proprietas occulta,quæ in aquis vitriolatis deſideratur.

Aq. ſtygia.

Num. 25 Vitriolum non eſt deleterium. Id,quod dicit eſſe *deleterium proprietate formæ,temperamenti*, eſt merum figmentum,nec voluit id Galenus; ſed extrema caliditate, & ſiccitate nocuum conceſſit. ſed huius opinionis contrarium ſatis claret,quia eſt alexiterium, & deleterijs oppoſitũ,

vt

vt ex Auctoribus ſupracitatis ad venena commendantibus ſatis patet. quia ſi fortè nocuit malo vtendi modo, nec partem determinatam aliquam, nec cor, ſed ſolum particulam cui inſidet lædere valet,& alexipharmaco non eget,humectantia ſufficiunt ad tollendam ſiccitatem. imò non ſolùm crudum vitriolum, vt venenis aduerſum laudant.ſed etiam ad venena vtuntur eius liquoribus ſpiritu nimirùm, vel oleo dicto. vt Ang. Sala ad venena corroſiua, Neander, & Duncanus Bornetus expellere à corde venenum per ſudores, Michael Mercatus de ven.exhibet ad venena. Crollius ad noxas argenti viui, Zappata,& Roſſellus ad ictus ſerpentium,Euonimus, ſeù Geſnerus ad morſus canis rabidi. & Medicus quidam Romæ ſanauit quendam ab arſenico epoto in longam febriculam deductum.

At ratio, de *qualitate propria mineræ oppoſita temperamento humano*, ridicula eſt: nam aurum, & argentum mineralia ſunt, & metalla, valdè tamen cardiaca,(Paracel. de morbis amētium trac.2.c.1.admiranda virtus in vitriolo multo potior,& certior, quam in auro ineſt)ferri etiam puluis in medicina vtilis. præter quæ lapis lazuli,& Armenus,terra ſigillata, hiacintus lapis, ſal, corallia, margharitæ,quæ lapidū, & mineraliū naturam ſapiunt, ab Auic.lib.de viribus cordis inter cordialia numerantur; ergo non eſt proprietas mineralium, vt ſint oppoſita tota forma, & temperamento cum humano temperamento, quia talis non ineſt præcipuis mineralibus,& metallis. Hoc tamen habent mineralia proprii, vt ob ſubſtantiam compactam non poſſint ſuperari,& in nutrimentum verti, eſtò; erunt igitur medicamenta, & alexipharmaca media inter venena,& alimenta. Sed ſal minerale eſt,& moderatè ſumptum nobis amiciſſimum, immoderatè inimiciſſimum. Vitriolum ſalis ſpecies eſt, ergo amicum,& inimicum,ſecundum vſum. Aliqua mineralia cardiaca.

Dixit etiam eſſe *ſepticum, ſcilicet putrefaciens, quod opponitur calido noſtro innato*, quod eſt præter opinionem omnium quos citat, ſolius autem Nicoli. in quo ſe neſcire oſtendit quid ſit *putrefaciens*, nonnè putredo à calido, & humido? Vitriolum calidum,& ſiccum: ſed exactè erant conſideranda verba Galeni 5.de ſimp.m.f.cap.15. *Quæ verè ſunt ſeptica* (inquit) *humectant ſimul, & calfaciunt*, hæc ſunt vera putrida, & imprimunt Quid ſepticum.

munt putredinem ſerpentem vſq; ad cor; ideo concedimus calido innato inimica: in noſtro enim corpore, ſi putredo, vel à minima quantitate incęperit, vt in puſtulis gallicis, vulgò *taroli*, &c. paulatim totum corpus occupare, & putrefacere poteſt per continuam propagationem. Impropriè autem ſeptica ex eodem Galeno ibidem, proprij nominis defectu, vocantur, quæ cruſtam non faciunt, & eliquant carnem tenellam abſque dolore, ſed ſymptomatis ſimilitudo, cùm nullo doloris ſenſu corrumpant, verè ſeptici modo, effecit, vt ità vocarentur. Ex his

Vitriolum non eſt ſepticum.

notum eſt chalcanthum cum ſuis congeneribus neq. eſſe verè ſepticum, neque etiam impropriè ſepticum, quia cruſtam facit, & cum dolore carnem tenellam ſiccat. & Dioſcorides Eſcaroticum dixit, non Septicum, Galenus verò 9. de ſimp. m. f. de miſy, chalcitide, & ſory, mordicare dixit, alterum tamen altero magis, & adurentia, ac eſcarotica vocat non ſeptica, & putrefacientia. & etiam ſi eſſent calida, & ſicca vt ignis, qui contrarius quidem eſt noſtræ naturæ, & corrumpens ob ſummam actiuitatem, non tamen ob id venenum; imò vitriolum non ſolum non eſt putrefaciens; ſed ſummum remedium ad putredines omnes vlcerum, quas inhibet ſtatim, vt patet ex dictis ad vlcera oris ex antiquis; at quid oleo vitrioli præſtantius ad putredines? clarè id oſtendimus, tùm in Dodecaporio, tùm tractatulo Italico de ol. vitr. verum quia plurimùm præſtat ſcire quid ſit cauſticum, & quid ſepticũ, licat mihi hic paulisper digredi.

Digreſſio de Cauſticis, & Septicis.

Cauſtica, ſeù vrentia ex Galeno 5. de ſimp. m. f. cap. 15. & Oribaſio lib. 14. cap. 57. ſunt medicamenta calidiſſima, & duplicis generis, vel craſſæ, vel tenuis ſubſtantiæ. Cauſtica conſi-

Quid ſit cauſticum.

ſtentiæ craſſæ *ignis inſtar* (inquit) *corpus colliquant, & ſæpè eſcaras, ideſt cruſtas, ritu cauterij, efficiunt*. deinde, *& cum magno dolore*, poſtea. *Si quidem alterationum, quæ ſubitæ, confertæq; ſunt, mutationes maximè ſenſibiles ſunt, tùm penetrationes, quum violentæ ſunt, quippè quod in craſſa eſſentia cauſticum eſt, id cuicumque inhæſerit parti ſtipitis ritu infixum excruciat: verum hoc quidem eſcaroticum eſt, & cauſticum*. & inter hæc enumerat

Cauſtico eſcarotic

Oriba-

Oribaſius, chalcitidem, miſy, ſory, nec reclamare Dioſcoridem cenſeo. Ego verò habui chalcanthum indicum cæruleum, credo foſſile, quo Indos cauteria excitare ſolitos audiui.

Cauſtica verò tenuium partium, nec ita calidiſſima ſunt, *& ab omni abſunt mordacitate, aut cùm exiguo, tùm dolore, tùm morſu carnoſas partes eliquant: nàm quod non confertim alterat, vti, quæ vehementer ſunt calida, quodq; non ægrè penetrat, ſicut quæ craſſa ſunt eſſentiæ, latentem eò actionem obtinent*. deinde. *Cæterùm cruſtam non faciunt, & vocantur ſeptica, hoc eſt putrefacientia, haud quidem appellatione propria; nam quæ verè ſunt ſeptica humectant ſimul, & calfaciunt: veruntamen ſymptomatis ſimilitudo, vt ſic appellemus efficit, vtpotè cùm ab vtriſque nullo doloris ſenſu fiat corruptio*. hæc igitur ſunt impropriè ſeptica, & ad differentiam cauſtico eſcaroticorum, & verorum ſepticorum debent dici *cauſtico ſeptica*: inter quæ deinde Galenus enumerat auripigmentum, ſandaracham, chryſocollam, &c. *Quæ omnia* (ait) *tum eliquare, tum colliquare, ac potiſſimum carnem tenellam, idq; abſque dolore*. Cauſtico ſepticum.

Septica verò propriè dicta erunt, ex eodem Gal. loc. cit. *calida, & humida, & verè putrefacientia, ac ſine doloris ſenſu corrumpentia. ſed cùm multis modis corrumpi quid poſſit. ſiquidem, quæ nimio plus refrigerata ſunt, aut excalfacta, tum exiccata, aut humectata, ea omnia corrumpuntur: cæterùm non quicquid corrumpitur σήπεσθαι. hoc eſt putreſcere dicimus, ſed quibus id cùm fœtore accidit*. ſed ad exactiorem ſepticorum notitiam afferemus etiam, quod ſcripſit 3. de ſimp. m. f. cap. 22. *Quæ nos contactu, aut per putredinem, aut per eroſionem, interficiunt, ea, recta quidem ratione, humanæ naturæ deleteria toto genere exiſtimata ſunt, non vt frigefacientia, dumtaxat quantitate*. deinde. *Putrefacientia autem etiamſi quantitate minima ſumantur, omninò tamen corrumpunt, quia videlicet, quæ putredini obnoxia ſunt, calore humiditateq; putreſcere ſolent: atqui calidus, humidusq; ſanguis eſt, itaq; putreſcere nunquam ceſſare poſſunt, ſimulq; viciſſim putrefacere, quæ σηπτικά à putrefactione vocantur medicamina. proindè longo etiam poſt tempore à quo ſumpta ſunt, nonnulla interimunt, potiſſimum, quæ craſſa, terrenaq. eſſentiâ ſunt. Hæc enim corporibus noſtris inhærentia, inſidentiaq; dein temporis ſpatio* Septicum. Deleteria quæ.

putreſcentia, rodunt, corrumpuntq; vicinas corporis partes. Duplex hic deleteriorum genus afferre videtur Galenus *per putredinem, aut per eroſionem*. Putredo fit à calido, & humido, hæc eſt corruptiua, & putrefactiua, & huiuſmodi medicamenta vocat etiam ſeptica. & hæc venena poſt multum tempus agunt, nam non tam citò ad cor accedere queũnt, corrumpunt tamen interim partes intermedias, vnde mediantibus multis cor tandem afficiunt. & quia tardè operantur, ſi auferatur pars corrupta ſtatim lædere ceſſant, ſine alia cordis tutela: vndè ſæpè in partibus ſphacelatis, ſerpentibus vlceribus, &c. ſola partium affectarum ſectione vitam tuemur. & hæc ſunt propriè venena, & vera ſeptica. cùm autem ait Galen. *per eroſionem* voluit Pſeudoſeptica, ſeu cauſticoſeptica facultate calida, & ſicca. ſed nominum æquiuocatio, & analogia confuſionem maximam in ſcientijs ſæpè pariunt, vt apparet in hoc nomine *ſeptici*. Cum autem Galenus in libris de ſimplicium facultatibus agat de medicamentorum viribus ſparſim, atque etiam de venenis tantùm tranſcurſim, ſine methodo, quædam explicans, quædam tacens, difficultatem maximam peperit ijs, qui iurarunt in eius verba, nec alio veritatem rimari conantur: itaq. Galenus 5. de ſimp. m. f. cap. 15. fatetur quidem calida, & humida eſſe putrefacientia, & vera ſeptica: tamen analogia quadam, & defectu alterius nominis, alia calida, & ſicca vocat etiam ſeptica: & quãuis dicat, *de nominibus non admodũ eſſe ſollicitum oportet*, timens reprehenſionem; tamen ipſemet alibi exquiſitè nomina rimatur, & diſtinguit. Conueniunt ergo hæc duo ſeptica, quia ab vtriſque ſine doloris ſenſu pars corrumpitur: diſſident autem quia propriè ſeptica habent fœtorem comitem, & carnem corrumpendo, non ceſſat ex ſe vnquam putredo; nam remanet vis impreſſa ſemper deleteria, carnem humidam, mollem, flaccidam, & putridam reddens, quicquid enim à putrido tangitur putridum fit. Impropriè autem ſeptica colliquant præcipuè carnem tenellam, & ex oppoſito veris ſepticis contrariantur, illorumq. noxarum remedium ſunt, ſiccant enim ſuperfluam humiditatem, vndè contiguam carnem duriorem, & benè diſpoſitam reddunt cauterij ignei inſtar, ſed abſque dolore, vel pauco, & quod maximum eſt carnium putredines, & fœtores tollunt.

Pſeudo ſepticum.

Differentia ſepticorũ.

& ideo

& ideò in vſu ſunt tàm vetuſtioribus,quàm recentioribus Chyrurgis,veluti maximum remedium putredinum. itaq. analogicè ad vera ſeptica, dicuntur eodem nomine ea, quæ illis contraria,alexipharmaca ſunt,& vix venena dici poſſunt, quamuis mortifera ſint: non enim omne mortiferum ſtatim etiam dici debet venenum, vel ipſo Galeno teſte. Quare hæc impropriè venena dici deberent, nam ſimilitudine quadam tantùm, ſeu quantitate, ſeu ſimplici intenſa qualitate operantur. intenſio autem qualitatum,ſeu illud magis & minùs, nil eſt niſi quantitas quædam qualitatum. Quare non valdè probatur hæc caliditate,& ſiccitate nimia nocentia inter vera deleteria eſſe reponenda,quamuis Galenus contra òmnem rationem ſola auctoritate ſua id nobis obtrudere cenſeat. 3. de ſimp. m. f.19. & 22. ſcribens. *Et erodentia,& excalefacientia,& putrefacientia genere eſſe lathalia,& deleteria.* Sed Galenus eſt interpretandus, vt qui per læthale,& deleterium intelligat, latè quicquid quomodocunque nocuum eſt, & necem inferre valet. vndè concedi debet calidum putrefaciens, & calidum corrodens eſſe læthale, quia pauca copia agant,ſed vtrumq. non agit à tota ſubſtantia, à forma ſpecifica,& ſpiritu illo occulto,& inuiſibili, qui ſua malignitate propriam deleterij formam conſtituit, & cordis capitalis eſt hoſtis: & quia methodus diuiſiua (quæ aliàs à Galeno plurimi fit) in Galenica venenorum diuiſione claudicare apparet cum Auicenna ſentiendum videtur, quē non pauca Auctorum copia ſequitur. vt venena alia ſint à qualitatibus, alia vero à tota forma, & ſubſtantia. ſed hæc obiter. nam in noſtro Chalcantho Triumphante exactè.

Galenus auctoritate non ratione vtitur.

Ex his patet Fernelium virum doctiſſimum lib.6.meth. c.18. confundendo vera ſeptica cum analogis,craſſo errore, non intellexiſſe genuinam Galeni mentem, veram cauſtici tenuis eſſentiæ penitus dedocentē,&ignorantē naturam.ſed ad rem noſtrā.

Colligimus ex dictis. Vitriolum non eſſe verè ſepticum, & putrefaciens (vt deceptus eſt Nicolus) quia neque humidum, neque cum fœtore carnem corrumpens; quia dolorificum: quia denique eſcaroticum,& ſepticorum venenorum, remediū: ſi igitur nullam facultatem putrefacientium habet ineptè dicetur putrefaciens. Neque eſt Pſæudoſepticum, ſeu Cauſticoſepticum,

Vitriolum non eſt ſepticum.

Vitriolum nō eſt cauſtico ſepticum.

pticum, quia non eliquat carnem abſque dolore, ſed mordax eſt, vna tamen ſpecies altera magis. vnde Galenus dixit chalcitidem magis mordicare, quam miſy, an verò chalcanthum in visceribus mordicet, quilibet expertus fatebitur. imò lingua mordaciſſimum vnuſquiſq. breui compendio experiri poteſt. Se-

Vitriolum eſt cauſtico eſcaroticū.

cundò, quia eſcaroticum cauſticum eſt, quod ab his clarè diſtinguitur à Galeno, nam ſeptica, & pſeudoſeptica eſcaras non producunt. Vitriolum verò eſcaras producere Galenus, Paulus, & Dioſcorides dixere, quos citat Aduerſarius num. 7. 8. & 9. nec non 37. Vnde idem Paulus lib. 4. cap. 53. *Scopus* (inquit) *cruſtam generantium medicamentorum erit calor cum aſtrictione, quemadmodum in chalcitide, miſy, & atramento ſutorio habetur*, quod ſumpſit ex Ruſo, vt ait Anderaacus. Tertiò, quia vitriolum non eſt tenuium partium, ſed craſſarum: adſtringentiſſima enim qualitas ex Galeno, atque etiam eſcarotica vis ſubſtantiam craſſam indicant. Nec ob id cenſenda vitriolata eſſe te-

Vitriolata eſſe tenuiū partium, vt intelligatur.

nuium partium, quod ſcripſerit Galenus Melanteriam *omnia aſtringentia tenuitate partium exuperare*, & miſy eſſe *tenuiſſimū*, ac chalcitidem vſtam *eſſe partibus tenuioribus*. Nam reſpondeo hæc omnia in ſe ipſa conſiderata eſſe ſubſtantiæ craſſiſſimæ, & patet quia ſunt eſcarotica, quæ craſſæ ſunt eſſentię ex Galeno, ſunt etiam adſtringentia, quæ partium craſſitie poros obſtruūt. quæ autem tenuium ſunt partium, neque Eſcaram faciunt, neq; aſtringunt. Vnde Galenus intelligendus eſt loqui relatiuè, ſeù comparatiuè (vt ſe explicat 4. de ſimp. m. f. cap. 19.) prout hæc omnia vitriolorum genera inter ſe inuicem cōferuntur, & comparantur, quamuis .n. ſecundum propriam eſſentiam ſint craſſiſſima omnia: tamen alterum altero craſſius eſt, ſcripſit autem Galenus tenuitatem de nominibus parùm ſollicitus, magis autem propriè loquutus fuiſſet, ſi magis, & minus craſſum dixiſſet. ſic Melanteria refertur ad alia adſtringentia, quæ omnia ſunt craſſiſſimæ eſſentiæ, miſy comparatur ad ſory craſſiſſimum, & chalcitidem, quæ inter hæc media eſt. ideò dixit *Miſy minus chalcitide mordicare, quia tenuius*, meliùs dixiſſet, *quia chalcitis craſſior eſt*. ſed hic de nomine lis eſt: nàm cùm eſcaroticum ſit omne genus vitrioli, & mordicans, & ob id craſſum: non poterit propriè dici tenuium partium, nec vllo modo cauſtico ſepticum.

Erit

Erit igitur cauſticum craſſarum partium,& eſcaroticum propriè dictum omne genus atramenti ex Galeno, Dioſcoride, Oribaſio, Aetio, Paulo, Plinio, Serapione, Auicenna, &c. Sed quò magis ſuccus chalcāthoſus erit depuratus, eò erit validior, & quia calidior,& ſiccior,etiam erit magis eſcaroticus,ſic Indicum vitriolum valdè cauſticum expertus ſum, & noſtrate cum triplicis generis ſit ex Dioſcoride.Stillatitium.2.Concretitium. 3.Coctile. primum genus inuenitur ex ſe concretum inter ſaxorum rimas. nos habuimus ex Montibus Liguriæ extractum beneficio diligentis Pharmacopei Benedicti Contra: hoc genus optimum dixit Dioſcor. cum ſit validius. ſecundum genus eſt, quod ex Cypro affertur concretum ex aqua, vt narrauit Galenus. tertium verò genus eſt vulgare factitium coctura, Romanum nobis dictum,inualidius in Medicina ex Dioſcoride. Conſtat autem Doctiſſimum Mylium lib.5.Baſilicę Medicochimicæ cap.2. de Vitriolo non benè ponderaſſe Dioſcor. verba, dum Romanum cenſet eſſe Græcorum congelatum. & ſecundam ſpeciem. cum ſit tertia ſpecies,& coctura paretur. & nos vidimus,&Matthiol.ſcripſit.Prætereà ex atramentorum generibus, quod minùs ſubſtantię terreæ habet, vndè tenuioris eſt ſubſtantiæ, minùs etiam mordicat, minus quoq; eſt eſcaroticum. ſic miſy minùs chalcitide mordicat, quamuis non minùs ſit calidum ex Galeno ratione partium tenuiorum. ſeù potius minus craſſarum,vnde etiam minùs eſcaroticum eſt. Nam ex eodem Galeno 5.de ſimp.m.f.15.*calida cùm conſiſtentia craſſa, ſi vehementia ſint, cauſtica, & eſcarotica ſunt.*

Omnia genera vitrioli eſcarotica.

Tria chalcanthi genera.

Hæc autem vis vitriolatorum eſcarotica,ſi methodicæ,& ſecundum artem, (vt aiunt) adhibeatur,non ſolum nobis minimè nocua erit; ſed admodum vtilis, & ſalubris corporibus noſtris inuenietur, vt patet ex vſu,& viribus ab Auctoribus ſcriptis.vt Dioſcorides chalcanthum dixit. *valere ad cruſtas inducendas.* chalcitidem verò *vlceribus cruſtas inducere* dixit. quæ inualidior chalcantho eſt. & addit. chalcitis *in genere leuiter erodentium eſt, ad ignem ſacrum, & vlcera, quæ ſerpunt, efficax eſt.* deinde ſubdit. *Gingiuarum vitia, depaſcentia vlcera, tonſillaſq. eius farina compeſcit.* & iterùm. *Callum genarum, & ſcabritiam abſumit, abſtergetq. fiſtulas tollit, collyrij modo in eas adacta.*

Vtilitas eſcaroticarū.

& de

Vitriolatorum eſcaroticorum vſus.

& de ſory. *illitum cùm aqua varos extinguit.* De chalcitide autem priùs etiam dixerat *eſſe abſterſoriam*. Plinius de chalcitide. *vis eius ad excreſcentia in vlceribus.* & de ſory. *oris vlceribus grauibus, quæ ſerpunt.* & de miſy. *extenuat etiam ſcabritias oculorum inueteratas. erodit & callum fiſtularum ex aceto fouentium, & collyrijs additur, vlceraq., quæ ſerpant, quæuè puteſcant: abſumit, & excreſcentes carnes.* & de chalcantho. *oris vlceribus. ad excreſcentia vlcerum, tollit & vuas, vel ſi decocto tangantur.* Auicenna verò cap.48. *confert apoſtematibus ambulatiuis, quandoq. fiunt licinia, & ponuntur in fiſtulis, & extirpant duriciem in orificijs ipſarum, & conferunt omni herpeti eſthiomeno, & apoſtematibus malis in gingiuis,& ore,& vlceribus earum.* & cap. 169. *confert fiſtulis naſi.* & cap.170.de chalcitide. *Confert formicæ, & eriſipilæ, quando linitur cùm aqua coriandri, & puluerizatur ſuper fraudolentum, & ambulatiuum & adurit carnem additam, & facit euenire eſcaram.* & hæc ſatis.

Regreſſus ad Quæſtionem.

Galenus timidus.

Reſpondebimus nunc ad Galenum. 8. de comp. m. l. 3. qui locus arguit Galeni timiditatem,non omnimodam veritatem. Nam Aſclepiades præclariſſimus, & in medicamentis exercitatiſſimus fuit Medicus,cuius hoc loco medicamenta enumerat Galenus,hic atramento ſutorio, vt alij antiqui, ſine timore fœliciter vſus eſt. Galenus leui quadam ratiuncula id impugnare conatur. Aſclepiades experimento confirmauit vtile, aliter non docuiſſet; cui magis credendum experientiæ nè, an rationi? Galenus præterea in multis fuit timidus, nec ſequutus eſt Antiquos, vt in vomitu patet ab Hippocrate adeo vſitato. ſed Galeni dictum hoc loco nil aliud concludit, quàm non temerè eo vtendum, nec niſi neceſſitate poſtulante ob validam agendi vim. ſed quomodo, quærerem,intelligenda eſt hæc diuerſitas,& contrarietas atramenti ſutorij cùm humana Natura? an quia minerale? etiam aurum minerale non tamen cordi officit. Diſtinguamus ergo hanc contrarietatem fortè intelligendam,vel ſubſtantia, vel temperamento, vel occulta forma, quã nos ſpiritualitatẽ dicimus. Certè ſubſtantia omniũ Metallorum,

An vitriolum humanæ naturæ cõtrarium.

Mine-

Mineralium, & foſſilium diuerſa à Natura humana, quia non eſt apta nutrire, & conuerti in alterantis ſubſtantiam. ita Aurum, Terra ſigillata, Margaritæ, Corallia habent ſubſtantiam diuerſam, contrariam, & impaſſibilem à Natura humana, non tamen ob id ſunt venena; imò plura alexipharmaca talem ſubſtantiam habere conuenit. Temperamento alia contraria ſunt, ſcilicet quæcumque non ſunt temperata; cum enim humanum corpus temperatum ſtatuatur, omnia intemperata contraria illi dicētur ſummè calida, ſummè frigida, humida, ſicca. ſed nec iſta contrarietas veneni naturam ſapit. Cępe enim, Sinapi, &c. calida ſunt in 4. non venena, quamuis humanæ Naturæ diuerſa, & contraria. & hæc ſubſtantiam habent ſimilem, nam alunt, temperamentum diſſimile. Vitriolum ſubſtantiam, & temperamentum diſſimile, ob neutrum tamen dicemus venenum, quia Mandragora hoc loco à Galeno refellitur æquè, ac atramentum ſutorium à medicamentis ſtomachicis. ſed hæc frigida, & ſicca 4. dicitur, ac ſubſtantia, & temperamento contraria, non tamen venenum deleterium in lib. de ſimplicibus dicitur, niſi quantitate. ſic nos vitriolum niſi quantitate nocuum concedimus. nec ferenda eſt diuiſio illa venenorum, vt venena calida ſint vera deleteria, venena frigida quantitate tantùm, claudicat enim diuiſiua Methodus, & cum contrariorum eadem ſit ratio. ſi calida ſunt vera deleteria, erunt etiam talia illis contraria frigida: vel ſi frigida quantitate ſunt venena, etiam calida erunt quantitate venena. quare nos admonuit ſæpè Galenus, vt non ſolæ auctoritati Hippocratis fideremus, cum rationes non affert: ſic neque ſolæ Galeni auctoritati ſtandum cum experientia, & ratio reclamant. Tertia contrarietas eſt cum humana natura, ratione formæ ſpecificæ, & ob ſpiritus inſitos; quamuis. n. aliqua ſubſtantia, & temperamento ſint naturæ humanæ amica, contrarietas ſpirituum adeſt, quæ deleterij formam conſtituit, ſic piſces, & caro aſſata, & cooperta, aliaq. deleteria ſunt verè, & propriè. Vitriolum verò quamuis ſubſtantia, & temperamento contrarium ſit humanæ naturæ, forma tamen ſpecifica, & ſpiritibus inſitis ſimile, & amicum naturæ humanæ eſt. quod patet ob alexipharmacam, & alexiteriam vim, qua corpus animatum defendit, & tuetur à diuerſis venenis, vt diximus. Quod ſi aliquando

An ſubſtantia.

An temperie.

Vitriolum quantitate nocuum.

An Vitriolum nobis cōtrarium tota forma

quando nocere poteſt, id non eſt ratione formæ ſpecificæ, ſed temperamento, & quia adhibetur in non conuenienti doſe, tempore, vel modo. omne enim nimium naturæ inimicum. Galenus autem non voluit hoc loco niſi contrarietatem ſubſtantiæ, quæ veneni formam, & eſſentiam non conſtituit. ait enim *oſtenſa ſunt ſubſtantiam habere multam ab humana natura diuerſam.* timuit autem hęc Galenus ob exquiſitum ſtomachi ſenſum. ſ. ob mordacitatem. quare hac retuſa, non erit metuendum de læſione, & afflictione ſtomachi.

Num. 26 Aduerſarij Auctores falſo citat. Vitriolum non eſt venenum. Probatur primo. Probatur ſecundo. Probatur Tertio.

Dixit etiam Aduerſarius *Auctores plures id ſenſiſſe*. numerat autem Fernelium, Arduinum, Ponzettam, Bauuhinum, Scenckium. ſed præter Fernelium, omnes falsò citantur, vt oſtendam. Ego autem pro vitriolo à vi deleteria purgando. Primò afferam antiquos agentes de venenis, vt Dioſcoridem, Nicandrum, Paulum, Celſum, Aetium, Oribaſium, qui vitriolum inter venena deleteria non nũmerarunt. Secundò afferam eoſdem, & alios plures antiquos, qui tacitè negant vitriolata eſſe venena, ijs enim vſi ſunt, quòd ſi eſſent venena deleteria (quorum nullus vnquam ſalubris eſt vſus ex Gal. 6. in 6. epid. 5. & 5. de ſimp. m. f. 19. quod confirmant Baccius de venenis c. 4. Vntzerus de Mercurio pag. 118. & alij) venenum dediſſe pro alexipharmaco, & medicamento dicendum. vt Hippocrates, Archigenes, Aſclepiades, Crito, Apollonius, Andromacus, Soranus, Scribonius, Celſus, Heraclides, Dioſcorides, & Plinius, viri Doctiſſimi, & ſine dubio non minoris auctoritatis, quàm Fernelius. Tertio afferam Neotericos non paucos expreſsè negantes vim deleteriam in vitrioli generibus, veluti totam Paracelſiſtarum familiam, quæ chalcanthum ad ſydera extollit, quorum auctoritas ſolùm apud me eſt, vt Empiricorum, & experientia ductorum. quæ tamen plurimi facienda eſt. ſcio equidem quotidie inter horum manus eſſe vitriolum, quod ſi longo vſu venenum agnouiſſent, certò credo iàm deſeruiſſent. Ex Methodicis, & rationalibus Medicis afferre poſſum Andream Libauium Paracelſiſtarum Hoſtem acerrimum, Martinum Rullandum Cęſareæ Perſonæ Medicum, R. Mindererum, Quercetanũ, Nicolaum Stelliolam, Duncanum Bornettum. Lau. Hofman, Arnoldum Kernerum, & alios.

Ad Fernelium igitur ſatis eſt reſponſum, tum ex mox dictis, tùm numero.15. Num.27

Ad Arduinum. hic minimè dixit vitriolum eſſe delete m, ſed ſolùm qualitate calida,& ſicca venenum. Num.28

Ad Ponzettam. hic nullo pacto nobis ſe opponit, ſed ſpeciem aluminis facit vitriolum, & ait. *licet conferat ad multa, poteſt exulcerare*. per quæ verba innuit periculum vlceris, non vim deleteriam. Num.29

Bauuhinus quid dixit,& vt intelligatur ſupra nu.4.attuli:non placet paſſim eandem recanere cantilenam.

Schenckius minimè chalcanthum inter venena repoſuit, ſed noxas tantum attulit olei vitrioli epoti, afferens ſententiam G.Hofmanni, vt ſupra diximus nu. 22. quem fruſtra citat Aduerſarius. Num.30

Matthiolus etiam contra veritatem, & ſe ipſum citatur ab Aduerſario. cùm nunquam vituperauerit, & damnauerit Vitriolum; ſed ſummè laudauerit. & hic patet Aduerſarium inopia Auctorum ſecùm ſentientium, citare pro ſe contrariè ſcribentes, vt ſuam cartulam impleat Auctorum nominibus. Matthiolus malè citatus.

Quod ſit *de genere purgantium* ex Dioſcoride, Plinio, & Serapione patet, ergo verè deleterium negatur. ſi dixeris lato modo, & per accidens, vt cętera purgantia,eſſe venenum, concedam,ſcilicet quantitate. ſic Meſues initio canonum purgantia inter venena numerauit. Sed omnia purgantia, vt purgantia non ſunt damnanda (vnum enim ex præcipuis Medicorum auxilijs ſunt, quibus deficientibus ineptè ars exerceri poteſt.) ergo neque vitriolum,vt purgans damnandum. Imò Gal. 6.in 6.epid.5. *Si conceſſerimus (ait) purgantium Med. materiam eſſe inter mortifera, erit etiam concedendum alexipharmaca, & theriaca eſſe inter mortifera, vtique quia omnia hæc niſi quis ex ipſis omninò valdè parum aſſumpſerit, nos perdere poſſint.* Num.31 Vitriolum purgans ſed non venenum.

Si dices,quia vehementiſſimum. Reſpon.in vſu eſſe,& laudari multo vehementiora, vt Elleborum, Scammonium, Euphorbium, Elaterium, Colocintidem, Lapidem Lazuli, Armenum coccognidium,Eſulã, quorum pondus vnius drachmæ dare nemo audet, niſi cum periculo mortis, vt ait Meſues. & Stibium præparatum,necnon præcipitatum,& ſublimatum ad purgandũ

exhibentur 4. vel 6. tantum granorum pondere, & validiſſimè ſurſum, & deorſum purgant, quæ tamen venena deleteria eſſe conſtanter infiniti Chymici negant. ſed. Romæ Dioniſius Albertus Circulator nonnè vendit publicè Ricini Indici ſemen? cuius grani medietas validiſſimum eſt purgatiuum, & eo aſſumpto aliqui mortui ſunt, vt libro Horti Farneſiani abundè ſcriptũ eſt, tñ ex licẽtia Almi Collegij Romani Medicorum vendit. poterat nè talem concedere licentiam ſuis innitens ſtatutis Collegium? ſi ergo Collegium conceſſit medicamentum purgans publicè à Circulatoribus vendi, cuius doſis granum vnum ſine vitæ periculo excedere nequit, cur modo alter Prothomedicus vetare quærit medicamentum, cuius doſis eſt drachma j. ex Dioſcoride? ſi ricinus conceditur tanquam venenum, cur negabitur vitriolum multo debilius, & veneni accuſabitur, quia purgat? ſed qualis ſit vitrioli vis purgans præſtat, vt explicemus, eſt igitur ſurſum, non deorſum purgans, niſi per accidens.

Loquitur cum Collegio Romano.

Secunda Digreſſio de vi vomitoria vitrioli.

Præſtitiſſet Aduerſarium optimum Philoſophum reſpondiſſe D. Sebaſtiano, quo pacto vis ſolutiua actuari poſſet coniuncta cum tanta aſtringentia, vt quæ multam admirationem Galeno attulerit, non ſolis auctorum quoquo modo conſarcinatis teſtimonijs, in medium proſilire, ſicq; victoriam quærere. nos de vi, & facultate vomitoria pluribus agimus lib. noſtro de vomitorijs, hic placet Auctores aliquot commendantes, non vituperantes vitriolum eo, quod facultatem vomitoriam ſortitum ſit afferre. dicimus autem primò vitriolum eſſe heterogeneum, & mixtum ex diuerſis ſubſtantijs diuerſa qualitate præditis, altera enim aſtringens, altera emetica. & vis vomitoria in ſale vitrioli ſita eſt. Aetius ſer. 8. cap. 47. Vomitorium Marciani, quod & ad opertas, & manifeſtas anginas prodeſt: præexige, inquit, Mercedem. Aeris vſti dra. xij. Atramenti ſutorij. dra. xij. Mirrhæ, Elaterij, Spumæ nitri. ana. ℥ j. Fellis Taurini. dra. iij. excipe melle, & cum pinnula, quam penitiſſimè illine. Angelus Sala par. 2. aphor. 31. *Præſtantiſſimum eſt, & ſecuriſſimum expectorãs, & vomitorium deterſiuum, multis morbis accõmodatum.* quod plenius in ſua Emetologia explicat. & pluribus morbis opitulari expe-

Vitriolum heterogeneum.

Aetius.

Ang. Sala.

experientia, teſte aſſerit. Oſualdus Crollius in ſua Baſilica Chymica, vbi non ponit, niſi medicamenta experta. dat vitriolum album, & teſtatur eſſe benè vomitiuũ, & cerebrũ benignè expurgare. M. Rullandus de feb. vng. pag. 108. pro vomitu. ſal vitrioli ad ſcrup. ſem. cũ oxymellite. vel ſy. cõuenienti. Matthiolus in com. *Qui illud* (inquit) *in peſte propinant, quod vulgo vocant Copparoſa in aqua roſarum diſſoluunt, & iterùm cogunt reiteratis tribus, aut quatuor vicibus, dantq. obolum vomitum concitantes*. Philipp. Mullerus in Miſterijs lib. 5. pag. 155. ad vomitum excitandum laudat tùm chalcanthum, tum ſalem vitrioli. Beguinus in Tirocinio. cap. 17. dat vitriolum album præparatũ ſcribens. *Operatur fæliciter in febribus, ventriculi affectibus, catharris, lumbricis, peſte, &c.* Penotus in chymicis de vitriolo albo vomitorio. *Euomes ſine dolore, cerebrum purgat, epilepſiæ medetur, proſtratum appetitum conciliat.* Quercetanus in Alexicaco. cap. 3. *illud remedium non parum eſt antiquum* (.ſ. ad vomitum) *quod etiam nunc multi contra peſtem adhibent*. Matthias Vntzerus in Antid. Peſt. lib. 2. diſt. 3. & Mizaldus centur. 6. diſtinct. 48. *Si vitriolum in aqua Roſarum diſſoluatur, & rurſus iteratis vicibus, ter, vel quater coaguletur, deturq. oboli pondere obſeſſò à peſte, vomitum concitabit, qui contagionem, ac morbum ſoluet*. Paræus lib. de peſte cap. 25. refert ex Matth. tract. de lue ven. vitrioli. ℨ. 1. in aqua roſarum diſſoluti, & ebibiti, peſtem vomitu, & deiectione è corpore exturbare. Thomas Bouius in flagell. Medic. *Ego* (inquit) *decem, & ſeptem meis domeſticis vitriolum crudum in vna Aurorà, ad præſeruationem peſtis propinaui.* Kernerus in Tetrade ſect. 5. *Gillam vitrioli deprehendi* (inquit) *ſummarum eſſe virium in expurgandis ex ventriculo, inteſtinis, præcordijs, pulmonibus, nec non capite noxijs ſuperfluitatibus, &c.* deinde. *Hiſce malis omnibus mederi poteſt hæc Grilla, ventriculum, & proximè vicina membra ſarcina illa, non ſolum leuando, ſed etiam ijſdem, ac præſertim ventriculo robur ſuggerendo: hinc per experientiam cognouiſſe licuit, quoſdam vſu Grillæ, ſeu Gillæ inſtantes dolores podagricos præcauiſſe, &c.* denique. *Leniter enim vomitum proritat, & cerebrum benignè expurgat, è veſtigio, & ferè ſtatim poſtquam fuerit ebibita, nec vllum inde infertur nocumentum, &c.* Crato trac. de peſte. ſalis chalcanthi (quod fit vitriolo

Oſualdus Crollius. M. Rullandus. Matthiolus. P. Mullerus. Beguinus. Penotus. Quercetanus. M. Vntzerus. Mizaldus. Paræus. Matthiolus. T. Bouius. Kernerus. Crato.

in aqua diſſoluto, atq. per reſidentiam, vt vocant, depurato. Deinde deſtillatione aqueo humore detracto) drachmam exhibent, magnumq. ex eo ſucceſſum ſperant. Stelliola lib. de Theriaca. *Quanta vis in morbis expellendis in eo ſuccorum genere eſſe poſſit, indicat, mitiſſimum illud ad internos vſus, chalcanthi genus album, cuperoſa à plurimis appellatum; nam vt omittam, quid exterius adhibitum præſtet, cùm in oculorum, oris, & faucium, plerisque affectibus præcipuum ſit remedium: interno vſu certè non ignobile eſt medicamentum, & pleriq. ipſum mirificè extollunt ad plures, eosq. graues morbos, quorum aliquot referam, Itaq. ad caninam famem, ad picam, lienteriam, diarrhoeam, dyſenteriam, tuſſim, aſthma, vrinæ ſtillicidium, vteri affectus, hydropem, præclarè facere: quartanas febres, quotidianas, atq. vt ſemel dicam, periodicas ferè omnes, erraticasq. diſcutere affirmãt, quin etiam externis abſceſſibus peculiari eius quadam vi conferre. Iuuari eius vſu, maniacos, inſanosq. ex morbo factos dicunt, nec leue ad hauſta venena, & ad peſtem, eſſe remedium: atque in reliquis affectibus leucodictamnum admiſcent dupla menſura, mole non lance expendentes. ad peſtem verò; & venena, leucodictamnum cum tormentilla, adijciunt pari menſura. Modi quoq. temporisq. rationem haberi volunt. nam in periodis drachmam eius, ex calida, paroxiſmi initio: in peſte, cùm primum ſe ægrotans prehenſum ſentiat: in alijs, pro morbi ratione vſurpari iubent. Quorum pleraq. præſtare videtur, quod prauos humores conſumat, collectos, concretosq. diſcutiat, excretiones promoueat, & partes præterea roboret.* Eraſmus Remboldus Ioachimo Camerario in Ciſta medica Sigiſm. Schnitzeri Epiſt. 117. ait. Significo tibi, me in Thuringia aliquos Theophraſti offendiſſe diſcipulos, qui fęliciſſimo ſucceſſu etiam in illuſtribus perſonis Vit. Vngar. vſi ſunt in pondere ʒ ÷ ſcrup. ij. vel ſcrup. j. abſquè correctiuo, ſumpto: omnem ventriculi, & inteſtinorum illuuiem diù collectam, per vomitum, & ſeceſſum, intra trihorium, relicto poſt ſe appetitu, & famæ ciborum, ventriculiq. robore, vidiq; qui iam ex compreſſione thoracis ob repletionem ventriculi, velut Aſthmatici ægerrimè ſpiritum ducerent, planèq. animum agerent, hoc medio intra bihorium reſtitutos cum vltra biennium ob prædicta non malè, ſed peſſimè habuiſſent. hæc ego vidi non ſemel, ſed

millies

Stelliola.

Eraſmus.

milllies comprobari. Petrus Poterius in pharm. ſparg. cap. 10. *In Gallia narbonenſi ruſtici eo frequenter vtuntur, ſine Medici conſilio, maximè in pleuritide, accipiunt verò vitriolum album, vti habetur in officinis citra vllam præparationem. à quo edocti planè ignoro, ſcio eius reiterata experimenta, tanti remedij apud eos confirmare vſum. datur à drachma ſemis, ad drac. j. vomitum mouet, caput purgat, ſudores, & ſomnum non raro concitat, vermes enecat, & multis alijs ſuccurrit morbis, iecoris potiſſimum, & ventriculi.* Daniel Milius lib. 5. Baſilicæ chimicæ. vitriolum radicitus expurgat per ſuperiora, & inferiora. Quercetan. in pharmac. doc. cap. 16. de vomitorijs, vtitur ſale vitrioli, *& ait, mirandos eliciet effectus.* Paracelſus tom. 7. de rebus natur. cap. 8. de vitriolo. *in genere purgatio eiuſmodi in omnibus ventriculi vitijs, item in caduco, & verminatione vtiliſſima, & tutiſſima eſt, ſi pro conditione temporis, morbi, perſonæ, &c. vſurpetur.* G. Dorneus de geneologia mineralium. cap. 16. *Ad grauiſſimos ſtomachi dolores, &c.* Libauius lib. 8. ſyntag. cap. 38. *Sal vitrioli (qui dicitur eſſe propria vitrioli eſſentia reſtans in calcinato incombuſtibiliter) ad epilepſiam, doſi ſcrupuli vnius ex oximellite ſcillitico.* Nos tandem vt etiam noſtra experimenta afferamus, numerare quidem poſſemus centum Romæ puerulos vnius anni, bimos, trimos, qui aſſumpto vitriolo cyprio iij. 4. 6. granorũ pondere multã craſſam pituitam euomuerunt. & indè ab epilepſia, quam fœminæ dicunt *Infantigliole*, fuiſſe liberatos. ex his autem conſtat, quam vtilis, & laudata, atq; etiam experimentis confirmata ſit vitrioli emetica vis. quam iniuſtè accuſat Aduerſarius. ſed hæc ſatis.

P. Poterius

Quercetanus

Paracelſus

G. Dorneus

Libauius.

Regreſſio.

Scriptum etiam reperio in ſchedula *licet non tutum.* multi pręclariſſimi viri ſupra citati teſtati sũt eſſe medicamen tutiſſimum, ego tamen, quod ſit parùm tutum concedo, ſi aliquis purum maſticando, & lambendo ſumpſerit. ſed quæſo, indicato mihi pharmacum etiam mediocriter purgans, quod ſit omninò tutum; quod alicuius correctionis non egeat. An talia erunt Rabarbarum, Caſſia, Manna, ſyr. roſ.? Ex ſolo ſyr. roſaceo ſolutiuo epoto duos vidi eadem die obijſſe. Ex Manna magnum vo-

Num. 31

Vitriolum eſt tutum.

vomitum,& ventris cruciatum obſeruaui. Caſſia ventris tormina peperit. De Rhabarbaro non paucos audiui conqueſtos, & quoſdam ſolo odore purgatos mirùm in modum, ſi ſubſtantiam ſumpſiſſent pro veneno illis extitiſſet. quid caſus,quid infortunium ad rem vniuerſalem?

Dioſcorid. nobiſcum. Ad auctoritatem allatam Dioſcoridis patet reſponſio. non dixit eſſe venenum,non dixit nocuum, non dixit non tutum, vt vult Aduerſarius, ſed vtile, conferens, & ſalutare vomitum ciendo.

Num. 32 Vidius deceptus. Vidus dixit *aluum laxare, licet cùm periculo excoriationis*. Primo dico hunc decipi Dioſcoridis, & ſupracitatorũ teſtimonio,qui vomitorium,non,infra purgatorium dicunt. Secundò, ſi concederetur deorſum purgare, non erit ſolum à quo inteſtinorum excoriatio ſit timenda; à trociſcis alhandal vidi ego ſæpius,& curaui dyſenteriam: ſcammonium,ſcilla,elaterium,ben, centaurium,lazuli,euphorbium,mezereon,eſula,dracontium, & Brionia ex Meſue ſunt excoriatiua, tamen in vſu, & ab ipſo Meſue commendata tanquam vtilia, non autem vituperata, vt nocua, læthalia,& deleteria.

Num. 33 Ad Guainerium. Guainerius inter venena numerat ſequutus Auicennam, ſi nimirum incongruè,& copioſè fuerit potatum. cuius accidens præfocationem dixit. Aduerſarius infert ergo venenum membrorum ſpiritualium: an conſiderauit ob vim aſtringendi maximam, ſi ſumma,& excedenti copia fuerit ſumptum illud ſymptoma in faucibus inferre poſſe? Plinio talis facultas fuit nota, qui lib.34.cap.12. *Nuper inuentum*(inquit)*Vrſorum in arena, & Leonum ora inſpargere illo,tantaq. eſt vis in aſtringendo,vt nõ queant mordere*. ſi per membra ſpiritualia intelligit Aduerſarius fauces aſtrictas, eſto earum partium venenum. (non tamen deleterium) ſed quid dicet de antiquis Medicis ad ipſarum affectus hoc vtentibus? cogetur certè dicere ipſos clariſſimos viros non curaſſe, ſed venenaſſe ægros. ſed quicquid ſit de hac re, certum eſt Guainerium loqui de vitriolo in nimia quantitate ingeſto,quod eſſe nocuum non negamus ob ipſam copiam,cum ſemper omne nimium naturæ ſit inimicum.

Ad Fallopium, quem bis replicat, ſupra eſt reſponſum,

numero 16. & 23. bis, & ter eadem repetere, ſi Aduerſario placer, mihi diſplicet.

Sed modo notate mirùm argumentum, *quia intrinſecus non poteſt tutò ſumi, ideo reijcitur à compoſitione Theriacæ.* hic negatur propoſitio maior, quæ ſubintelligitur, nimirum. *quæ intus non poſſunt tutò ſumi, ſunt reijcienda à compoſitionibus.* nam multa per ſe nocua in compoſitis vtilia fiunt, veluti cantharides ex Galeno, & ſimilia. & in Theriaca adſunt Euphorbium, opium, & caro viperarum, quæ per ſe non ſunt valdè tuta, in compoſitis verò valdè vtilia experimur. pauca etiam ſunt medicamenta, quæ correctione non egeant, vnde ſola tuta non ſunt in compoſitis tutiſſima, & vtilia. Secundò negatur minor, falſum enim eſt (vt paulò ante patuit) vitriolum intus non poſſe tutò ſumi. Tertiò, negatur conſequentia. imò contra argumentor, quia non reijcitur à compoſitione Theriacæ, ideo intrinſecus poteſt tutò ſumi. illa enim quæ non reijciuntur à compoſitione Theriacæ ex Aduerſario, videntur tuto poſſe intrinſecus ſumi. Num. 35 Ineptum argumentum

Sed attulit opinionem Fernelij, Plántij, & Andernaci de non imponenda chalcitide in Theriacam, hanc opinionem legeram ego etiam in Valerio Cordo, Diſſenio, & Fucſio. ſed decipiuntur omnes, nec nouerunt chalcitidis verum vſum in Theriaca; ſed tantùm accidentalem. vndè conuincuntur *verbis* à Marantha lib. de Ther. pag. 61. à Matthiolo lib. 5. epiſt. de Ther. à Britio Bouderone Gallo com. in Ther. à Franciſco Alexandri in Ther. fol. apud me 345. & alijs. Opere verò à tota Medicorum ſchola Græcis, Arabibus, Latinis. ab omnibus Scriptoribus, qui omnes chalcitidem, vel eius loco chalcanthum imponunt, ab omnibus Accademijs Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, & Galliæ, imò Turcarum etiam; nam Proſper Alpinus de Med. Agyp. lib. 4. cap. 9. in illorum Theriaca numerat *Colochtar, ideſt vitrioli. drac.* 72. ſed quale præſtantius quæro teſtimonium, ſi adeſt Collegium Romanum, quod in ſuo Antidotario ponit *Chalcitidem vſtam*, & imperat ſub graui pœna ſubiectis Aromatarijs, vt omnino chalcitidem miſceant. ſi ergo Romanum Collegium id iubet ſeruari, vtinam modo adeſſet Manelphus condiſcipulus meus doctiſſimus, vt iudicaret, an peccarim ego ſcribens

Auctores auferentes chalcitidē à Theriaca.

Improbantur. Collegium Romanum contra Prothomedicū ſuum.

bens

bens pro veritate contra caput de duratione Antidotarij Romani nunquam à Pharmacopeis obſeruatum. an verò magis Archiater eiuſdem Collegij præclariſſimus, & eiuſdem pro tempore Moderator, ſcribens contra ſtatutam, & obſeruatam ab omnibus Theriacæ mixturam. certè multæ fuerunt Romæ compoſitæ Theriacæ admiſto chalcantho, quibus ſubſcripſit idem Archiater, qui nunc negat, & reijcit. Sed ſcito duplicem in Theriaca eſſe chalcitidis vſum; Accidentalem ad colorem conciliandum; principalem verò, & primarium, vt tanquam magnum alexipharmacum venenis obſtaret; vt ſerpentum Ceraſtis, Dipſadis, & Hęmorroi, vt diximus ex Celſo; fungorum, & hirudinum (quorum venena execratur Plinius) ex Dioſcor. Paulo, Plinio. Scribonius in duobus Antidotis ad Toxicum impoſuit miſy; Nicol. Mirepſ. in Eſdra ponit chalcitidem, & chalcanthum. Præterea, quia alijs etiam morbis prodeſt chalcanthum, vt ſputui ſanguinis, &c. ideò non incongruè Theriacæ miſcetur, ex Marantha, Crollio, Stelliola, &c.

Archiater inconſtans.

Sed antequam vlteriùs progrediamur, aduertendum eſt Auctores citatos Cauſticam, & Eſcaroticam vim Chalcantho tribuentes (ſcilicet Antiquos Græcos) non eſſe loquutos de vitriolo crudo, ſed de vſto, quod Colchotar aliqui vocant. & in hoc varia eſt deceptio: vndè aliqui Neoterici, & fortè Arabes, crudo tribuerunt, quæ de aduſto dixere Græci. Nam Dioſcorides, cum ait vitriolum *cruſtas inducere*, intellexit de vſto. ipſius etenim præparationem dixerat eſſe vſtionem. Vſtum autem multò vehementius eſt crudo experientia teſte. ita etiam Paracelſus lib. de rebus natur. ſcribit, Colcotar intrò ſumendum non eſſe, quod confirmat Mindererus, & alij. & quamuis ſcribat Dioſcorides (vt notaui dub. 3. ad Minder. pag. 34.) chalcanthum, & ſimilia vſtione imbecilliora fieri, quod Galenus 9. de ſimpl. m. f. & de Ther. ad Piſon. 18. videtur confirmaſſe. tamen quia experientia reclamat, niſi fuerint benè vſta, pro eorum defenſione nil aliud videtur dicendum, niſi in textu fortè adeſſe erratum: experientia autem egomet ipſe in mea cutè agnoui vitriolum, tàm Romanum, quàm Cyprium nō eſſe Eſcaroticum, vſtum verò aliquanto eſſe acriùs; nam cutem rubificauit tantum. in carne verò cute priuata, cauſticum, & eſcaroticum

Græci eſcaroticum fecerūt chalcanthum vſtum non crudum.

vtrunq.

vtrunque vidi; ſed à vitriolo Indico, cutem etiam ipſam vlcerati ſum expertus, cuius naturam non diù benè perſpexi. Auctoritas Plinij nobis placet ſcribentis. *Toſta chalcitis efficacior fit.* & Celſus lib. 5. cap. 9. Cruſtas vlceribus tanquam igne aduſtis inducũt; ſed præcipuè chalcitis vtiq. ſi cocta eſt; miſy, & id quo magis, coctum. cui Theophraſtus, Mindcrerus, & alij, vt dixi, ſubſcribunt. Ratio verò id confirmat. nàm toſtura aufertur à vitriolo phlegma, quod obtundebat acrimoniam vitrioli. Hoc tamen dub. citata dixi; maxima tandem actione, & calcinatione, etiam partes acres vitrioli ſeparari, & reſolui; vnde remanet caput mortuum mitiſſimum, vti priuatum ſpiritibus acidis, & acribus omnibus. Qua occaſione notabimus etiam errorem plurimorum adhuc viuentium Medicorum, & Pharmacopeorum, qui multis ſcriptis editis inuicem acerrimè decertarunt, an Lapis Lazuli crudum, vel vſtum deberet confectioni Alchermes imponi. Nam hi non aduerterunt verba Dioſcor. à quibus verum huius quęſtionis fundamentum, & ratio pendent: vndè ſemper garrientes, nihil verum, nihil rationi, nihil experientię conſentaneum tradiderunt, nil demonſtrarunt, nec quæſtionem dilucidarunt. Etenim cùm Dioſcorides tradidiſſet Natalem, & electionem lapidis Cyancei, ſubdit. *Vritur vt Chalcitis, lauatur vt Cadmia, vim habet reprimentem, & modicè erodentem, cruſtas gignit, & exulcerat.* quas vires vſto lapidi tribuiſſe clariſſimum eſt, non autem crudo, vt malè recentiorum turba in ſuis ſcriptis nuper cenſuit. Quod quidem quamuis iudicioſo legenti euidentiſſimum ſit. experientia tamen etiam ſenſatiſſima agnouimus. puluerem enim crudi Lazuli carni impoſitum, & triduo geſtatum, nihil penitus cutem læſiſſe, ſenſimus, imò neq; etiam vlceri impoſitum quicquam ſenſibile induxiſſe. deinde experti ſumus vſtum lapidem cyaneum; & eum qui marmoreæ partis plus, coloris verò minùs habebat, validiorem in rubefacienda cute aſpeximus, vtpotè, qui maiorem calcis portionem erat ſortitus, hinc conſtat, quàm vanum ſit loqui ſine experientia. ſed ratio nobis etiam adſtipulatur. Cyaneus ſiquidem lapis conſtat partim ex colore ab igne immutabili, partim ex Marchaſita, partim verò ex lapide calcinabili, & marmoris ſpecie. itaq. crudam maſſam, neque ratione coloris, qui

De Lapide Lazuli.

Explicatur Dioſcorides.

Vt Lapis Lazuli. eſcaroticus.

ſine ſapore, acredine, vel ſalſedine eſt, (vt patet cum purus à Pictoribus paratur,) neque ratione Marchaſitæ minimè acris, & vlcerantis, neque etiam ratione crudi marmoris, vrere, & vlcerare eſſe aptam videtur. quod ſi vratur ob lapidem marmoreum in calcem verſum, calcis vires, quæ vrentis eſt facultatis obtinebit. Lotura autem, quia aufert calcis ſalſedinem, & acrimoniam, cyaneum vſtum reddere poteſt mitiſſimum, & minimè vlcerans. ſicut in vulgari calce lota, ſæpè notauimus. Sed Lazuli nunc dimiſſo, ad vitriolum redeuntes dicimus, quamuis vſtum vetetur intro ſumendum ob vehementiam, tamen in Theriaca vſtum requiri, quia cum pauca ſit doſis, ideò valentiùs recipitur medicamentum, & phlegma vſtione ammiſſum reſumit à vino, & alijs liquoribus, & denique corrigitur à multis alijs ingredientibus, vti etiam Caro Tirij, opium, &c.

Num. 36 Aduerſarius negat externum vſũ vitrioli.

Nunc ad externos vſus in quibus negligentia Aduerſarij conſpicitur, & nullos legere voluiſſe Scriptores. *Extrinſecus corpori non eſt tutum remedium* (inquit) *quia valenter aſtringit, & ita calidum, vt exurat.* hic doctus vir à Medicina repellit omnia valida aſtringentia, & omnia multum calefacientia. ita quarta ferè pars medicamentorum, quæ Medicis in vſu eſt, exilio perpetuo erit punienda. ſed contra tamen Medici, & Chirurgi omnes tàm veteres, quàm recentiores, docent vlceribus putridis oris, inteſtinorum, fiſtulis, prurigini, achoribus, carni ſupercreſcenti, cicatrici inducendæ, &c. vitrioli genera conuenire; vndè ex ijs parant pulueres, trochiſcos, vnguẽta, cerata, & huiuſmodi alia, quæ hic afferre tædet, vnus pro omnibus ſit nobis Hippocrates lib. de vlceribus. *Siccum mordax. miſy leuiſſimè tritum inſpergito in ea, quæ humida ſunt, & putrida*; vtitur etiam *chalcitide cruda* bis, vſta autem ſemel ad Nomas. deinde etiam *chalcitide cerulea*. lib. de fiſtulis. ad ſupprimendum ſanguinem, *chalcitidem ſumit*, & lib. de hemorroidibus vtitur eadem.

Hippocrates vtitur vitriolatis.

Vitriolum ad vterum.

Vſus eſt etiam Hipp. his ad vterum. dicere poſſes internè. de natur. mul. pag. 291. & iterum pag. 337. *Purgans vteros. miſyos obolos duos tritos, & vino ſubactos apponito.* & pag. 292. *Bilem purgans glandula. Miſy, elaterium, adeps.* pag. 302. & iterum pag. 338. ad recens enixam. *Galbanum, Netopum, Miſy cum vnguento roſaceo in linteo apponito.* Paulus in vterum vlceratmu infundit chalcanthum, & chalcitidem.

Preterea Oribaſius ex Zopyro 14. collect.45. *Humorem ex ore tum trahunt commanſa, tum liquata miſy, piretrum, atramentum ſutorium, &c.* Pro maſticatorio.

Per Nares. Dioſcorides. *purgat caput aqua dilutum, & in vellere naribus inſtillatum.* idem Plinius. *Purgat & caput dilutum, ac naribus inſtillatum.* Aetius ſer.6. cap.52. *Atramentum ſutorium lacte mistum infundito, purgat maximè ictericos.* & cap.8. ſimiliter vtitur ad inſanos. Sed ſer.10. cap.19. perbellè explicat, vſum chalcanthi pro Errhino in illis ictericis, in quibus oculorum color vitiatus remanſit. Purgat cyclaminus craſſiſſimum mucum, elaterium autem pituitam, & bilem. Omnium autem efficaciſſimum ad eos reperi atramentum ſutorium lacte muliebri diſſolutum, ac naribus infuſum: inde enim bilem largè ex naribus deſtillantem videbis. Oportet autem Poſcam probe dilutam in ore detinere dum infunditur hocce pharmacum, præſtat tamen primum ciclaminum infundi, quo craſſa per eam euacuentur, & poſtea ipſum ſutorium atramentum. Auicennas cap.169. *& quando de eo deſtillatur vna ſtilla diſſoluto in aqua in nares, mundificat caput.* aſſentitur Serapio, & alij. Pro Errhino. Aetius.

In gargariſmis vtuntur Dioſcorides, Matthiolus, Scribonius, Auicenna, Actuarius, & alij, ad hirudines deuoratas, vt ſupra dixi. & Gariop. lib.1. cap.22. in ſynanche, *Trociſcos Andronij* (qui conſtant chalcantho, & miſy) in paſſo ſolutos ei bibere dabis, vel gargarizare. In Gargariſmis.

In affectibus oris, & medicamentis ſtomaticis. vſi ſunt Andromachus, Crito, Archigenes, Soranus, Apollonius, Heraclides, Aretęus, Marcellus, & ipſe Galenus, vt ſupra retuli. Sed tantum abeſt, chalcanthum extrinſecus corpori non eſſe tutum (vt aſſerit Aduerſarius) ac ita calidum, vt exurat. vt contra frigidum experiamur, ſi quidem Eriſipelati, & vſtionibus ab igne ſubuenit. Aetius ſerm.14. cap.59. in Eriſipelate vtitur paſtillo ex Miſy, & Opio, & c.64. Ad ambuſta igne adhibet Miſy vſtum cum thure, & cimolia. B. Fauenti. in Empirica. cap. de Eriſipelate. ℞. Atramenti lib. ſem. per ſe ipſum ſolum valet ab eo intincta Heriſipella, & hoc propter ingredientia eius compoſitionem frig. & ſtiptica. at quæ ſunt hæc? Vitriolum, alumen, gummi, In ſtomaticis.

galla, vinum, ſic enim cõmuniter paratur, & noſtræ mulierculæ ad combuſta igne eodem atramento ſcriptorio vtuntur, idem confirmat Paracel. Chirurg. mag. pag. 1. tr. 3. cap. 10. Ad vſtionem (inquit) à glandulis tormentarijs inter refrigerantia non contemnendum atramentum ſutorium. Paul. Aegineta lib. 4. cap. 20. ad ambuſta, & cap. 21. ad Eriſipelata commendat. & Alexand. ad diuturnum cap. dolorem, & intemperiem calidam applicat paſtillum ex chalcantho, chalcitide, & alumine, & lib. 7. cap. 7. Quibus præcordia, & ſtomachus inflantur melancholicis in eum recremẽtis confluentibus ſpongias aceto quã acerrimo imbutas imponito, & ſi poſt has malum remanſerit alumen liquidum cum chalcantho leui, & melle modico exceptũ applicato. non videtur ergo ab Aceto diſtare multum. Paul. ad vlcera tonſillarũ, & Celſus lib. 5. cap. 20. in paſtillo Andronis, ad vuam inflammatam.

Eod. nu. 36. Ad oculos. Deinde ſcribit Aduerſarius: *Si non conuenit in gargariſmis, multò minus in affectibus oculorum, qui ſunt exquiſiti ſenſus, & magis quam os ventriculi.* Auctores ab ipſo citati nihil probant, tantùm dicunt, quod dixerat Dioſcorides, *Aſtringens, calefaciens, eſcaroticum.* Hoc autem argumentum ego ſic retorqueo. *Conuenit affectibus oculorum, ergo etiam ori ventriculi.* deinde, *conuenit in gargariſmis, vt dixi. ergo.*

Ex Hipp. Antecedens probatur. Auctoritate Hippocratis 1. de morb. mul. pag. 380. quæ quamuis notha inſcribantur, ſi non ſunt Hippocratis, certè alterius magni viri antiquiſſimi erunt. Ophtalmica arida vocat, ideſt pulueris forma. parat autem, primũ ex miſy, & ſpodio chriſitide. 2. ex ceruſſa, & miſy. 3. ex ſpodio cyprio, ceruſſa, miſy torrefacto. 4. ex ſpodio cyprio, chalcitide non lota, & flore æris. 5. ex ſpodio, chalcitide, & cinere chryſitidis. 6. ex ſpodio, chalcitide, aceto albo. & 4. Acutorum paulò ante finem. ad dolores oculorum chalcitidis. drachmam, &c.

Ex Galen. Sed inſpiciamus quæſo Galenum lib. 4. de comp. loc. an ex Antiquis didicerit horum atramentorum vſum in oculis. Ecce Galenus cap. 1. inter ocularia extergentia numerat: *chalcitidem vſtam, miſy, ſory.* Deinde de erodentibus, de ſandaraca, &c. *Participat* (inquit) *& miſy paululùm eiuſmodi facultate.* Cap. 4. recitat facultates in oculis *chalcitidis, & miſy.* & addit, *quidam*

quidam adiecerunt chalcanthum, quod ad aſtringendum vnà cum acredine vehementiſſimum inter hæc omnia pharmacum exiſtit, manifeſtum eſt autem, quod multò moderatiùs redditur vſtum, & lotum; & ad ſcabras palpebras deinde vtitur *Miſy*.

Cap.7.ex Aſclepiade numerat Collyria.9.continentia *Atramentum*, & 10. recipientia *Chalcitidem*, & 15. compoſita cum *Miſy*. Ex Aſclepiade.

Et lib.5.cap.2.ex Archigene ad Aegilopem. *Melanteriam tritam*. Ex Archigene.

C. Celſus lib.6.cap.6. *Atramentum ſutorium* miſcet Collyrio Euelpidis ad vlcera oculorũ, Colly.Hermonis, & Colly.Cęſariano. deinde *Chalcitidem* ad oculos ſcabros, Collyrio Baſilico miſcet, & Pſoricum parat. & in Diacroco. & lib. 7. cap. 7. de enchanti tuberculo anguli oculi vtitur atramento ſutorio, atque etiam in oculorũ fiſtula Aegylopa. Dioſcorides de chalcitide. *Purgat, quæ oculis, & eorumdem angulis hærent*. deinde. *Vſta, & cùm melle trita oculorum medicamentis, longè vtilior redditur*. & de Miſy. *Aegyptium cæteris præſtat, vt potè quod efficacius habeatur, ſed ad ocularia medicamenta multò inferius cyprio*. ita igitur laudat cyprium ad oculos, quia non eſt ita validum. Ex Dioſcoride ad oculos.

Plinius lib.34.cap.12. *Sory oculorum curationi quidam vtilius Cyprium putant*. & de Miſy. *extenuat ſcabritias oculorum inueteratas*. & de chalcantho. *medetur, & oculorum ſcabriciei, doloriq., nec non & caligini, ſuſpendit* Epiphoras, *penicillo fronti impoſitum*. Ex Plinius.

Scribonius in Collyrio flacto. cap.34. *Miſy vſti donec puniceum fiat*. & cap.37. in Hygra. *Miſy, & chalcitidem* ponit. Ex Scribonio.

Marcellus Empiricus Antiquus Auctor, qui experta tantum ſcribit cap.8. vtitur Miſy quinquies, chalcantho bis, chalcitide quinquies. ſcribit præterea ad Epiphoras *chalcanthum viride*. Deinde. *ſi impetus oculorum eruperit, huiuſmodi remedium confeſtim adhibebis. Atramenti ſutorÿ. vnc.j. in aquam mundam defundes, idq. acriter feruere facies, tum operies, vt feruor paulu lum conquieſcat, aqua vbi modicum intepuerit in concham tranſfundes, ibiq. faciem deterges, & oculos patefacies intra ipſam aquã paululum quidem admordebit, ſed certiſſimo experimento incumbentem euertet.* Ex Marcello. ad oculos.

Ori-

Ex Oribaſio. Oribaſius 2.ſynopſ. cap.31. Quæ ab oculis ducunt *Chalcitis*. & lib.3.Collyrium ex Erica. *Atramenti ſutorij combuſti*. aliud. Aridum ad oculorum angulos ſcabioſos, *Chalcitis*. Diaſanteron *Miſyos toſti*. & Eraſiſtrati Panchriſtos. *Miſyos toſti*. aliud ad pura, & impura vlcera. *Atramenti ſutorij*. Aridum ad aridam lippitudinem, & in duobus liquidis collyrijs. *Miſyos, Atramenti*. & lib.4. collect.45. *Ab oculis vero trahunt humores, Atramentum ſutorium chalcitis Aegyptia, Miſy*. Aetius ſerm.3.

Ex Aetio. cap.138.Prouocant lachrimas,& extergent Atramentum ſutorium,chalcitis,miſy. & ſerm.7. tot affert ex Sory, Miſy, Chalcantho, & Chalcitide collyria, vt enumerare tæduerit. nam centenarium numerum ſuperant.

Ex Aegineta. Paulus Aegineta.lib.3.cap.22.in quibus verò tumor oedematodes tum circa palpebras, tum membranam adnatam, ſine tunicarum offenſa, benè faciunt etiam liquida collyria ex Croco, & atramento ſutorio, & melle præparata. ad Epiphoram. *Atramento ſutorio cum melle, frons, & palpebræ delinantur. nonnulli atramentum ſutorium aqua diſſolutum ad collutionem exhibent*. & eodem cap. 22. in multis collyrijs oculorum vtitur *Miſy, Chalcitide, & Atramento*. ad Epiphorem Pſorophtalmiam, ad palpebrarum defluuia. Vngui oculi, Phlyctenæ ad oculorum cicatrices tingendas Pterygijs. lib.7. cap.16. collyria efformat, & ſordidis vlceribus abſtergendis conuenire, ait, *Chalcitidem, Miſyn, Soryn*, & in pluribus etiam alijs collyrijs, miſcet *Atramentum ſutorium*.

Ex Tralliano. A.Trallianus lib.2.cap.5.& 6.*Chalcanthum, & Chalcitidem* combuſtam in pane.

Actuario. Actuarius lib.4.meth.cap.11. & lib.6. meth. cap.5. *Miſy, Chalcitidem, Chalcanthum*. pluries aſſumit pro oculis.

Nicolao. Nicolaus Alexandrinus Collyrium Machaonis affert cum *Chalcantho*.

Ex Meſue. Auicenna. Ex Arab. Apud Arabes infinita adſunt teſtimonia vtilitatis vitrioli ſpecierum ad oculorum morbos. vt apud Meſuem de ægritudinibus oculorum. Auicennam .lib.2.cap.48. & lib.3.fen.3.trac.2. in pluribus capitibus,& lib.5.ſum.2. tract.2. apud Ieſum Hali. de oculis tract.2.cap.1.& trac.3.cap.27.Canamuſali de Baldac

lib.1.

lib.1.de oculis.cap.12.& lib.2.cap.6.& 16.Raſim.9.ad Almans. cap.de Sebel,& cap.de Vngula,nec nō apud alios Arabes.Paul. lib.4 cap.2. *Inter compoſita, Miſy, & Chalcitis, pari modo ex vino humidiores ſcabies delinantur*. vtitur etiam chalcantho. & cap.3.ad impetiginem. eadem. & ad impetigines, & pruritum atramentum ſutorium. & ad Alphas albas. cap. 6.

Latinos enumerare nolo: piget enim & numerus eſſet infinitus. Riuerius Med. Regis Galliæ ex Mullero. & Finchio vſus drac.j.vitr.albi cum aquæ vnc.10.addito ſcrup.j.ſal.com. Quare concludam vitriolum eſſe medicamentum oculare optimum, & vſitatiſſimum, etiam ſi calidum in 4. acerrimum,& corrodēs, vt dixit Aduerſarius,non dicam tamen putrefaciens, cum id minimè verum ſit,vt ſupra dixi. Ex Latinis.

Quod autem Aduerſarius pro ſe attulerit Dioſcoridis verba, & ſcribat. *cruſtas inducit. ergo oculis non conuenit*. non vrget, ipſe Dioſcorides ad oculos laudauit. Num 37 Reſpondetur ad Dioſcoridē, & alios ab Aduerſario citatos.

Matthiolus Dioſcoridi aſſentitur.

Celſus vſus eſt vitriolo in oculis, malè igitur ab Aduerſario ſumitur pro tutore.

Galenus vſus eſt vitriolo,&c. oculis affectis. ergo nobiſcum.

Fallopij verba nil probant, non enim ſolidum, & ſincerum Chalcanthum; ſed præparatum oculis adhibemus.

Gregorius Bertinus quamuis reprӕhendat Paracelſiſtas. cōcedit tamen vitrioli vſum neceſſitate vrgente, nil de vſu vitrioli ad oculos.

Plinius iterum citatur (iam falſo num.24. citatus) his verbis. *Solum ungulas Mularum reſiſtere poſſe chalcanthi corroſioni*. hæc non ſunt Genuina, vera, & realia Plinij verba. ſed lib. 30. cap. vlt. ſic loquitur. *Vngulas tantum Mularum repertas, neque aliam ullam materiam, qua non perroderetur à ueneno ſtygis aqua cum id dandum Alexandro &c.* lib.autem 2. cap. 103. *Iuxta Nonacrim Arcbadiæ ſtyx, nec odore differens, nec colore, epota illicò necat*. & lib.31.cap.2. *In Arcbadia ad Pheneum aqua profluit è ſaxis, ſtyx appellata, quæ illico necat, ut diximus, ſed eſſe piſces paruos in ea tradit Theophraſtus, letbales, & ipſos, quod non in alio genere mortiferorum fontium*. nil aliud apud Plinium de hac aqua reperio. Plinius malè citatus.

Tertia Digreſſio de Aqua Stygia.

Non ingratum Lectori futurum ſpero, ſi de Aqua Stygia extra quæſtionem aliqua attulero. nimirum parua quædam de nomine, de effectu, poſtremò de eſſentia, & cauſis.

Stygiæ nomen.

Circa nomen, fabuloſum refertur. Vt Apollodorus lib. 1. de Deor. Orig. pag. 3. ſcribit. Styx Oceani, & Thethis fuit filia: Stygis autem filia dicta Victoria (vt refert Seruius.com.18.in 6.Aeneid.) Bello Gigantum Ioui fauit, pro cuius rei remuneratione Iupiter tribuit, vt Dij iurantes per eius matrem, non audeant fallere. quod confirmat Apollodorus loco citato. *Iupiter* (inquiens) *Stygis aquam de ſcopulo per Inferorum loca fluentem iuris iurandi religione decorauit. & quod ipſi contra Titanas, vnà cum filijs opem tulerit.* de quo iurandi more. Virg. 6. Aeneid.

Cocyti ſtagna alta vides, ſtygiamq. paludem,
Dij cuius iurare timent, & fallere Numen.

Sed primus omnium Homerus id ſcripſit. & iurandi formulam etiam explicauit in Hymno Apollinis. ver. 88.

(iurauit
Sic vtiq; dixit Latona autem Deorum magnum iuramentum
Sciat nunc hæc terra, & cælum latum ſuperius.
Et Inferne fluens ſtygia aqua (quodq. maximum
Iuramentum grauiſſimum exiſtis beatis Dijs)
Certè vtiq. Phebi hic odoriferum erit ſemper,
Altare, & Templum, honorabit autem te vtiq. maximè om̃um.

Et Hymno Mercurij.

Verum ſi mihi ferres, Deorum magnum iuramentum iurare.
Et capite annuens, vel per ſtygiæ fortem aquam.

Et Odiſſæ.E.num.183.

Sciat nunc iſtuc terra, & cœlum latum ſuperius.
Et ipſa ſupterlabens ſtygis aqua (quod maximum
Iuramentum grauiſſimumq. exiſtis Beatis Dijs)
Non vllum tibi ipſi damnum malum me conſulturam aliud.

Imò huius etiam meminit Ariſtoteles 1. meth. ſum. 2. cap. 1. *Oceanum namque* (inquit) *& Tethyn generationis parentes eſſe*

ueci-

cecinerunt: *Iuſiurandum quoque Deorum aquam eſſe Stygem ab ipſis Poetis appellatam, honorabiliſſimum enim quod antiquiſſimum eſt, iuſiurandum autem honorabiliſſimum eſt*. addit Seruius com. 37. ſtatuiſſe Iouem, vt ſi quis fefelliſſet eius numen, vno anno, & nouem diebus ab Ambroſia, & Nectare prohiberetur, & addunt alij etiam numinis maieſtate eſſe priuatum. Sed fabulam explicare conatur Seruius com. 18. & 37. inquiens. Ratio autem hæc eſt, Styx mœrorem ſignificat; vndè ἀπὸ τοῦ συγερου, .i. à triſtitia Styx dicta eſt: Dij autem læti ſunt ſemper, vndè & immortales. Ergò quia mœrorem non ſentiunt, iurant per rem ſuæ naturæ contrariam, ideſt triſtitiam, quæ eſt æternitati contraria: ideo iuſiurandum per execrationem habent. Eſt itaq; ſtygia palus in Inferno, & ab hac Virgilius Lucos Stygios vocat pro Inferno, & Regem, ſeu Iouem ſtygium pro Plutone, vt etiam ſtygium canem pro Cerbero apud Senecam legimus. Erat etiã Palus in Aegipto ſtyx dicta, vt refert Seruius com. 20. ex Seneca, quam tranſeuntes triſtitia afficiebantur. Sed de hac ſatis. Ab hac ſtygia infernali aqua nomen ſumpſit aqua fontis, ſeu Lacus circa Nonacrim in Arcadia, ſeu Pheneum, ſeu Cyllenem montem, vt Plinius, Seneca, Aelianus, Cardanus, & alij ſcribunt. & addit Cardanus 2. de ſubtilit. in fine. hanc ſtygiam vocabant, credo quod ad manes homines mitteret. & quia dictum eſt hãc ſtygiam omnia iniecta corrodere, hinc chymici aquam ſuam corroſiuam metallorum ſtygiam vocarunt, quæ ſtygia chymica (ait Libauius 8. ſynt. cap. 30.) ab effectu quidem poteſt eſſe συγερὰ ſi quis velit bibere.

1 Nos effectus, qualitates, & vim ſtygiæ in Archadia nunc conſiderabimus. Plinio teſte ab alia aqua, neque odore, neq; colore, neq; ſapore diſtinguitur. & Seneca lib. 3. nat. quæſt. cap. 25. *Aduenas fallit, quia non facie, non odore ſuſpecta eſt.* Qualitates Stygiæ.

2. *Epota illico necat* ex Plinio. At Seneca. *Hæc ſumma celeritate corrumpit, nec remedio locus eſt.*

3. Profluit è ſaxis Plinio. è rupe altiſſima Cardano.

4 Piſces alit Theophraſto teſte apud Plinium, læthales, & ipſos.

5. Protinus hauſta duratur, nec aliter quam gypſum ſub humore conſtringitur, & alligat viſcera ex Seneca.

6. A Theophraſto dicitur frigidiſſima, vt refert Liba. de iudicio aquar. min. cap. 45. Plutarcus de 1. frigido: *è ſaxo paucis ſcaturiginibus confluens, ita frigida, vt omnia vaſa rumpat.*

7. Vngulas tantum Mularum repertas, neq. vllam aliam materiam, quæ nõ perroderetur ab hac aqua, ex Plinio, & Vitruuio. Equi vngulam dixere Cardanus, Trogus, & Pauſanias. Aſini, Plutarch. quãuis interpres Equi vertit. Aſini ẽt Io. Monachus in Hiſt. in Alexanderi mentione, cui aſſentitur Rodig. lib. 25. c. 16. ſed Aelianus non vngulas, ſed cornu Aſini fuiſſe, ſcripſit lib. 10. de anim. cap. 40. *In Scythia* (inquit) *Aſini cornibus præditi naſcuntur, quorum cornua Arcbadiæ fluminis ſtygis aquam continẽt, quæ tranſmittit vaſa omnia, etiam ſi ſint ex ferro: hæc cornua à Sopatro apportata fuiſſe aiunt Alexandro Macedoni, & illum admiratum miſiſſe Delphos, vt dedicarentur Pythio: cum hiſce carminibus. Hoc tibi Alexander Macedo mirabile cornu dedicat ò Pæan ex Aſino Scythico, illæſum, quod aquam ſtygis eſt potens claudere ſolum, inuictiq. aliàs vincere vim laticis.*

Eſſentia Stigis. Nunc quærenda interna eſſentia talis aquæ.

Calida, acriſq. aqua videtur fuiſſe. Primò, Chymicorum tacita quadam illatione, nàm idem nomen tribuerunt aquæ corroſiuæ, acerrimæ, & calidiſſimæ.

Secundò, quia corroſio omnium vaſorum, & etiam ferri, videtur calori, & acredini tribuenda.

Tertiò, probatur ex Agricola. hic de ortu ſubt. lib. 1. pag. 18. *Acrem ſuccum* (inquit) *terram procreare, etiam ſua vi comprobat ſtyx fluuius. nàm quia in aliquod vas argenteum, vel æneum, vel ferreum infuſus, id ipſum perrumpit, acerrimum eſſe intelligimus, & ſimillimum aquæ factitiæ, quæ aurum ſecernit ab argento.* & de natur. quæ effluunt lib. 1. pag. 101. *Aquæ infectæ vena* Stix atramentoſa. *Atramenti ſutorij, Melanteriæ, Soryos, Chalcitidis, Miſyos aſtringunt, ſed hæ ipſæ magnam acrimoniam cum tali ſapore coniunctam habent, talis videtur eſſe Styx fluuius circa Teſſalica tempe, cuius aqua neque in argenteo vaſe contineri poteſt, neque in æneo, neque in ferreo, ſed id ſua vi corrodens erumpit.* quod repetit lib. 2. pag. 113. *Sed ſi nimium fuerint acres* (inquit) *necant. talis videtur fuiſſe aqua ſtygis fluuij Theſſaliæ, qua Alexandrum necauit Antipater.* & pag. 120. confirmat fuiſſe atramentoſam.

Io.

Ioa.Bauuhinus de aquis med.lib.2.cap.1. recenſens Agricolæ opinionem eidem fauere videtur. quod repetit dicens eſſe Atramentoſam. lib.3.c.40.

Hos Auctores cum legiſſet noſter Aduerſarius ſtatim protulit ſtygiam aquam fuiſſe atramentoſam, & tantum auſus eſt, vt Plinium citans de aqua ſtygia loquentem, eius loco chalcanthi vocem ſubſtituerit.

Nobis minimè talis opinio approbatur. quia nullæ facultates, vel pauciſſimæ, quæ de ſtygia feruntur, chalcanthoſæ aquæ tribui poſſunt. ſcilicet illæ 7. conditiones ſtygiæ paulo antè numeratæ. Stygiam nō eſſe vitriolatam.

1 Primo enim ſi ſtygia aduenas fallere poteſt facie, colore, ſapore, & odore, ab alia aqua non differens. hoc chalcanthoſæ tribui nequit. nam aqua chalcanthoſa cuius meminit Galenus, viridis, aſtringens, acris, & odore valido erat. ipſe autem Agricola lib.1.de natur.eorum, q. efflu.pag.101.citata.ait. magnam acrimoniam cum aſtrictione coniunctam habere. & talem eſſe ſtygiam. quod non quadrat Plinij, & Senecæ dictis. neſcio quo pacto velit Agricola ſtygiam fuiſſe ſapore acri, & aſtringenti. & cum non detur aqua chalcanthi ſine ſapore ipſius, ob id ſtygia non poterat eſſe è chalcantho, quia ſimillima vulgari aquæ erat. Stygia ſine ſapore.

2 Secundò, ſtygia epota illicò necat. Chalcanthoſa quantumuis acris id præſtare nequit, imò neque aqua fortis, neq; oleum ipſum vitrioli deſtillatum, & purum copioſè ſumptum illicò necare poſſent, ſed prius præcederet maxima corroſio, ardor, & dolor oeſophagi, & ventriculi (ego anno 1618. curaui fœminam, quæ biberat aquam calcis, & litargirij fortiſſimam paratam pro denigrandis capillis, ad vnc.6.& ampliùs, cui palatum, & oeſophagus ſtatim arſit, & vlceratus fuit, conualuit, nec illico obij) aliquos autem potu aquæ fortis intus vlceratos, nec illico mortuos, ſed ſanatos legimus apud Schenckium lib. 7. de venenis. Puerum ſanatum refert Foreſt.lib.15.obſ.30. Nautam verò ſanatum ſcripſit Balduinus Ronſeus epiſt. 9. ſtygia autem præter quam quod illico necabat, ſine dolore, & ſenſibilibus qualitatibus agebat, quod colligo ex Seneca dicente. *Aliàs fallit, quia non facie, non odore ſuſpecta eſt, qualia ſunt* Stygia illicò necabat

magnorum venena artificum, quæ deprehendi, niſi morte, non poſſunt. igitur venenum deprehendebatur ſola morte, non alijs qualitatibus. non acredine, non ardore, non corroſione, nec alijs ſymptomatibus, quod chalcanthoſa efficere nequit.

Tertiò, cum proflueret è ſaxis, non è terra, dici poteſt non fuiſſe è minera vitrioli.

Quarto, quia ſtygia palus, ſeu flumen piſces alebat, & ipſos lethales, idcircò aqua chalcanthoſa eſſe nequibat. Summa enim acredine corroſiſſet piſces, & cum proprietas chalcanthi ſit vermes occidendi. piſces credibile eſt viuere non potuiſſe in aqua adeò vitriolata. ſed piſces, quæro, quomodo & ipſi lethales erant, an eadem vi, qua vitriolum .ſ. acrimonia, aſtringentia, corroſione? videtur difficile creditu.

Stygia alebat piſces.

Quinto, ſi agebat gypſi modo, & in corpore durabatur, non chalcāthoſæ aquæ modo nocebat, ſed alio, ergo ſtygia non erat vitriolata.

Sexto, ſi ſummè frigida erat ſtygia, vt refert Theoph. & non detur chalcanthoſa frigida, patet ſtygiam non fuiſſe vitriolatā.

Septimo, corroſio vaſorum omnium tàm cita, haud ſcio, an vitriolatis aquis tribui queat, oleum vitrioli vitro continetur annis integris: vitriolum ipſum dum paratur Cortina plumbea coquitur, plumbum enim non erodit, nec vaſa aurea oleum vitrioli conſumit. Alia ergo ſtygiæ virtus vaſorum corroſiua erat, nō vitriolata: Patet igitur ineptè ab Aduerſario citatum eſſe Plinium, veluti de chalcantho loquutum ſtygiæ nomine.

Stygia frigiditate necare.

Oppoſita ſententia eſt à ſtygia Alexandrum ob ſummam frigiditatem fuiſſe læſum, Libauius de iud. aqu. min. cap. 43. *à Plinio nimio frigore noxia dicitur, à Theophraſto frigidiſſima*. deinde ſubdit. *Si quæras cur adeo friget aqua ſtygis? ſpiritus ab imo frigidos accuſem. ita enim & circà radices Veſuuij montis ſpiracula ſunt halitus frigidiſſimi, qualia non abſurdè ponas etiā circà ſtygem, quanquam non manifeſta*. & Synt. lib. 8. cap. 30. alijs frigore externo noxia perhibetur: Calepinus ait, tàm frigidus vt potus ſtatim enecet.

Stygia gypſea.

Seneca videtur gypſeam feciſſe. ait enim *protinus hauſta duratur, nec aliter quàm gypſum ſub humore conſtringitur, & alligat viſcera*. Libauius loco citato ſubdit. huic Auctori non

occul-

occulta, ſed manifeſta potiùs qualitate, eaq. minerali nocuit. ſed lib. de iud. aqu. min. cit. non repudio (inquit) de gypſo iudicium.

Huiuſmodi ſtygiæ qualitatem non negauit Agricola, ſed de natur. eorum, quæ effl. lib. 1. pag. 1. ſcribit aquam ſtygis *Puram non eſſe, ſed ſucco, qui vertitur in lapidem, infectam, hinc percipimus, quod lapideſcat profluens*. & pag. 116. lapideſcere etiam fatetur. idem confirmat. pag. 110. ex Plinij, & Senecæ ſententia.

Denique Agricola ſubdit loco mox citato. ſtygiam eſſe temperatam, & compoſitam, tum ex ſucco lapideſcente, tum atramento, eo quod corrodat vaſa.

Baccius lib. 6. cap. 12. argento viuo infectam ſtygiam cenſuit & duplicem in Archadia alteram, alteram verò in Theſſalia referente etiam Bauuhino lib. 2. cap. 1.

Sed hæ etiam ſententiæ non paucas habent difficultates. ſatis nobis ſit oſtendiſſe. Aduerſarium non rectè, & affirmatiuè commutaſſe ſtygiæ vocem in chalcanthi.

At dices. Duplicem fuiſſe ſtygiam, vt conſtat, ex Agricola, Baccio lib. 6. de therm. cap. 10. Coſteo lib. 1. de potu med. c. 21. & Bauuhino de aqu. med. lib. 1. c. 21. quod colligunt ex Vitruuio, & Plinio. nimirum alteram in Arcadia, alteram verò in Theſſalia, alteram gypſeam, alteram chalcanthoſam. Reſpon. ſi oſcitanter legantur Vitruu. & Plinius etiam tres, vel quatuor ſtatui poſſe ſtyges. in Aegipto vnam ex Seruio, & Seneca, duas verò in Arcadia ad Nonacrim, & ad Pheneum. denique quartam in Theſſalia. ſed verè ſentiendum vnam tãtum ſtygiam aquam fuiſſe apud Plinium, eamq. in Arcadia. itaq. Plin. lib. 31. cap. 2. *In Arcadia ad Pheneum* (inquit) *aqua profluit è ſaxis ſtyx appellata, quæ illico necat, vt diximus. Sed eſſe piſces paruos in ea, tradit Theophraſtus, læthales & ipſos, quod non in alio genere mortiferorum fontium*. ſed hoc de piſcibus dictum videtur in dubium poni, ab Aeliano ſcribente lib. 3. de animal. c. 38. *Lacus in Pheneo eſt, qui nullos piſces affert*. fortè alius lacus, & non ſtygia, Palus. & lib. 4. c. 6. Plin. ſcripſit. in Archadia adeſſe opidum Pheneum, & Ladon amnem è paludibus phenei oriri, erant ergo plures paludes: altera ſtygia alens piſces, altera non. Obiectio. Reſponſio.

Aelianus

Aelianus autem lib. 10. cap. 40 ſtygiam Phenei aſſerit illam fuiſſe, quæ tranſmittebat omnia vaſa etiam ex ferro, & in cornibus tantum Scythici Aſini contineri poterat. Poſt præſcripta Plinius videtur loqui de alio Arcadiæ fonte. *Quædam etiam* (inquiens) *bl. indiuntur aſpectu, ut ad Nonacrim Archadiæ, omnino enim nulla deterrent qualitate. Hanc putant nimio frigore eſſe noxiam, utpote cum profluens ipſa lapideſcat*. Vitruuius aſſentitur dum ſcribit. In Archadiæ montibus iuxta Nonacrim frigidiſſimus extillat humor, Aqua Stygia dicta, quem neque argenteum, neque æneum, neque ferreum vas continere poteſt, quin ſcindatur, & diſſipetur, continetur autem ſola in vngue Muli, & hac necatum ferunt Alexandrum. Cælius Rod. lib. 25. cap. 6. frigiditati aſcribentibus conſentit, quod tamen Pauſanias in dubium vertit, non ſatis conſtare an eo veneno obierit ſcribens, Præterea idem Plin. lib. 2. cap. 103. *Iuxta Nonacrim Arcadiæ Styx, nec odore differens, nec colore, epota illico necat.* cum autem lib. 4. c. 6. de Arcadia tractans de Nonacri agat diſtinctè à Pheneo. videri poſſet duplex fons, vt dixi. ſed ſolui pōt ſi dixerimus hæc duo loca eſſe contigua, certum tamen eſt ſtygem in Arcadia aquam illam fuiſſe, quæ nullis metallicis vaſis contineri poterat, eãdem nec odore, nec colore differre, frigidiſſimam etiam eſſe, & lapideſcentem, & ipſam tamen piſciculos alere. tandem hac ſtygia necatum Alexandrum. huius ſtygis venenum pendere cenſuit Seneca, & cum eo aliqui, vt ſupra dixi, à Gipſo. Plinius à frigiditate, Baccius ab hydrargiro. ſed cum nec aliæ hydrargiri aquæ illico necent. ſuſpicamur aliam veneni vim fuiſſe. ſed chalcanthoſam aquam non fuiſſe, ex dictis ſatis conſtat. Vnde notandus hoc loco venit Coſtæus lib. cit. qui ita oſcitanter legit Plinium, vt cenſuerit Arcadiæ ſtygiam ob acrimoniam metallica vaſa frangere. ſcribens. *Vitium illi eſſe ex chalcantho probabile eſt, quod quidem ſi eſt, quum eam, & odore tetro, & ſapore acerrimo eſſe neceſſe ſit, accedente etiam calore* (forte colore) *quem viſui terrori eſſe ait Plinius* (de Teſſalica loquebatur) *valdè quidem mirum eſt tantum fuiſſe confidentiæ, vel Antipatro tam offerendi, vel Alexandro ſumendi, ſine aperta doli ſuſpitione*. praua ratiocinatio nã & cõfundit Arcadicæ, & Theſſalicæ aquæ attributa. & Arcadica aqua, qua necatus Macedo, blanditur

aſpe-

aſpectu, & nulla deterret qualitate, nec odore, nec colore diffe-rens. vnde non eſt mirum ſi oblata, & aſſumpta fuit ſine ſuſpi-tione.

Sed aliam ſtygiam fuiſſe in Teſſalia voluerunt aliqui, quod ex Plinio, & Vitruuio admodum ineptè colligunt. quoniam Plin.lib.31.cit. *Aliter circa Theſſalica Tempe, quoniam viſus omnibus terrori eſt, traduntq. etiam æs, ac ferrum erodi illa aqua. Profluit (vt indicauimus) breui ſpatio: mirumq. ſiliqua ſilueſtris amplecti radicibus fontem eum dicitur, ſemper florens purpura & quædam ſui generis herba in labris fontis viret*. aſſentitur Vitruuius in Theſſalia fontem profluere ſcribens, quem nec pecus guſtat, nec illi animalium genus vllum approximatur, propè tamen arbor purpura floret. hunc fontem ineptè Agricola, Baccius, Bauuhinus, & Coſteus ſtygium vocant. Nam nec Plinius, nec Vitruuius, ſi attentè legantur, ita nominant. ſed Eurotes alibi à Plinio dicitur. vt lib.4.cap.8. vbi agens de Theſſaliæ fluminibus. ſcribit. Tempe vocari inter Oſſam, & Olimpum ſpatium per quod illabitur Peneus clariſſimus fluuius. *Viridis calculo, amœnus circa ripas gramine; canorum auium concentu. accipit amnem Euroton, non recipit, ſed olei modo ſupernatantem (vt dictum eſt Homero) breui ſpatio portatum abdicat. pœnales aquas dirisq. genitas, argenteis ſuis miſceri recuſans*. itaque quod Eurotum intelligat Plin.lib.31. claret, quia circa Theſſalica Tempe ortus eſt. & quia cum ſcribit. *Profluit, vt indicauimus, breui ſpatio*: ſe refert ad id quod dixerat à Peneo *breui ſpatio portatum*. & ibi dixit eſſe *Pœnales aquas* hic *eſſe terrori*. & quia *etiam ferrum, & æs erodit* addit *etiam* ideſt vt Styx ſupradictus. ſed hic Eurotos Titareſus à Lucano dicitur.

Solus in alterius nomen cum venerit vndæ
Defendit Titareſus aquas, lapſusq. ſuperne
Gurgite Penei pro ſuccis vtitur aruis:
Hunc fama eſt ſtygijs manare paludibus amnem,
Et capitis memorem fluuij contagia vilis
Nolle pati, ſuperumq. ſibi ſeruare timorem.

Ergo Titareſus, ſeu Eurotos fons ille eſt venenatus circa Theſſalica Tempe, qui à paladibus ſtygijs manare fama eſt non tamen vocatur Styx? an Titareſus ex Lucano bonus. & Peneus

malus

malus, Titareſus ſupernatat, Peneus eſt Styx? Atheneus lib. 2.cap.2. ſcribit Homerum ſuauem nominare Titareſium fluuiũ, qui cum Peneo admiſcetur. Sed hic notabilis eſt Auctorum de re ignota loquentium contradicentia. Agricola. fontem circa Theſſalica Tempe (qui Eurotos, ſeu Titareſus, eſt non ſtyges) eo quod apud Plin. legerit etiam vaſa ænea, & ferrea erodere. acrem, & atramentoſum fuiſſe pronunciat lib. eor. quæ effl. è terra pag. 113. & 120. vbi etiam aſſerit Theſſalica ſtyge enecatum Alexandrum, nec Baccius etiam aduertit Pl. lib. 31. verba feciſſe de Euroto Theſſaliæ, non de ſtyge. quibuſcum errauit etiam Bauuhinus. Sed Coſteus multiplici ſe implicat errore. Primò, duplicem ſtygiam faciens. Secundò, amborum attributa commutans Arcadium fontem acrem, chalcãthoſum, tetro ſapore, & odore dicens, quod Plinius de Theſſalico attulerat. Tertiò, quia Theſſalicum lapideſcere cenſuit, quod Arcadico alij tribuunt. Quartò, quia ex falſo ſuppoſito .ſ. chalcanthoſitate, putat in Plinio eſſe mendum. nam Vitruuius non dixit Theſſalicum fontem vaſa rumpere, ideo neq. legendum in Plinio. Quintò, quia à fide alienum dicit Arborem ibi gigni. ſed id cenſet ob falſum chalcanthi ſuppoſitum. Contra tamen eſt, quia Theſſalicus fons plantas non enecat (cum ex Agricola pag. 123. chalcanthoſæ aquæ plantas non alant) ideo valde atramentoſus non eſt. Sed hunc Theſſalicũ fontẽ, quum erodere vaſa audiunt, ſtatim ſtygem chalcanthoſam pronunciant. ijdem, quum mutato nomine Titareſum, vel Eurotũ legũt, atq. Peneo ſuperferri audiunt olei modo, ſtatim Bituminoſum vocant, ita Baccius lib. 4. cap. 14. & Agricola de nat. eor. quæ è terra effl. lib. 1. pag. 104. Ita igitur cum idem ſit fons, & flumen, modo chalcanthoſum, modo Bituminoſum faciunt. Concludamus veram ſtygiã aquam in Arcadia neutiquam chalcãthoſam, ſed vel gypſeam, vel hydrargiratam, vel arſenicatam, vt etiam Bacc. lib. 6. cap. 13. vel alia occulta venenoſitate infectam. Theſſalorum vero Eurotum, quorundam etiam Theſſalicam ſtygem, neque etiam chalcanthoſam, ſed vel bituminoſam, vel proprietate quadam occulta corroſiuam.

Re-

Regreſſio.

Ad reſponſionem obiectorum negat paritatem inter ſinapi, muriam, & allia, quæ extra exulcerant, intùs minimè, & non conuenire chalcantho dicit: cauſam non affert; ſed remittit ad Galenum 3. de temp. 2. nos conſiderantes Galenum omnino nobis fauere nouimus, nam non exulcerari interiora dicit.

Primò, propterea quod vno in loco non permanent; ſed in multas partes diuiſa quoquò verſus feruntur.

Secundò, quia non ſolùm multis ſuccis miſcentur; ſed etiam cibis, cùm quibus ſumuntur.

Tertiò, quia celeriter eorum coctio, & partiũ ſeparatio perficitur, ità vt quod conueniens in eis eſt aſſimiletur, quod ſuperuacaneum eſt, & acrè per aluum, vrinas, & ſudores excernatur. & addit. Vitriolum ſumptum non vlcerat.

Quartò, *Propter hæc omnia, quod foris impoſitum exulcerat, id commeſtum non exulcerat, & ſi vel vnum quodlibet prædictorum illis accederet ſatis eſſet ad ea, quæ foris ſunt integra ſeruanda.* deinde.

Quintò, *Namque non manet ſinapi, quale extrinſecus fuit, cum eſt aſſumptum, manifeſtum eſt, nec eius vim manere.* poſtea.

Sextò, *Iam ſatis erat, quod nec eodem loci maneret, cum nec circa cutem aliquid efficere poſſe videatur, niſi diutiùs immoretur.* & ſubdit.

Septimò, *Si id citrà alium cibum ſolum aſſumes, facilè intelliges, quantùm moleſtiæ, & mordicationis ventriculo afferat.* deinde.

Octauò, *Si plurimo dulci ſucco admiſtum cuti id impones, quàm nihil afferet incommodi.* mox addit.

Nonò, *Cum igitur prædictorum vnum quodlibet per ſe ſatis pro bibere poſſit, quo minus ſinapi, quod foris facit in cute, idem facere intus poſſit, multò magis, vbi omnia ſimul coierint.* tandem concludit.

Decimò, *Vt ſemel dicam, nihil foris, intusq. parem agendi facultatem habet.*

Hæc ſunt Galeni verba loc. cit. quæ omnia vitriolo conue-

Hh niunt.

niunt. ob decimum enim quia ſcilicet non habet eandem facultatem intus, quàm foris. ſi extrà exulcerat, intus non; imò experientia didici vitriolum non exulcerare cutem, ſed ſolùm carnem vlceratam, & cutè nudatam in cruſtam ſiccare; vndè Plinius lib. ſæpè citato. *Vulnera etiam per ſe illitum ſanat, ſed ſtringit cicatrices*. Quod ſi (ex Galeno hoc loco) Viperæ venenum, aut rabidi Canis ſpuma, aut Aſpidis virus parem vim non habent intrò aſſumpta, ac cuti applicata (vnde Plinius lib. 29. cap. 4. de Aſpide. *Potum quantalibet copia non nocet, non eſt enim tabifica vis*) cur natura in ventriculo calore validior, quàm in cute, ſi poteſt euincere validius venenum, non poterit minus, quale chalcanthi?

Venena nõ eodem modo agunt intus, & extra.

Corroſiua ab extra impoſita ſi inuenerint cutem oleo, vel pingui madefactam non lędunt, teſte Dioſcoride. initio lib. 6. ſcribente. *Eſto vt quiſpiam viua calce, vel fæce, aut cantharidibus, aut alio quouis acri corpus exulcerare ſtatuerit, is ſi ipſum oleo leniter illinat exulcerationem non accipiet. Atque neque vehementer aſtringi, neque refrigerari poterit, ſi antea perungatur*. idem accidit æri vernice tenui obducto ab inciſoribus, quod ità tuentur ab aquis fortibus corroſiuis. Igitur ventriculus (ex dicto Galeni 2. 7. 8. & 9.) lædi non poterit ab acredine, & aſtringentia vitrioli, ſi leuiter aliquo pingui perlinatur, vel ſi mixtum ſumpſerit. ſed ſemper pingui phlegmate linitum reperitur, & vitriolum non præbemus niſi admiſtum. ergo ſic nunquam nocebit ventriculo. *Si ſolum ſinapi* (inquit Galenus) *ſumeres mordicaret ventrem*. idem de vitriolo dicimus nos.

Sed nobis etiam fauet 1. 4. 5. & 6. dictum. Nam vitriolum aſſumptum non manet in ventriculo, & vno in loco: ſed in multò minores diſpergitur partes, quàm cæpa, vel allium comeſtum: id conſtat, quia eſt ſolubile, & liquabile humore, vt ſal, & de ſalis genere eſſe iam diximus: tum quia ſimiliter liquatur; tum etiam quia ſimiliter colligitur, vt dixit Plinius loc. cit. tum denique, quia vires eaſdem ferè habet, ſcilicet acres, & aſtringentes ſimul. Si igitur vitriolum in ventriculum deſcendens humore diſſoluitur, ità vt ipſius ſubſtantia in minima ſeparetur: ſeparata ſubſtantia, imminuitur virtus, & in nihilum tandem reducitur, & idem ei omninò accidit, quod communi ſali, quod extra vlce-

Vitriolum diſpergitur in ventriculo.

vlcerat calidum,& ſiccum 4. exiſtens. intrò autem aſſumptum, & mixtum nil lædit: purum verò,& copioſum inflammare, vlcerare, &c. poteſt, non minus, ac vitriolum. Igitur quia vitriolum habet primam conditionem à Galeno traditam eorum, quæ ventriculum aſſumpta non lædunt, neque ipſum lædet; ſatis enim eſſe, ait, vnam adeſſe conditionem.

Deinde 2.7.& 8. Galeni ſententia vitriolo fauet. Non eſſe ſumenda ſola dixit Galenus, alioqui etiam noxam inferrent; ſed miſtione, ait, omnis tollitur noxa. Si ergo miſceatur vitriolum cum aliqua compoſitione, vt Diamoron, Dianucum, vel aliquo electuario, ſyrupo, melle,&c. (ſimplex enim aſſumendum non dicimus) minimè lædet, ſicut ſal,& ſinapi, ex Galeno hoc loco, non lædunt, quia cibis miſta ſunt, ſine quibus ſi ſumerétur mordicationem ventriculi,&c. afferrent. ergo ob ſecundam etiam conditionem ventriculus à vitriolo non lædetur. imò ob hanc, quod multò mirabilius eſt, neque atrocia venena illi nocent, ſic Circulatores præſumpto cibo, vt multi referunt, in plateis publicè venena edunt,& nullum detrimentum patiuntur.

Vitriolum non ſumendum ſolum

Denique 3.5.& 6. propoſitio Galenica vitriolo fauet. Vndè quia celeriter chalcanthum liquatur, (& ob id P. Aegineta lib. 7. eſſe aquam concretam dixit) celeriter ſuperabitur, & diſpergetur; ſic quod ſuperuacaneum,& acre (vt ait Galenus) per aluum, vrinas, & ſudores excernetur. Quare vitriolum propter hæc omnia foris impoſitum exulcerat, commeſtum verò non exulcerabit: præterea, quia non manet vitriolum (vt de ſynapi Galenus) quale extrinſecus fuit, cum eſt aſſumptum, manifeſtum eſt, nec vim eius manere; patet quia extra diutius manet in vno loco,& conſiſtentia compacta,& vnita: intus verò fit cõſiſtentia liquida,& diuiſa, & fertur hinc indè repulſum, ſi quid mordicare intendit: ſoluitur, & humore diluitur, ſic vlcerare impotens, ſicut etiam ab extra, ſi aqua fuerit dilutum, vt conſtat, quia oculis adaptatur ſæpiſſimè: differt autem à ſinapi, quia hoc habet partem alimentalem, in nutrimentum conuertibilem,& alteram acrem expellendam. Vitriolum verò, & ſal, ac Muria plurimam acrem, nullam alimentalem: ideo in totum expellendam, & Galenus initio huius capitis incluſit *Synapi, Allia, cæpas, Muriam, ſeu ſi aliter legas, τάριχη ſalſamentum.*

Vitriolum intus non vlcerat.

Galeni ſententia. vndè concludendum verbis Galeni hoc eodem capite. *Quod ſi ex ijs, quæ intrò ſumuntur, non pauca certo tempore, & certa quantitate, & in mistura cum cæteris accepta conferunt, intempestiuè autem, & largiùs, nec cum alijs admiſta, lædunt: nè id quidem dubitationem vllam diſputationi pariat, ſi quidem id tùm cibis, tum igni, tum verò omnibus, quæ corpori occurrunt accidere ſolet.* & ſtatim ſubdit. *Quid igitur miri eſt, eſſe medicamentum aliquod adeo calidum poteſtate, vt ſi multum eius ſumatur, ac in vacuum corpus inferatur, erodat prorſus, vratq., ſin verò exiguum ſit, & cùm ijs, quæ vehementiam eius remittant, coniunctum, non modo nihil incommodi afferat, verum etiam calfaciendo iuuat: Lacrimam enim vel cyrenaicam, vel medicam, vel particam, ipſam quidem per ſe citrà incommodum ſumere non eſt: at ſi omninò exigua, vel cum alijs in tempore congruente ſit ſumpta, magnopere cõducit.* Hæc autem eadem cur omnino vitriolo non conueniant, imaginari equidem nequeo. negauit quidem bis Aduerſarius, ſed nil probauit.

Num. 39 Ad reſponſionem loci Dioſcoridis, & Matthioli, quam impugnat Aduerſarius à Doctiſſimo Sebaſtiano poſitam, Dico clarè agnoſci ex verbis Dioſcoridis eſſe remedium *ſalubre*, nam ſalutem affert; dixit autem δύναται à verbo δύναμαι, quod *valeat*, & *habeat virtutem* aſtringendi, &c. & ad fungos dixit *auxiliatur* βοηθεῖ à βοηθέω auxilior, adiuuo, ſuccurro periclitantem de vita. Si ergo ſuccurrit, & tuetur vitam, quomodo dicet non eſſe vtile? ſed hæc puerilia ſunt, inaniaq. refugia, qui legerit Dioſcoridem clarè agnoſcet.

Dioſcorides laudat vitriolum.

Matthiol. Matthiolus autem verbis clariſſimis valdè laudauit dicens: *Nil miri nobis affert, quod commendarit Dioſcorides* (non commendãtur noxia) *chalcanthum potum ad Lumbricos, & ad fungorum venena, & ſi medicamentum erodens.* (hic Matthiol. tollit dubitationem) *& ſepticæ facultatis habeatur.* (dixit habeatur, apud aliquos ſcilicet, non quod vt verum fateatur ſepticum; deciperetur enim vt dixi.) *ſi quidem ad eoſdem, & alios vſus* (abuſus diſſet, ſi verus eſſet Aduerſarij ſermo) *hoc tempore non modo chalcanthum ipſum, ſed etiam eius oleum, &c.* & deinde ſubdit. *nullo ſanè incommodo, ſed magno ſanè iuuamento, quin etiam (vt ego expertus ſum) datur commodiſſimè, &c.* quæ verba vide-

videtur, non conſideraſſe Aduerſarius, & addit. *Perbellè conuenit, &c. iniectum curat, &c.* non ergo occidit, & concludit. *In ſumma ad multa vtile eſt medicamentum*: quæ omnia verba ſunt laudantis, vt remedium tutum, & vtile; non autem vituperantis, ac ſi periculoſum, veneficum, & non tutum; vt Aduerſarius contra Matthioli mentem, & veritatem aſſerit.

Sed ſubdit Aduerſarius, *ſi hæc duo ſeparentur*, (ſcilicet vis ignea, & eſcarotica) *tollitur ipſius remedij ratio*. Reſpon. diſtinguens, Quum in vlceribus putridis quæro putredinis inhibitionem, vel in fluxibus ſanguinis aſtrictionem, & cruſtificationem; verum erit; ablata eſcarotica vi, etiam tolli remedij rationem, cum per cruſtam medeamur. Si verò vomitum ciere quęro, fungorum veneno auxiliari, caput purgare, &c. refrango igneam, & cauſticam vim, nè lædat, nè agat ijs qualitatibus; vndè tollo illa duo, vt nocentia nunc; nec tamen tollitur remedij ratio, & vis, quæ non pendet ab eſcara, quæ haud neceſſaria eſt, ſicuti neq; vis calida, & ſicca extrema in alijs caſibus: igitur requiritur vis vomitoria, vix alexipharmaca, quæ diuerſa eſt à vi primarum qualitatum. Iſtantia. Reſponſio.

His contra vitriolum adductis, nec, vt equidem credo, ſibi exactè ſatisfacientibus, vt potè conſcio nullius fore momenti apud viros doctos, oculatos, & qui teſtes, auctoresq. allatos cõſideraturi, & perpenſuri ſunt, alio ſe vertit Aduerſarius noſter, & ad regulas medicinæ vniuerſales, tamquam ad ſacram anchoram confugit, ſubq. clypeo magni Hippocratis ſe tueri autumat, quem tamen ſecum iratum reperiet: nec enim aduertit, cum ſe nunc defenſorem appellare, quem paulò ante veneni veluti datorem, ſi non manifeſtis verbis, ſaltem obſcuris, offenderat, & accuſauerat: dedit enim vſus q. eſt Hippocrates Miſy, Chalcantho, & Chalcitide, vt ſupra notaui. Num. 4. Alius inſultus.

Sed illud Celſi (fortè tibi notum) nunc Aduerſario obijcere poſſem lib. 2. cap. 9. *Satius eſt anceps periculum experiri, quam nullum*. Nonnè Hippocrates 1. aphor. 6. *Extremis morbis, extrema remedia*, & idem de loc. in hom. ſcripſit. *Quum morbus periculoſiſſimus eſt, in his periclitari oportet, ſi enim ſucceſſerit, ſanum facies, ſin minùs, quod etiam aliàs futurum eſt, id ipſum perpetitur*. En attulimus aliàs Hippocratis auctoritates in contrarium

rum æquiualentes. at non ob id aſſentior vitriolum adeò periculoſum, & minimè tutum, vt non niſi vltima neceſſitate dandum, quamuis in morbis extremis, quid meditaberis, vt proſis, niſi valida remedia? debilia non nocent quidem, ſed non proſunt. ſed Hippocratis verba ipſi explicemus. *Hæc meditator, hoc exerceto in morbis, vt proſis* vitriolo exhibito, moderata quantitate, conuenienti mixtura, tempore, morbo, &c. *vel ſaltem ne noceas* immoderata copia, & ſine miſtione, & correctione. itaq. ex Hippocrate vtere vitriolo, non abutere. & multa ſæpè adhibet Medicus habentia qualitates extremas, & ipſum etiam ignem. nocet ne ignis cum cuti adhibetur? certum; in vſu tamen Medicis eſt, quia alteri parti prodeſt. an damnandus ignis, & ad omnes vſus humanos interdicendus, eo quod aliquis quandoque per imprudentiam, vel temeritatem vſus, & læſus eſt?

Hippocr.

Galen.

Addit ex Galeno, *qui generosè morbum curat, tutò curet*. at quid generoſius, & præſtantius vitriolo in putridis vlceribus? Ipſe Galenus 6.de comp.ſ.l.cap.1. *Si vlcera maligna fiant in ore. præſtant* (inquit) *ex atramento ſutorio medicamenta*. nec aliud æquè vtile, præſtans, & generoſum medicamentum, inuenies ſine magna difficultate, & induſtria. nec quicquam generosè, (ideſt validè) curari poteſt, tam tutò. ſed ſi quæres vt tutò tantum cures, generosè curare non poteris. & ipſe Galenus 10. meth.cap.10. *Neceſſe arbitror Thucydidis eſſe conſilium, agentes aliquid, vel periclitari: quibus enim alia ſalutis ratio non eſt, & quæ vnica videtur, & dubia eſt, neceſſum, arbitror, his eſt, aduerſos periculis ire*. Voluit quidem Hippocrates medicamenta, quoad potuit, citò, tutò, & iucundè curantia. Vitriolo, quid citius operabitur? Vitriolo iucundius quid? nam paucam ob quantitatem, non moleſtat ægrum copia, nec amaritudine, & ſapore, nec odore ingrato, nec mordacitate, &c. Vitriolo quid tutius, cum ſalis ſpecies ſit nobis tam familiaris, ſi quantitate, modo, tempore, &c. conuenientibus adminiſtretur? alias operantis, & abutentis culpa non vitrioli. vnde vinum, & cætera alimenta alias tutiſſima ob abuſum mortem intulere; quapropter aliquando inter venena ab Auctoribus ſunt numerata.

Hippocrates explicatur.

Num. 41

Deinde ait doctus Aduerſarius. *Sunt plura venena delete-*

ria, &c. Inter hæc non recenſeo ego vitriolum, nam clarè ſupra probaui, non niſi excedenti copia officere poſſe, vti ſal marinus, qualia etiam ſunt ferè omnia, quæ in medicina, & victu vſurpantur. Præterea, quia nullus ex veteribus probatiſſimis Auctoribus inter venena vitriolum numerauit, vt Dioſcorides, Nicander, Scribonius, Celſus, Aegineta, Aetius, Actuarius, quos ſequuti ſunt multi Neoterici. Matthiolus, Greuinus, Capiuacceus, Baccius, & alij multi, qui ex profeſſo de venenis egerunt. hi omnes chalcanthum omiſerunt, vtpotè abuſu lethale quidem, non tamen venenum deleterium. Auctores autem, qui illud inter venena repoſuerunt ab Aduerſario ſupra citati Arabes primum fuerunt, indè ipſorum ſequaces, vt plurimum, vt Auicenna, Raſis, Nicolus, Conciliator, Guainerius, Arduinus, Ponzetta, Bertinus, Andernacus, & denique etiam Fernelius, & Cæſalpinus ex Præceptoribus meis alter. Hi quidem, ſi quantitate, & abuſu, vitriolum veneni vim adipiſci, & fieri læthale, voluerunt; vti vinum intempeſtiuè ſumptum ex Dioſcoride, & huiuſmodi alia, rectè ſenſere, & vera dixere. ſi verò propriè, & innata vi, & ſpecifica forma, tota ſubſtantia, vel quomodocumque appellare libuerit, venenum deleterium propriè dictum, intellexerunt cum noſtro Aduerſario, (etiam ſi alias viro Doctiſſimo, & Eruditiſſimo Grauiquè) deceptos eſſe conſtanter, & ingenuè promulgamus.

Vitriolum non eſt venenum.

Sed quid queſò concludit ſua ratiocinatione Aduerſarius. *Aliqua venena deleteria intus poſſe vſurpari, ſed raro, quia non ſunt tuta. vitriolum eſt deleterium. ergo raro intus vſurpandum.* concedimus conſequentiam de raritate. non enim panis loco quotidie ægris præbere iubemus. non ob id tamen concluſit, vt elatè clamat. nimirùm *vitandum iuxta Hippocr. Galen. & Auicennæ dogma.* minor verò propoſitio centies eſt negata. & contrarium manifeſtè demonſtratum. itaq. ſi deleteria intus, ſed rarò poſſunt vſurpari, ex Aduerſario, vitriolum cum non ſit deleterium, ſæpius poterit vſurpari, noſtra ſententia. Huc libet afferre Paracelſi verba defenſione ſua 3. *Vitriolum* (inquit) *mihi obycitis, in quo ſecreta multa condita ſunt; in quo, inquam, vtilitatis plus ſitum eſt, quàm in pyxidibus veſtris officinalibus vniuerſis. id venenum eſſe aſſerere minime poteſtis. ſi dicturi eſtis,*

Concluſio Aduerſarij.

Paracelſus.

illud

illud eſſe corroſiuum? addite ſodes, qua ſpecie, quomodo & ideo illud redigere debetis, vt ſit, aliàs corroſiuum non eſt. ſi ad corroſiuum reduci id poteſt, poteſt etiam in dulcedinem redigi. Vtraq; enim vnà conſiſtunt. Qualis præparatio, tale quoque vitriolum eſt. Et ſimplex vnumquoduis, quale ex ſe ipſo eſt; ita per artem in multiplicem naturam reduci poteſt, omni planè modo, quo cibus in menſa propoſitus. Illum ſi homo edit ex eo caro humana fit; ſi canis canina, ſi felis felina. ità & cum medicina comparatum eſt. Ex ea quod facis, aut paras, id fit illa. ſi ex bono malum fieri poteſt, ex malo bonum quoque produci poteſt. Nec quiſquam temerè rem aliquam carpere debet, cuius tranſmutationem non nouit, & qui ignarus ſeparationis eſt. Separationum ignari hæc rogo attendant vltima verba, nec reprehendant chimica remedia, parandi modum ignorantes.

Num. 42 Verba ſupra citata num. 38. cur iterum replicet Aduerſarius ignoro, ſed ibi ſatis fuit reſponſum.

Num. 43 Quod ad Auicennam reſpondit eſt eadem cantilena, quam de Dioſcoride, & Matthiolo cecinit. dicit primò Auicennam 2. can. recenſuiſſe vires chalcanthi, *quatenus vtiles, licet non tutas*. ego hoc eſſe non tutum ibi non lego, nec capio, *conferre* dixit Auic. periculi non meminit.

Vitriolum non tutum. Probat Aduerſarius primò, quia idem Auicenna lib. 4. *Vitriolum commemorauit inter venena metallica non tuta.* Equidem nondum audiui talem diſtinctionem venenorum non tutorum. nondum didici adeſſe venena non tuta. nam ſi dantur, dabitur etiam altera diſtinctionis pars (Logicorum legibus) itaq. ſi adſunt venena non tuta, aderunt quoque venena tuta. ſed qualia ſunt? libenter ego diſcerem. Venenum vt venenum nunquam tutum credebam hucuſque, vndè ſi nullum venenum natura ſua tutum: fruſtra putabam addere venenis cognomen *nō tutum.* ſed edoceri poſtulo. At vitriolum quomodo dici venenum poſſit, paulò ante dixi.

Probat Aduerſarius ſecundò, quia idem Auic. lib. 3. *Non commemorauit chalcanthum inter remedia oculorum, aut lacrimarum vſu, aut palpebrarum.* quid concludet ex hoc? perbellam concluſionem. ergò vitriolum eſt venenum. An potuiſſem reſpondere. ergo non agnouit vires vitrioli? Verùm ſi non poſuiſſet

Auicen-

Auicennas obliuione, & etiam metu. nonnè attulimus Auctores plurimos ſupra num.36.qui Auic.vicem,& defectum ſupplere poſſent? ſed agè legamus Auicennæ librum, & inueniemus fortaſſe contrarium illius,quod Aduerſarius aſſerit.

Auicen.lib.3.ſen.3.tr.1.c.4.de Medicinis oculorum mentionem facit *Chalcadis*. Vitriolum medicamẽtũ oculorũ

Et cap.11.in cura Ophthalmiæ frigidæ vtitur voce *Chalcadis, ſeu chalcitsi*, & linit frontem, & abluit faciem ex aqua diſſoluti *Chalcadis*.

Et Cap.14.valere ait, *Encauſtrum cum melle*, quod fortè eſt Atramentum. Auicenna.

Et eodem lib. 3. tract.2. cap. 11. de cura ſaniei. adminiſtrat Collyrium,in quo eſt *Calcadis*.

Et Cap.15.de cura apoſtematum lacrimalium. primo vtitur *Atramento* in collyrio, vel per ſe. deinde iterum ait,& ex medicinis vltimis eſt,vt ſumantur *Atramenti,&c.*

Et cap.18. de cura Albuginis. parat duo collyria cùm *Calcadis*,& deinde vnum cum *Chalcantho*.

Cap.23.de cura vngulæ. tria collyria cum *Calcadis*, & vnum cum *chalcantho*.

Et ſen.3.cap.4.de cura ſilac. *Atramentum* ſcribit. cap.24.de cura ſcabiei habet *Calcadis*.

Hic patet Auic. vitrioli ſpeciebus in oculis vſum fuiſſe quindecies,modo nomine Atramenti, modo chalcanthi, modo Encauſtri, modo Calcadis. quas voces non conſiderauit eruditus Aduerſarius. ſed quamuis Auic.lib.3.chalcanthi non meminiſſet,non tamen Aduerſarius aſſequi poſſet intentum,vt ob id venenum diceretur,vel non vtile oculis. nam lib.2.tra.2.cap.170 de Colcotar. *Ponitur* (inquit) *in collyrijs ad abſtergendum, & ſubtiliandum groſſitudinem palpebrarum.* & cap.48.dixerat. *Alcolcotar propriè,& reliqua, communiter conferunt duritiei palpebrarum,& aſperitati earum.*

Præterea idem Auic.lib.5.in Antidotario plurima ſcribit medicamenta ocularia. cum vitrioli ſpeciebus. vt in confectione Ariſtratis. *Draganti aduſti*. quid hæc vox ſignificet ſupra indicauimus. deinde Collyrium valens. *Colcotar aduſti*. inde Collyrium aereum *Encauſtri Indi*. poſtea Collyrium citrinum.

Colcotar albi. item Collyrium Indum. *Encauſtri Indi*. & hæc de oculis.

Vitriolum ad vlcera faucium.

Præterea negat Aduerſarius Auic. vitrioli meminiſſe eodem lib. 3. eo quod eſſet venenum *ad vlcera faucium, vel gingiuarum*. Ego autem attentius legi, & reperi, quod Aduerſarius prætererat. vt lib. 3. fen. 6. tra. 1. cap. 18. ad Ranulam linguæ. *Fricatio cum flore æris, & Draganto*, & in fine capitis; *Experta ſunt* (inquit) *Dragantum aduſtum*. per dragantum intelligit Vitriolum, vt ſupra hanc vocem explicaui; nè autem putes Auic. confundere cum gummi Tragachantæ, aduertas hoc vocari Dragachantum, Vitriolum verò Dragantum.

Cap. 24. ad aphthas. *Quando* (inquit) *vlcera ſunt corroſiua tunc neceſſaria eſt adminiſtratio floris æris, cum Colcotar.*

Ad dentes

Et fen. 7. tra. 1. cap. 10. de dente commoto. *Stiptica permiſta cum Aloe, & Colcotar, & Climia.*

Cap. 11. de perforatione dentium. *Calidicon forte, aut Suriſticon*. credo voluiſſe Calcitidem, & Sory.

Et fen. 8. cap. 2. ad gingiuas *Suriæ, ſeu Suri aduſtum.*

Cap. 6. ad vlcera gingiuarum. Colcotar.

In gargariſmis.

Et fen. 9. cap. 7. ad Sanguiſugas in gutture. gargariſma cum Aceto, & *Alchalcbotar*.

Et cap. 11. de Angina. *Et Colcotar quidem, & Calcadis ambo ſunt bona apoſtemati gauonis*. Ecce hic ſimpliciter iſta nominat Auic. non vt venena, ſed vt bona remedia.

Item cap. 11. de Vua, & Amigdalis. ſi fuerint à cauſa melancholica, vtitur *Atramento rubro*.

Cap. 17. de cura ſanguinis ex inciſione Vuæ, & vtriuſq; Amigdalæ. *linimentum ex atramento, aut puluerizetur Atramentum ſuper ipſam.*

Ad ſputum ſanguinis.

Et fen. 10. tr. 3. cap. 6. de ſputo ſanguinis. ſi fiat ab humiditate, & mollificatione, *vtere Calcadis, &c.*

Et lib. 5. ſum. 2. tra. 5. Trochiſcus ad ſputum ſanguinis, quum eſt ex humiditate, & mollificatione venarum, recipit, *Calcadis*. Ecce laudat ad ſputum ſanguinis; illud medicamentum, quod dixit valdè exiccando fortaſſe ad phthiſim perducere, fortaſſe venenum eſſe, vt ſupra notaui, ſed intelligendum ſi plus iuſto propinetur, & quum non conueniat. Cum igitur his etiam in

affe-

affectibus Auic. vitrioli ſpecierum meminerit duodecies, & pluries, miror exercitatiſſimum virum in lectione librorũ, nec vnicam quidem vicem id legiſſe. Quare concludendum tandem cum nequaquam vera ſint, quæ ipſe pro ſolutione argumẽti Doctiſſimi Sebaſtiani oppoſuit, argumentum in ſuo robore permanere. & Auic. vires chalcanthi memoraſſe quatenus vtiles, tutasq. ſimul, tum quia eo etiam vſus eſt ſæpe ad oculos affectos, tum etiam ad fauces, tum denique ad ſputum ſanguinis. præter quæ etiam id numerauit inter metallica non niſi quantitate nocua.

Quare chalcanthum vtiliſſimum erit medicamentum, & præſtantiſſimum Alexipharmacum, quod facultate tàm elementali, quàm ſpirituali (occulta dicta quibuſdam) cõſeruet totum à putredine, vt teſtes ſunt Gal. 9. de ſimp. m. f. Aegineta. lib. 7. Oribaſius. collect. lib. 15. & Aetius ſer. 2. cap. 77. Nam. *Conſtat quod omnium maximè condire, ſeruareq. carnes humidas poteſt, nimirũ caliditate humiditatem abſumens, atque adſtrictione ſubſtantiam contrahens, atque conſtipans.* ex quibus euidentiſſimum eſt Nicolum, & quoſdam pauculos, qui cum noſtro Aduerſario vitriolũ ſepticum, & putrefaciens dixerant, valdè deceptos fuiſſe. Vitriolum conſeruat carnes.

Quod igitur Chalcanthum ſit remedium vtile ſimul, & tutũ, & iucundum, & vſitatum, probatum eſt ratione, auctoritate, & experimentis ſuperiùs allatis: ſequitur igitur falſam eſſe ſententiam Euſtachij Rudij Chalcanthum eſſe noxium magis, quàm Anacardos, vel Euphorbium. falſam etiam ſententiam Siluatici, ſine periculo vſurpari non poſſe. Manardus autem de oleo deſtillato acri loquutus eſt, cautè agendum, nè exulceret, non de crudo vitriolo. Num. 42 Retorquetur Aduerſarij verba.

Quod obijcit de pęna vendentium venena: vitriolum nunquam vendi interdictum eſt, venale enim extat in pluribus apothecis ad varios vſus. ergo ex ea lege venenum non erit. tandem dicens *talia remedia extrema, periculoſa, pernicioſa prohibenda.* ſibi ipſi contradicit. non enim poteſt idem eſſe remediũ, & pernicioſum. & prohibendus etiam eſſet Hip. aph. extremis morbis extrema remedia. Num. 43

Sed pro concluſione à diligenti Prothomedico nunc quæro, an contrà ſtatuta Collegij, & Bullas Pontificum Clementis VII.

& Gregorij XIII. factum ſit. vt Dionisius Albertus Circulator licentiam,& facultatem perpetuam habuerit publicè vendendi

Ricinus. in tota Eccleſiaſtica ditione Ricinum Indicum (ſemina ſcilicet) medicamentum vehementiſſimum, & purgatorium validiſſimũ, vt patet, quia medietas vnius grani extremè purgat, & ſuper purgationes ſæpiſſimè facit. at vitriolum potatur ad drachmam vnam,vt vomitum excitet. Patet præterea quia Ricino hoc aſſumpto aliquot obijſſe refert Ouiedus in Hiſtoria Indica. & nos curauimus aliquot in extremum vitæ periculum adductos; ſed vnum Iuuenem 19.annorum ſanare non potuimus,omni etiam diligentia adhibita. hic ſanus,& robuſtus erat; ſed grauitate,& dolore quodam capitis afficiebatur, Ricini Indici ſemigranum manſit,& degluciuit,quo inflammata;Oeſophagus,& os ventriculi fuere, febris,ſyncopes,inappetentia,ſitis,&c.acceſſerunt ita vt 9.die obierit. cuius rei teſtes erunt Perilluſtres,& Excell.Viri D. D. Altobellus Altobellus, & Ioan.Guerrinus, quibus cum ægrum inuiſi: Menſe Maio hoc anno 1621. in Domo Illuſtriſs. & Reuerendiſs.Card.Lantis. Et hæc ſunt venena,hæc ſunt purgantia deleteria, hæc ſunt prohibenda non vitriolum, & tamen à Collegio Circulatoribus conceduntur, ſed hactenus ſatis reſponſum videtur, liceat igitur quieſcere.

Concluſio. Hæc autem in iſta temporis anguſtia (Erudite Faſianelle) Coaceruare potui, quæ ſi tibi ſufficere non videbuntur, maius ocium nactus,& augebo, & ornabo. ſed efficiam ſpero, vt nihil amplius deſideres de vitriolo, ſi Deo placuerit, vt inceptum Chalcanthi Triumphum perficere, & in lucem edere valeam. tu interim vale, & vtere chalcantho cum iudicio, & Methodo; ſed ſine timore, ac ſine periculi metu. iterumq. vale. Datum ex Muſeo noſtro. 20.Octobris 1621.

FINIS.

INDEX.

A

ACetoſitas ventriculi qualis. pag. 148
Aceti abuſus nocuus. 118
Aceti facultates. 25
Aceti deſtillatione quid aſcendat. 10
Acetum an conueniat Hæmoptoicis. pag. 19.20.21.25.
Acetum ſanguinem ſiſtit. 32
Acetum non adſtringit, ſed denſat. 26
Acetum vulneribus vtile. 32
Acetum tuſſim ſedat. 31
Acetum contra putredines. 64
Acetum corrodit Metalla. 90
Acetum erodens ex Galeno. 91
Acetum vtero aduerſatur. 112
Acetum per accidens vtero inimicum. 114
Acetum melancholicis tantum mulieribus aduerſum. 112
Acetum in vterum infunditur. pag. 113
Acetum ad Topica vteri. 113
Acetum potatur pro vtero. 114
Acetum quandoque neruis vtile. 117
Acida non ſunt inimica pectori. 27
Acida frigida. 32.53.54.57
Acida an aſtringant, & laxent. 52
Acida calida ſecundũ aliquos. 55
Acida non ſunt calida. 56
Acida ſunt cauſtica. 56.90
Acida, & acria oppoſita. 57
Acida contra putredinem. 64
Acida in febribus. 65
Acida in febre peſtilenti. 66.67
Acida aperiunt. 77
Acida non aſtringunt. 77.80
Acida aluum mouent. 77
Acida cum acerbis confundit Iacchinus. 78
Acida, & aſtringẽtia contraria. 81
Acida impropriè dicuntur aſtringere. 81.82
Acida aſtringendo laudata in febribus. 85
Acida ſunt roborantia. 82
Acida neruis inimica. 112.169
Acida oſſibus inimica. 119
Acida fermentant. 127.143
Acida appetitum excitant. 153
Acida corroſiua. 166.167
Acidi liquores aqua diluti refrigerant. 5
Acidi vires. 27.53.97
Aciditas quid. 126
Aciditas eſt qualitas elementalis. pag. 55
Aciditas vit. non eſt atherea. 55
Aciditas in O.Vit. negatur. 87
Aciditas eſt qualitas mirabilis. pag. 121
Aciditas neceſſaria ad concoctionem. 143
Aciditas fermentatrix iuuatur à calido. 144
Acidum clarificat ſuccos. 130
Acidum duplex. 131
Acidum multiplex. 143.172
Acidum miſcet. 135
Acidum iuuat coctionem. 153

Acidum mordax. 160
Acidum vrit. 160
Acria non inimica pectori. 27
Acria diluta nõ apparẽt acida. 96
Actio miſtorum duplex. 56
Actualis humiditas corrigit ol. vitrioli. 6
Aer vitriolatus. 188
Aer venenatus qualis. 188
Aer cauerna Puteolana. 188
Aer repletus vini ſpiritu lethalis. 189
Æris flos vtilis. 203
Æs quæ gignat. 202
Ærugo in medicina vtilis. 104. 202. 103
Alumẽ in medicina vtile. 104. 105
Aluminis ſpiritus acidus. 171
Anaſtomoſis quid ſit. 23
Anoſtomoſis indicatio. 24
Anaſtomoſis curatio. 29
Antiquis in vſu vitriolata. 204
Appetitus à frigido fit. 152
Appetitus canini cauſa. 151
Aqua acetoſa. 148
Aqua Acetoſa iuuat coctionem ventriculi. 149
Aqua ardens deſtillatur ſine igne. pag. 132
Aqua atramentoſa quando damnant. 190
Aqua atramentoſæ quando vtiles. 190. 191.
Aqua fœniculi. 189
Aqua fortis acida, & acris. 58 122. 125. 171
Aqua fortis ſicciſſima. 172
Aqua ſtygia. 232. 233. 234. 235
Aqua ſtygia non erat chalcanthoſa. 206
Aqua Thermales vitriolata. 79
Aqua vitriolata frigida. 59. 95
Aſtrictio, & dẽſatio differũt. 27. 29
Aſtrictio primus inſultus contra ol. vitr. 75 76
Aſtrictio quatruplex. 81
Aſtrictio intendit vim acidi. 83
Aſtringentia roborant. 85
Aſtringentia non ſemper inimica pectori 28
Aſtringentium natura. 80
Atramentum ſcriptorum refrigerat. 217
B
Bilis cauſa febrium. 40
C
Calcinatio perlarum non ab acrimonia. 58
Calcis feruor ab aqua infuſa. 133
Calida in 4. gradu non ſunt venena. 191
Caloris actio. 110
Calor qualis iuuat coctionem. 140
Calor neceſſarius ad coctionem ciborum. 144
Canones corrigẽdi medicamẽta. 3
Cauſtica vis vitrioli à ſiccitate. 5. 57
Cauſtica quæ ſint. 208
Cauſtico eſcaroticum. 208
Cauſtico ſepticum. 209. 211. 212
Cauterium ab acido, & ſalſo. 127
Chalcanthum an vſtione redda tur calidius. 111
Chalcanthi tria genera. 213
Chalcãthum indicum cauſticum. 209. 213
Chymicis magis credendum de metallis loquentibus. 110
Choleothar eſt Draco. 111
Cibi in ventriculo fermentantur ab acido. 135

Cibi putreſcunt in ventriculo. 135.145
Cibi concoquendi conditiones. 139
Ciborum concoctionis variæ opiniones. 139
Ciborum concoctioni, quæ ſunt neceſſaria. 140
Ciborum coctio quid. 146
Cibus brutorum. 146
Cibus ſolidior, an liquidior præſtantior. 140
Coctio in animalibus. 147
Coctio à quo fiat. 152
Coctio cibi in fundo ventriculi. 139
Coctio d prauata vt fiat. 150
Correctio ſufficiens ol.vitr. 4
Corroſiua omnia non ſunt venena. 191
Cuperoſa ad peſtem. 200
Cuperoſa ad quartanam. 200

D

Deleteria quæ. 209
Denſantium natura. 80
Denſantia non obſtruunt. 80
Deſtillatio elicit à frigidis calida, & è contra. 104
Diabroſis quid. 23
Diabroſis indicatio. 24
Diabroſis curatur ol.vitr. 29
Diapedeſis quid. 23
Diapedeſis indicatio. 24
Diapedeſis curatur ol.vitr. 29
Diereſis quid. 23
Diereſis indicatio. 23
Diereſis curatur ol.vitr. 28
Dioſcorides explicatur. 225
Dubitationes vitrioli ſolutu faciles Auctori. 1
Dubitationis prima ad Minderetum ſolutio. 1
Dub.6.ad Minder.ſolutio. 112
Dub.11.ad Minder.ſolutio. 117
Dyſenteria ſanatur ol.vitr. 13
Dyſentericis vtile vitriolum. 200

E

Ebullientia miſtione. 127
Ebullitionum cauſa. 127
Ebullitio à motu. 133
Empireuma negatur. 109
Eſcarotica quæ. 212.213
Eſcaroticorum vtilitas. 213.214
Eurotos flumen. 239
Experientia eſt neceſſaria. 164
Experimentum. 123.134.145.147 172
Extractum quid ſit. 107
Extracta pauca vim habent primogeniorum. 108

F

Febris quid ex Galeno. 35
Febris nomen. 35
Febris nomen ex Paracelſo. 37
Febris definitio ex Paracelſo. 37
Febris differentiæ ex Paracelſo. 40
Febris forma ex Paracelſo. 40
Febris eſſentia ex Paracelſo. 40
Febris eſſentia ex Methodicis. 49
Febris generatio ex Hippocr. 45
Febris ſubiectum ſunt ſolida. 35
Febris ſubiectum ex Paracelſo. 38
Febris cauſa ex Galeno. 36
Febris cauſa ex Paracelſo. 38
Gebris cauſa ex Hippocrate. 40
Febris indicatio ex Galeno. 35
Febris indicatio ex Paracelſo. 41 142
Febris indicatio ex Hippoc. 47.48
Febris indicatio ex methodicis. 49
Febris indicatio à cauſa ex Galeno. 36
Febris indicatio à putredine ex Galeno. 36

Fer-

Fermentatio ſit calore debili. 145
Fermentatio pro ciborum coctione. 147
Fermentatio pro deſtillatione. 131
Fermentatio eſt de eſſentia acidi. 124. 127. 141.
Fermentum panis. 129
Fermentum ceruiſiæ. 129
Fermentum vini. 130
Feruor vini. 131
Fermentum acidum in ventriculo. 149
Flamma quid. 137
Fœminæ delectantur aceto. 115
Frigefactoria potio ex vino. 9
Frigidum actu neruis inimicum. 115. 117.

G

Galenus 3. Acut. 24. explicatus. 9
Gal. 6. de comp. m. l. primo explicatus. 201
Gal. impugnatur ab Auerroe. 30
Galeni defenſio contra Auer. 31
Gal. arguit Hipp. ſed non intellexit. 44
Gal. an nouerit cauſtica frigida. 91
Gal. interpretatio non probata. 99
Gal. non recipitur. 155
Gal. nimis timuit vitriolata. 204. 214.
Gal. auctoritate non ratione vtitur. 211
Gal. auctoritate ſine ratione non credendum. 215
Gariopontus vetat Poſcam Hæmoptoicis à pulmone. 30
Generatio ſit ab acido. 133

H

Hæmodia vt fiat. 78
Hæmoptoicis conuenit ol. vit. 16
Hæmoptoicorum remedia. [illegible]
Hippocrates defenditur contra Galen. 44
Hipp. de cauſa feb. explicatur. 43. 45.
Hip. 3. Acutorum explicatur. 212
Hipp. 3. Acut. 38. explicatur. 128
Hipp. aph. 16. ſect. 1. explicatur. 99
Hipp. aph. 1. ſect. 6. explicatur. 135. 155.
Hipp. 2. in 1. Epid. 30. explicatur. 246.
Hipp. vtitur vitriolatis. 216
Hiſtoria curati à ſputo ſanguinis. 17
Hiſt. curatæ à vomitu ſang. 17
Hiſt. Veſpillonis. 188
Hydrargiri actio. 12

I

Ignis contra venena. 192
Ignis vſtione nil gignitur, nil corrumpitur eſſentiale. 137
Inſecta oriuntur ab aciditate fermentante. 134
Ioa. Faber inſtigat Germanos cõtra Caſtellum. 156
Ioa. Faber mittit argumenta contra Caſtellum. 156

L

Lapis Lazuli vſtus eſcaroticus. 225
Lap. Lazuli qualis pro conf. Alchermes. 25
Lex pro oleo vitrioli. 73
Lienis vſus. 153. 154
Limonum ſuccus corroſiuus. 58. 98
Lumen cur extinguitur. 189
Lux quid ſit. 137

M

Maraſmus ab oleo vitr. 156
Medici viuentes probantes
oleum

oleum vitrioli. 73
Mindereri ſentētia confutata. 15
Mineralia aliqua cardiaca. 207
Miſtio quid ſit. 7
Miſtio duplex. 13
Miſy contra conceptum. 199
Miſy ad toſſica. 199
Mordacitas duplex. 96
Mordacitas vt diſtinguatur. 96. 164
Motus refrigerans. 125

N

Nocumenta olei vitrioli. 157

O

Odor ſulphuris ferri nequit. 189.
Oleum vitrioli acidum reperitur. 50.51.162.
Ol.vit.acidum adhibendum. 49.50
Ol.vit.multiplex. 49
Ol.vit.temperamentum. 49.164
Ol.vit.omne non eſt acre. 27.165
Ol.vit.auſterum, & dulce. 100
Ol.vit.dulcificatio. 102
Ol.vit frigidum, & ſiccum. 51.58. 59.164.
Ol.vit.eſt calidum. 87.157
Ol.vit.eſt Spiritus ſalinus. 106
Ol.vit.eſt cõtrarium vitriolo. 107
Ol. vit. non diſtat ab aqua forti. 156. 171.
Ol.vit.eſt aqua fortis ſimplex. 156. 171.
Ol.vit.falſificatio. 163
Ol.vit.reddi poteſt debiliſſimũ. 4.6.
Ol.vit.non aſtringit. 77.78.79
Ol.vit. impropriè dicitur aſtringere. 79
Ol.vit. etiam ſi aſtringens non timendum in feb. 85
Ol.vit.acquirit calorẽ ab igne. 109
Ol.vit.vires. 27
Ol.vit.agit vt ſuccus limonum. 51.161.169.
Ol.vit.ſtupefacit dentes. 51
Ol.vit.corroſiuam. 14
Ol.vit. corrodit vt aqua regia. 58.89.90.92.
Ol.vit.cauſticum. 91.157.160
Ol.vit.habet vires aceti. 27.169
Ol.vit.eſt tutum. 118
Ol.vit.infrigidat cum frigidis, calefacit cum calidis. 120.136
Ol.vit.iuuat coctionem. 149
Ol.vit.catholicum ad omnes febres 37.60.100.
Ol.vit pro Hecticis. 60.61.63
Ol.vit.ad Ephimeram. 61
Ol.vit.ad Synochum. 61
Ol.vit.ad Quotidianam. 62
Ol.vit.ad Quartanam. 63
Ol.vit.ad febres bilioſas. 62
Ol.vit.ad febres putridas. 68.73. 85.170.
Ol.vit.ad febres peſtilentes ex Auctoribus. 100. 68.69.70.71.72.
Ol.vit.ad venena. 207
Ol.vit.ducit ad phthiſim. 157
Ol.vit.appetitum excitat. 157.169
Ol.vit.extinguit ſitim. 158.165
Ol.vit.neruis vtile. 118.169
Ol.vit.ad oris vlcera. 178
Ol.vit.Hiſtericis idoneum. 116
Ol.vit.magis mulieribus, quam viris aduerſum. 116
Ol.vit.menſtrua ciet. 116
Ol.vit.menſtrua ſiſtit. 116
Ol.vit.ad mulieres febrientes. 117 158.
Oxicratum minerale ſimile vegetabili. 18
Oxicratum omne ad omnes Hæmoptoi-

moptoicos. 28
Oxierati vis differt ab aceto. 26
Oximel inteſtina lædit. 13.89.168.

P

PEneus flumen. 239.
Petrus Saltus ſibi contradicit. 83.84
Plato reprehenſus à Galeno explicatur.
Pleuritidis curatio. 168
Principes laudantes ol.vit. 72.73
Proſper Martianus laudatur. 43
Proſperi Martiani opera à Caſtello edita. 47
Pſeudo ſepticũ quid. 208.210.211
Puerorum victus qualis. 99
Pueri cur facile concoquant. 148
Pulli ortus in ouo. 134
Putredo tollitur ol.vitr. 62.63
Putreſcentia fermentantur ab acido. 130

Q

QVartana miſtione pituitæ. 43.63.
Quatuor ad ciborum coctionem requiruntur. 142

R

RAtio ab Hydrargiro ſoluta. 8.13
Ricini Indici ſemen purgans deleterium. 218.252
Refractio qualitatum duplex. 7
Refractio ſaporis ol.vit. 7
Refugium aliquorum. 90
Remedium ad ſputum ſang. 17.33
Remedium ad vomitum ſang. 17
Reſpondetur Galeno 2. de ſimp. m.f. 8

S

SAl ſalubre. 187.207
Sal armoniacum habet partes frigidas. 58
Sãguis grumoſus quid indicet. 25
Sanguis peccans quid indicet. 24
Sang.peccans curatur ol.vit. 29
Saporum cauſa Paracelſo. 36
Semen animatum in vtero fermẽtatur. 135
Semen naſcitur ob ſpiritum acidum. 134
Senſatus debet eſſe Medicus. 161
Senſus non ſunt negandi. 178
Separatio humorum cauſat morbos. 46.47
Septica quæ ſint. 207.208.209.210
Septicorum differentia. 210
Septica putridini medentur. 210 211.
Siccitas ſoluit continuum. 166
Siccitas reddit vitriolũ cauſticũ: 5.6.166.167.
Siccitas ol.vit. nocet febribus. 97
Siccantia indicantur in febre. 72. 98.
Sitis tollitur ol.vit. 59
Spagirica ars ſeparatoria. 93
Spiritus quid ſit apud Antiquos. 122.
Spiritus principium. 122
Spiritus in acido corpore. 123
Spiritus acidi proprietas. 142
Spiritus ignis actio. 137
Spiritus actio qualis. 123
Spiritus principium motus. 128
Spiritus fermentans. 116
Spiritus ardentes poſt fermentationem pereunt. 132
Spiritus veneni, & peſtis. 138
Spiritus omnium morborum cauſa. 138
Styx fons. 232
Stygis iusiurandum. 232.233

Stygia

Stygia qualitates. 233
Stygia duplex. 237.
Stygia vna tantum. 238.240
Stygia non eſt in Theſſalia. 239. 240
Stygiæ eſſentia. 234
Stygia Gipſea. 233.236.237
Stygia chalcanthoſa. 234
Stygia non erat vitriolata. 235
Stygia ſine ſapore. 233.235
Stygia alebat piſces. 236
Stygia illico necabat. 233.235
Stygia frigiditate necabat. 234. 236
Sulphuris oleum extinguit ignem. 57.59.
Sulphuris oleum refrigerat. 57.59
Sulphur,& vitriolum ſimilia. 95
Sulphuris vapor ſiccat arbores. 190.

T

Tltareſius fons. 239
Trochiſci Andronij. 200.204 228
Trochi. Andronij compoſitio. 204. 205.
Trochi. Muſæ compoſitio. 203
Trochi. Muſæ in potu vtiles. 200. 203.204.

V

Venena non agunt eodem modo intus,& extra. 242
Veneni definitio. 175
Ventriculus eroſus oleo vit. 158
Ventriculus non potuit erodi ab ol.vitr. 167.174
Vinum vt ſeparetur ab aqua. 9
Vitrioli Anatome. 100.101.103. 188.
Vit. oleum non poteſt vniri in ventriculo. 11
Vitr. deſtillatio. 105
Vit. Natura 171
Vit. Naturam ignorauit Rubeus. 94.
Vit. oleum,& ſpiritus, cito, tuto,& iucundè curant.
Vit. vires 177
Vitriolum cyprium æreum. 101
Vit. Romanum ferreum. 102
Vit. antequam deſtilletur depurandum. 101
Vit. Heterogeneum. 93.188.218
Vit. aſtringens. 222
Vit. purgans. 183.217.222
Vit. purgans, ſed non venenum. 217.
Vit. vomitorium. 218.219.220
Vit. an humanæ naturæ contrarium. 214
Vit. à tota forma contrarium. 215
Vit. an purget. 176
Vit. non purgat. 77.222
Vit. venenum à proprietate. 183. 201.
Vit. non tutum. 183.221
Vit. eſcaroticum. 178.182.208,213
Vit. ſepticum. 183.207
Vit. reijciendum à Theriaca. 183
Vit. non eſt reijciendum à Theriaca. 223
Vit. nocet quantitate. 195.215.247
Vit. non conuenit in affectibus oris. 183
Vit. non conuenit in affectibus oculorum. 183
Vit. vſtum eſcaroticum non crudum. 224
Vit. intus non exulcerat quare. 241.243.
Vit. conſeruat carnes. 251
Vit. eſt eſcaroticum cauſticũ. 212

Vit.

Vit. eſt ſalis ſpecies. 187.207
Vit. Alexipharmacum. 176.187.188.196.198.206.
Vit. non eſt venenum. 187.192.193.206.247.251.
Vit. non eſt eſcaroticum cuti ſanæ. 192.
Vit. non eſt ſepticum. 193.208.211.
Vit. non eſt putrefaciens. 193.208.
Vit. non lædit ventriculum. 242
Vit. ad plures morbos. 200
Vit. ad Epilepſiam. 201.221
Vit. ad Gonorrhœam. 201
Vit. ad fungos. 198
Vit. in Antidotis. 199.207
Vit. in Theriaca. 199.223
Vit. ad venena. 199.207
Vit. ad ſerpentes. 199
Vit ad Hirudines. 199.202.250
Vit. ad Lumbricos. 198
Vit. ad ſtrangulatus. 198
Vit. ad uterum. 228
Vit. ad Hydropem. 206
Vit. ad ſputum ſanguinis. 199.250
Vit. ad ſanguinem ſiſtendum. 200
Vit. ad diſenteriam. 200
Vit. ad Quartanam. 200
Vit. ad Peſtem. 200.220.221
Vit. ad affectus ſtomachi. 201.202
Vit. in ſtomaticis. 227
Vit. ad uſus externos. 226
Vit pro maſticatorio. 227
Vit. pro Errhino. 227
Vit. in gargariſmis. 227.250
Vit. ad dentes. 250
Vit. ad ulcera faucium. 250
Vit. ad oculos. 228.229.236.249
Vit. ad ambuſta. 228
Vitriolata in clyſteribus. 203
Vitriolata craſſarum partium. 212.213.
Vitriolata eſſe tenuium partium ut intelligatur. 213

FINIS.